THESAURUS CASUUM RESERUATORUM, OMNIBUS...

Jean Chapeuville, Petrus : de Sancto Audemaro, ...

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
31
1 B
17
FONDO EBORENSE

Digitized by Google

THESAVRVS CASVVM RESERVATORVM,

OMNIBVS POENITENTIARIIS, ET CONfeſſarijs non ſolùm Diœceſis Leodienſis, ſed & Colonienſis, Treuerenſis, Cameracenſis, Tornacenſis, Vltraiectenſis, Atrebatenſis, Mechlinienſis, Antuerpiẽſis, Audomarenſis, Iprenſis, Namurcẽſis, Ruræmundenſis, & aliarũ Belgij Diœceſum, in quibus ferè ijdem caſus Epiſcopis reſeruantur, apprimè vtilis, & neceſſarius.

AVCTORE
IOANNE CHAPEAVILLE S. Theolog. Licentiato, Canonico, Pœnitentiario, & Vicario Leodienſi.

Quarta Editio accuratior, & caſtigatior.

Cui acceſſit Examen Confeſſariorum eodem Auctore;

Tractatus item breuis de Caſibus Regularium reſeruatis, Auctore F. PETRO à S. AVDOMARO *Benedictino;*

Alter item breuis tractatus de caſibus in genere reſeruatis, Auctore P. PAVLO LAYMAN Soc. IESV Theologo;

Denique Diploma duplex idiomate Gallico, Prius Epiſcopi Lugdunenſis Galliæ Primatis, Poſterius Epiſcopi Pariſienſis, quæ continent caſus ab omni æuo ijſdem Epiſcopis reſeruatos; Vtrumque ex Summa Theol. F. IOANNIS BENEDICTI *Obſeruantini depromptum.*

LEODII,
In Officinâ Viduæ, & Hæredum GVILIELMI HOVII. Anno M. DC. XXXV.
Cum gratiâ, & priuilegio Suæ Celſitudinis.

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI ERNESTO, DEI GRATIA ELECTORI COLONIENSI, SACRI ROMANI

Imperij per Italiam Archicancellario, Epiſcopo & Principi Leodienſi, Comiti Palatino Rheni, vtriuſque Bauariæ, VVeſtphaliæ, Angariæ, & Bullonij Duci, Marchioni Franchimontano, Comiti Loſſenſi, Longienſi, Hornenſi, &c. Domino ſuo clementiſſimo,

IOANNES CHAPEAVILLE.

OPeræpretium me facturum exiſtimaui, SERENISSIME PRINCEPS, ſi breuiter C. V. ob oculos ponerem, quæ cauſæ primùm ad conſcribendum hunc libellum me permouerint. Hinc enim liquidò perſpicere poterit, quem fructum ex hâc ſcriptione & ipſe mihi propoſuerim, & C. V. inſuper ſperare debeat. Ac primùm quidem me ad id prouocauit, quòd, cùm iuſſu V. C. inſtruendos in caſibus conſcientiæ ſuſcepiſſem alumnos Seminarij nuper in Ciuitate Leodien̄. à C. V. erect, perueniſſemque ad

 quæ-

quæſtiones illas, quæ de caſuum reſeruatione à Doctoribus diſputari ſolent, animaduerti à pleriſque omnibus generatim admodum, & breuiter tractatas eſſe, non poſſe verò, meo quidem iudicio, vti neceſſe eſt, intelligi, multo minus in praxim deduci, niſi plurimis difficultatibus diligenter perpenſis, & cognitis, quæ ex varijs multiplicibuſque Theologiæ moralis, & ſacramētariæ capitibus repetēdæ forent, quas plerique Cōfeſſarij vel inueſtigare, vel inde repetere aut non nôrunt, aut negligunt. Cogitare igitur cœpi me illis magnum adiumētum adferre poſſe, ſi quæ ab alijs generatim, & breuiter diſputata erant, pro ingenij mei exiguitate, collectis vndecumque ijs, quæ materiā hanc illuſtrare poſsēt, particulatim, diſtinctè, & , quantū in me eſſet, dilucidè explicarem. Vt verò cœptum opus proſequerer, illud me non parum mouit,

quòd cùm in dies penitiùs (vt fieri ſolet) caſus in hâc antiquiſſimâ, & clariſſimâ diœceſi veſtrâ Leodieñ. reſeruari ſolitos examinarem, variaq́ue de his, & ſimilibus reuoluerem, deprehendi eoſdem ferè in alijs vicinis diœceſibus non ſolùm Colonienſi, & Treuerenſi, ſed & Belgij; tum antiquioribus, vt Cameracenſi, Atrebatenſi, Vltraiectenſi, tum recentioribus, & nuper operâ Philippi Regis Hiſpaniarum per Paulum quartum ſummum Pontificem erectis, Mechlinienſi ſcilicet, Antuerpienſi, Gandauenſi, Namurcenſi, & alijs reſeruari, proindeq́; fieri poſſe, vt labor hic meus non vni, ſed pluribus diœceſibus fructum aliquem adferret, aut certè ingenioſiori alicui, & maiori otio abundãti ad conſcribendam exactiorem aliquã, & vicinis omnibus diœceſibus magis accommodatam de his commentationem occaſionem præberet. Sed & mihi

in hoc ſtadio currenti non paruum calcar addidit, quod, cùm plures quæſtiones, & difficultates particulariùs diſcuterem, easque cum ſuis circumſtantijs ad Theologiæ moralis regulas, ſacroſque Canones exigerem, ſenſi ſtudium hoc totum hominem requirere, multumque errare plures noſtri temporis Theologos, qui in eis perlegendis, diſcendisque ſe operam perdere arbitrantur; quaſi iactis generalibus Theologię fundamẽtis, illas iã cognitas habeãt, aut ſine magno labore, cùm voluerint, cognitas habere poſsint. Hæc enim opinio hoc inter alia mali eis adfert, quod vel nunquam, vel ſerò nimis animum ad hoc ſtudium applicent, fiantque proinde Eccleſiæ Dei minùs vtiles. Etenim, vt quotidiana docet experientia, dum in arenam, vt ſic loquar, deſcendere, & populo, ſiue in ſacris cõfeſsionibus, ſiue in priuatis reſponſis, &

Digitized by Google

conſilijs, ſiue in publicis exhortationibus, admonitionibus, & ſententijs ferẽdis ſeruire debent, ad ſingula ferè dubitant, hærentq́ue irreſoluti. Quamobrem & hæc quoque ratio, ſicut antè dixi, magnum mihi calcar addidit, ad materiam hanc diligentiùs, & particulariùs ceteris tractandam, vt hâc ratione, officio in primis à C. V. mihi cõcredito, omnibusq́ue me conſulentibus ſatisfacere poſſem, ac ſimul alijs, qui eiuſmodi functioni vacant, ſtudendi, & ſingula ſtudioſè diligenterq́ue perpendendi anſam afferrem. Quod, vt confido, facturi ſunt, laboremq́ue, & tempus ad hoc ſufficiens libenter impendent, ſi officij ſui memores præ oculis habeãt illud; *Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſẽper, & in multis operibus eius non fueris curioſus*. Quî enim fieri poterit, vt temporis, & laboris pigeat, ſi cogitauerint non hîc de paupere regno,

vel lanâ caprinâ, vt dici ſolet, diſputari, ſed de conſcientiâ, deque multis, & perplexis illius caſibus, &, vt paucis multa complectar, de vitâ æternâ vel conſequendâ, vel amittendâ. Et hæ quidem fuerunt cauſæ, quæ primùm me ad euulgandum hunc libellum permouerunt. Editionem verò hanc iteratam honorabilis vir Henricus Houius Sereniſsimæ C. V. Typographus ſolus à me impetrauit. Cùm enim primæ editionis exemplaria breui tempore diſtraxiſſet, rogare non deſtitit, vt editionem illam relegerē, &, ſi ita videretur, nouo aliquo augmento cōmendarem. Igitur, vt per occupationes licuit, tractatum relegi, quædam immutaui, quędam addidi; demum formulam examinis Confeſſariorum, quam in gratiam quorumdam Paſtorum, & Cōfeſſariorum ante aliquot annos ſcripſeram, ad calcem adieci. Cæterùm, cùm recepto

more nec iſta editio ſine præfixo patroni ſui nomine in lucem ire debeat, C. V. quæ primam ſui nominis ſplẽdore, auctoritateq́ue huc vſque ab omni iniuriâ tutata eſt, eam non deſeret, quin eò libentiùs, confidentiùsq́ue exornabit, quò non obſcurè vidit priorem Paſtoribus, ceterisq́ue diœceſis ſuæ Leodienſis Confeſſarijs gratam, acceptamq́ue fuiſſe. Accipe igitur, Sereniſsime Princeps, pro C. T. ſingulari benignitate hanc ſummæ voluntatis, & obſeruantiæ meæ ſignificationem, neque leuidenſe hoc munus, ſed animum ſpecta, eumq́ue iam diu C. T. ſeruitijs dedicatum, conſecratumq́ue ſolitâ beneuolentiâ complecti, & amare perge.

Leodij, Cal. Mart. 1603.

INDEX CAPITVM, QVÆSTIONVM, ET DIFFICVLTATVM VTRIVSQVE PARTIS HVIVS TRACTATVS.

PRIORIS PARTIS.

CAPVT PRIMVM.

DE Etymologia nominis Caſus, eius definitione, & diuiſione in ſubiectâ materiâ. pag.1.
Quæſtio 1. Quid in propoſito vocatur Caſus? pag.1.
Quæſtio 2. Quotuplex eſt Caſus? 2.
Difficultas vnica: An ſint ponendi aliqui caſus parochiales. 3.

CAPVT SECVNDVM.

De poteſtate reſeruandi caſus in foro conſcientiæ, quæ eſt in Summis Pōtificibus, & Epiſcopis. Eius vtilitate, & antiquo vſu in Eccleſiâ Dei. 4.
Quæſtio 1. An ſummi Pontifices, & Epiſcopi poſſint ſibi reſeruare aliquos caſus? 4.
Diff. vnica: An ſummi Pontifices, & Epiſcopi poſſint pro libitu quoſuis caſus ſibi reſeruare? 8.
Quæſtio 2. An expediat ſummum Pontificem, & Epiſcopos reſeruare ſibi aliquos caſus? 9.
Diff. vnica: An in Diœceſi Leodienſi hoc tempore expediat reſeruare aliquos caſus? 10.
Quæſtio 3. Reſeruatio caſuum fuitne ſemper in Eccleſia vſitata? pag.11.

CAPVT TERTIVM.

De poteſtate communicandi facultatem abſoluendi à reſeruatis, & qui ſint modi illam communicandi. 15.
Quæſtio 1. Poſſúntne ſummi Pontifices, & Epiſcopi poteſtatem abſoluendi à caſibus ſibi reſeruatis inferioribus Sacerdotibus communicare? 15.
Diff. 1. An Pœnitentiarij Romanæ curiæ poſſint facultates, quas habent abſoluendi à reſeruatis, alijs communicare? pag.17.

Diff.

*Diff.*2. Poſſuntne Pœnitentiarij in Cathedralibus iuxta præſcriptum Conc. Trid. aſſumpti communicare alijs facultatem abſoluendi à caſibus Epiſcopo reſeruatis? pag.18.
*Diff.*3. An delegati à ſummo Pontifice, Epiſcopis, Pœnitentiario ſummo, & alijs in Cathedralibus conſtittuis, poſſint vices ſuas alijs ſubdelegare? 20.
*Diff.*4. Decreretne ſummum Pontificem, & Epiſcopos per ſeipſos vacare caſibus conſcientiæ in confeſſione Sacramētali audiendis, & diſſoluendis? 20.
*Diff.*5. Expediretne hoc tempore, his in locis, multis communicare facultatem abſoluendi à reſeruatis? 21.
Queſtio 2. Quot modis communicatur facultas abſoluendi à caſibus reſeruatis? 21.
*Diff.*1. An per ratihabitionem, quam vocant, communicetur facultas abſoluendi à reſeruatis? pag.22.
*Diff.*2. An illis, quibus per diploma Pontificium, aut Iubileū, vel indulgentiam plenariam fit facultas eligendi, quē voluerint, Confeſſariū, qui à caſibus, & cenſuris abſoluat, liberum ſit eligere quemcumque ſimplicem Sacerdotem? 24.
*Diff.*3. An regulares Sacerdotes ſemel præſentati Epiſcopo, & per eū probati, & admiſſi, mortuo Epiſcopo, vel amoto poſſint eligi in Confeſſarios abſque aliâ approbatione? 25.
*Diff.*4. An etiam ipſi regulares, ſi fiant confratres Sāctiſſimæ Trinitatis, vel accipiant Bullam cruciatam, Iubileum, vel aliquod ſimile priuilegium, poſſint eligere Confeſſorem quemlibet, qui eos abſoluat à caſibus ſuperioribus reſeruatis abſque eorum licentia? pag.25.

CAPVT QVARTVM.

De poteſtate delegatorum per ſummos Pontifices, & Epiſcopos, ac alios circa reſeruata. pag.27.
Queſtio vnica. Habētne delegati omnimodam delegantiū poteſtatem abſoluēdi à caſibus, cenſuris, & alijs reſeruatis? 27.
Diff.1. prioris generis. Summus Pontifex quantas facultates cōcedere ſolet Pœnitentiarijs in Romanâ curiâ circa caſus, & alia ſibi reſeruata? pag.29.
*Diff.*2. An ſummus Pontifex concedens facultatem abſoluēdi à caſibus ſibi reſeruatis, nullâ factâ mentione cenſurarū, cēſeri

ſeri debeat ſimul dediſſe facultatem abſoluendi à cenſuris? pag. 30.

*Diff.*3. An in Iubileis, plenarijs indulgētijs, & ſimilibus gratijs concedens facultatem abſoluendi à quibuſcūque caſibus etiā Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, cēſeri debeat dare poteſtatem abſoluendi à reſeruatis in Bullâ cœnæ Domini. 30.

*Diff.*4. An ſummus Pōtifex in Iubileis, & ſimilibus gratijs cōcedens facultatem abſoluendi ab omnibus caſibus etiā in Bullâ cœnæ Domini reſeruatis, cēſeatur virtute taliū gratiarum dare facultatem abſoluendi ab hæreſi? pag.30.

*Diff.*5. Quid ſi ſummus Pōtifex in Iubileis, Indulgētijs plenarijs, & ſimilibus gratijs concedat, quod quis per eas abſolui poſſit ab omnibus cēſuris, caſibus, & pœnis, an cenſeatur conceſſiſſe facultatem diſpenſandi in irregularitate? 31.

*Diff.*6. Quando ſummus Pōtifex in Iubileis, & ſimilibus gratijs concedit facultatem diſpenſandi in omni irregularitate, an cenſeatur dare facultatem diſpenſandi in irregularitate incursâ per homicidium voluntarium? pag.31.

*Diff.*7. Quando ſummus Pontifex in Iubileo, vel ſimili gratiâ concedit facultatem diſpenſandi in votis, an cenſeri debeat dare facultatem eadem commutandi? pag.32.

*Diff.*8. An qui virtute Iubilei, vel ſimilis priuilegij Pōtificij habet auctoritatem cōmutandi vota, poſſit eâdem facultate iuramenta commutare, maximè eiuſdem materiæ? pag.33.

*Diff.*9. Cùm per iubilea, indulgētias plenarias, & alias ſimiles gratias, vt per Bullam S. Trinitatis (quā refert Nauarrus c. 27. Enchirid. nu. 263. Et per Bullam corrigiæ S. Auguſtini, cuius confraternitas ſita eſt in monaſterio S. Iacobi Bononiæ, & Bullam S. Mariæ in porticu conceſſam à S. Dominō noſtro Sixto 5. Et per bullam cruciatam pro Hiſpanis, & ſimiles alias complures vota poſſe commutari dicuntur, quæritur, quæ vota cenſeantur poſſe commutari? pag.33.

*Diff.*10. An per Bullas dictarum confraternitatum, & ſimiliū poſſint commutari vota illa tantùm, quæ quis emiſit ante ingreſſum in illas, an verò etiam illa, quæ quis poſt ingreſſum emiſerit? pag.34.

*Diff.*11. An per Bullas dictarum confraternitatum, & ſimilia priui-

priuilegia poſſit diſpenſari in voto continentiæ, quod quis ante, vel poſt matrimonium emiſit? pag.35.

*Diff.*12. An ſimiliter per ſupradictas bullas, & priuilegia poſſit diſpenſari cum illis, qui votum emiſerunt non nubendi? pag.35.

Diff. 13. An ſimiliter cum illo, qui votum emiſit ſuſcipiendi ſtatum, vel ordinem ſacerdotalem? pag.36.

Diff. 14. An ſimiliter cum illâ, quæ vouit aſſumere habitum beatarum apud Hiſpanos, vel apud nos, vulgato more loquendi, vouit viuere vitam ſpiritualem? pag.36.

Diff. 15. An ſimiliter per Iubilea, Indulgentias plenarias, & ſimiles gratias poſſit diſpenſari cum illo, qui emiſit votum pœnale caſtitatis, vel religionis, adimpletâ conditione. V. G. Voueo religionem ingredi, vel caſtitatem ſeruare, ſi ampliùs talem domum ſuſpectam ingreſſus fuero, vel ampliùs chartis luſero? pag.37.

*Diff.*16. An ſimiliter per Iubilea, & conſimiles gratias poſſint commutari vota, quæ iam aliàs fuerunt per poteſtatem habentem legitimè commutata? pag. 39.

*Diff.*17. An Confeſſor electus virtute Iubilei, aut ſimilis gratiæ teneatur pœnitentis vota commutare? pag.40.

Diff. poſt. prioris generis. Quid ſi aliquis in principio Iubilei confiteatur realiter, & verè, & cum intentione, & vero animo adimplendi omnia requiſita ad conſequendam indulgentiam, & abſoluitur ab omnibus caſibus, & cenſuris reſeruatis, & commutantur ei vota omnia, & ille mutato priori bono animo, vel aliquâ causâ iuſtâ, vel iniuſtâ impeditus non impleuit requiſita ad conſequēdam indulgentiam, putà non impleuit ieiunium, vel communionē, quæ præſcribitur in Iubileo, an talis reincidat in eaſdem cenſuras, & vota iam commutata. pag.40.

*Diff.*1.*poſt.generis.* Quantam cenſendi ſunt habere facultatem circa caſus, cenſuras, irregularitates, vota, iuramenta Epiſcopo reſeruata Pœnitentiarij, qui hodie iuxta præſcriptum Conc. Trid. in Cathedralibus conſtituuntur? pag.41.

*Diff.*2. Quādo Epiſcopus concedit alicui facultatem abſoluēdi à caſibus ſibi reſeruatis, an cenſeatur committere abſolutionem

tionem à cenſuris ſibi reſeruatis? pag.42.

*Diff.*3. An Epiſcopus concedens abſolutionem ab omnibus ſuis caſibus, & cenſuris cēſendus ſit concedere abſolutionem, vel diſpenſationem irregularitatum, votorum, iuramentorū, in quibus habet facultatem ipſe Epiſcopus? 42.

*Diff.*4. Quando Epiſcopus omnimodam ſuā facultatē in audiendis confeſſionibus alicui cōcedit, an cēſeri debeat cōcedere caſus ſibi iure communi, aut particulari, conſuetudine generali, aut particulari reſeruatos? pag.43.

*Diff.*5. Quando Epiſcopus concedit omnes ſuos caſus, an debeat cenſeri concedere caſus ſibi reſeruatos? pag.43.

*Diff.*6. An virtute priuilegiorum, quibus habetur; fratres ordinum mendicantium poſſe abſoluere quoſcumque, & vndecumque ad ſe venientes ab omnibus peccatis, & cenſuris, etiam Papæ à iure, vel ab homine reſeruatis, exceptis contentis in Bulla cœnæ Domini, poſſint illi hodie, promulgato Concilio Trid. à caſibus Epiſcopis de iure, vel conſuetudine reſeruatis, abſoluere? pag.44.

*Diff.*7. An ſaltem per priuilegium conceſſum per Clem. Dudum, de ſepulturis, poſſint religioſi abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis? pag.45.

*Diff.*8. An Cōfeſſarius, qui habet poteſtatem abſoluēdi à quibuſcumque caſibus, & cēſuris ex priuilegio, poſſit abſoluere ab excommunicatione latâ ab Epiſcopo per modū generalis ſententiæ. V.G Si Epiſcopus ſic ſtatuat, quicumque furtum fecerit, ſit excommunicatus? pag.46.

*Diff.*9. An, qui facultatem habet abſoluendi à caſibus reſeruatis ſuo Epiſcopo, poſſit abſoluere pœnitentem alterius Epiſcopatus, cum iuſſâ licentiâ ſibi conceſsâ à peccatis reſeruatis ſuo Epiſcopo? pag.46.

*Diff.*10. *Et poſtrema poſterioris generis.* An excommunicatione à Papâ, & Epiſcopo ſuper eodem caſu lata, ſublatâ Papali, ſit etiam ſublata Epiſcopalis, ita vt quilibet Cōfeſſarius ab illâ poſſit abſoluere? pag.47.

CAPVT QVINTVM.

De multitudine, & varietate caſuum Summo Pontifici, & Epiſcopis reſeruatorum. pag.48.

Quæſtio 1. Qni,& quot ſunt caſus Sūmo Pōtifici reſeruati? p.48.
Quæſtio 2. Qui,& quotuplices ſunt caſus Epiſcopis reſeruati? pag.58.
Diſ. vnica. An mortuo,vel amoto Epiſcopo Leodienſi, remaneant aliqui caſus reſeruati in Diœceſi? pag. 63.

CAPVT SEXTVM.

De quibuſdam regulis, quarum adiumento faciliùs cognoſcere poteſt Confeſſarius, an aliquid ſit caſus reſeruatus, necne? pag.63.
Quæſt. vnica. Súntne regulæ,quibus faciliùs,& rectiùs iudicari poſſit,num id,quod proponitur,ſit caſus reſeruatus? pag, 63,

CAPVT SEPTIMVM.

De articulo mortis,in quo ceſſat omnis reſeruatio. pag. 68.
Quæſtio vnica. An ſit aliqua reſeruatio in articulo mortis? 68.
Diff. 1. Quid in propoſito vocatur articulus mortis? pag.69.
Diff. 2. An ſit ex iure diuino, an humano, quod quiuis Sacerdos poſſit quemuis, à quibuſuis abſoluere in articulo mortis? pag.70.
Diff. 3. An Sacerdos ab Eccleſiâ præciſus maximè apoſtata à fide,vel hæreticus poſſit abſoluere in articulo mortis? p.70.
Diff. 4. An Sacerdos regularis abſque licentiâ ſui Superioris poſſit in articulo mortis,ſicut alij ſæculares Sacerdotes abſoluere? pag.71.
Diff. 5. An Sacerdos ſimplex, ſiue regularis, ſiue ſæcularis abſoluens in articulo mortis teneatur petere licentiam, ſi facilis ſit aditus ad Superiorem? pag. 71.
Diffic. 6. An abſolutus in articuló mortis per ſimplicem Sacerdotem à reſeruatis Superiori, ſi conualuerit debeat adire Superiorem,vt iterum abſoluatur? pag. 72.
Diff. 7. An ſimiliter ſimplex Sacerdos poſſit quemuis abſoluere à cenſuris,& peccatis in articulo mortis, hoc eſt, quādo incertum eſt,an homo euadet? pag.72,
Diff. 8. Quid faciet ſimplex Sacerdos,ſi in articulo, vel periculo mortis cœpit audire confeſſionem, & ſuperueniens Parochus nolit eam perfici, ſed ipſe velit confeſſionem audire,& abſoluere? pag. 73.
Diff. 9. *Et poſtr.* Quid ſi in ſimili articulo ante cœptā cōfeſſionē

Parochus,& alius ſimplex Sacerdos ſint præſentes, poteritne ſic vicinus morti eligere ſimplicem Sacerdotem in Cōfeſſarium,etiam fortè negatâ licentiâ à Parocho. pag.73.

CAPVT OCTAVVM.

De contritione,vel attritione requiſitâ, vel non requiſita in abſolutione à caſibus,vel cenſuris reſeruatis. pag.74.
Quæſtio vnica. Poſſúntne ſummi Pōtifices, Epiſcopi, Pœnitentiarij,vel horum delegati abſoluere irretitum caſu reſeruato,vel cenſurâ,qui neque contritus ſit,vel attritus. pag.74.
Diff. vnica. An maior contritio, vel attritio requiratur ad abſolutionem caſuum reſeruatorum,quàm non reſeruatorū? pag.75.

CAPVT NONVM.

De varijs modis confitendi caſus reſeruatos cum non reſeruatis. pag.76.
Quæſtio vnica. Cùm varij modi reperiantur apud Doctores cōfitendi caſus reſeruatos cum non reſeruatis, qui ſunt veri, & amplectendi? qui erronei,& fugiendi? pag.76.
Diff.1. An verum ſit,quod aſſerit Caietanus in ſummulâ verb. Confeſſio, Romæ morem eſſe, vt Pœnitentiarij Pontificis abſoluant tantùm à reſeruatis, & pro non reſeruatis mittant ad alios? pag.81.
Diff.2. An verum ſit,quod aſſerit Summa angelica, verb. confeſſio 1. §.7. habentem peccata reſeruata non peccare, ſi,ne ſcandaliſet Confeſſarium,cui ſolet frequentius confiteri, confiteatur illi ſolita tantùm,& nō reſeruata, tacens de reſeruatis cum intentione poſtea integrè confitendi illi, qui poteſt abſoluere ab omnibus? pag.81.
Diff.3. Quid ſi Superior nolit concedere facultatem alteri cōfitendi reſeruata,tenebitúrne pœnitens illi cōfiteri? pag.82.
Diff.4. Quid faciēdum ſi Superior abſens inferiori facultatē dederit, vt à caſibus ſibi reſeruatis pœnitentem aliquem abſoluat ſub eo modo, vt iterum ei confiteatur? pag.82.
Diff.5. Quid ſi pœnitens,obtentâ facultate à Superiore, fecit apud inferiorem confeſſionem inualidam. V.G. ſi fictè cōfeſſus fuit, tenebitúrne, ſi poſtea ritè confiteri velit,iterum facultatem à Superiore petere? pag.83.

Diff. 6. Quid ſi pœnitens habens multa reſeruata, inter confitendum Superiori fuerit vnius, vel alterius oblitus, poterítne poſtmodũ ab omnibus abſolui per Inferiorem, qui nullam habet facultatem abſoluendi à reſeruatis? pag. 83.

Diff. 7. Quid ſi pœnitens, qui à caſibus reſeruatis ſemel abſolutus eſt, velit poſtmodum confeſſionem generalem facere, poterítne confiteri illi, qui non habet facultatem abſoluendi à reſeruatis? 84.

Diff. 8. Quid ſi pœnitens in abſentiâ Superioris integrè fuit confeſſus Inferiori, & per eum abſolutus, tenebitúrne poſtmodum etiam integrè confiteri Superiori? 85.

Diff. 9. *& poſtrema.* Quid ſi pœnitens habens caſum reſeruatũ, cui annexa eſt cenſura excommunicationis reſeruata, confeſſus ſit Inferiori in abſentiâ Superioris, poterítne communicare in paſchate, aut celebrare, ſi ſit Sacerdos diebus feſtis, & dominicis, maximè ſi immineat periculum infamiæ, niſi communicet, aut celebret? 85.

CAPVT DECIMVM.

De formis abſolutionum à cenſuris, excommunicatione, ſuſpenſione, interdicto, caſibus reſeruatis, & pœnâ abſoluentium ſine iuſtâ poteſtate. 86.

Quæſtio. 1. Quâ formâ abſoluendus, qui incurrit excommunicationem ſiue maiorem, ſiue minorem? 86.

Diff. 1. An ſit neceſſarium ſolennitates præmittere abſolutioni à maiori excommunicatione? 90.

Diff. 2. An abſolutio ab excommunicatione debeat neceſſariò præmitti abſolutioni à peccatis? 91.

Diff. 3. An quis poſſit abſolui ab excommunicatione, nullo peccato, nutu, aut voce confeſſo? 91.

Diff. 4. An virtute iubilei, indulgentiarum, & ſimilium gratiarum quis poſſit abſolui ab excommunicatione, & reliquis cenſuris extra confeſſionem Sacramentalem? 92.

Diff. 5. An valeat abſolutio ab excommunicatione data ſub conditione? 92.

Diff. 6. Quid ſi delegatus abſoluat ab excommunicatione, non ſeruatâ conditione præſcriptâ, an abſolutio valeat? 93.

Diff. 7. An ſimplex Sacerdos, qui poteſt abſoluere à venialibus

ſecundum communem, poſſit abſoluere à minori excommunicatione, quæ incurritur ſolum propter venialia, vel propter participationem cũ excõmunicato in ciuilibus. 94.
Diff. 8. An, qui abſoluitur ab excommunicatione reſeruata in articulo mortis ab eo, qui de iure non poterat ab illa abſoluere, teneatur, ſi conualeſcat, iterum cõfiteri, & abſolui. 94.
Diffic. 9. *Et poſtrema.* An excommunicatus poſſit abſolui poſt mortem? pag. 95.
Quæſtio 2. Qua forma abſoluendus, qui incurrit cenſuram ſuſpenſionis? pag. 96.
Quæſtio 3. Qua forma vtẽdum in abſolutione ab interdicto. 97.
Quæſtio 4. Qua forma vtendum in abſolutione à caſibus reſeruatis? 98.
Diffic. vnica. Quid ſi caſus reſeruatus, vt frequenter fit, ſit publicus, & deductus ad forum contentioſum, & pœnitens petit abſolui in confeſſione Sacramentali, quid obſeruare debet Confeſſarius? pag. 99.
Quæſtio 5. Qua forma diſpenſatur in irregularitatibus? 101.
Quæſtio 6. Qua forma abſoluendi ſunt, qui habent confeſſionalia, vt vocant, ſiue indulgentias? pag. 102.
Quæſtio 7. Qua forma abſolutionis vtendum tempore Iubilæi, aut plenariarum indulgentiarum? pag. 103.
Quæſtio 8. *Et poſtrema.* Quæ eſt pœna abſoluentium à caſibus, aut cenſuris reſeruatis ſine iuſta poteſtate? pag 104.
Diffic. vnica. Quid agendum illi, qui abſoluit à caſu, vel cenſura, à qua non habuit facultatem abſoluendi? pag. 105.

CAPVT VNDECIMVM.

De diſpenſatione, commutatione, & irritatione votorum. pag. 108.
Quæſtio vnica. Qua forma diſpenſantur, commutantur, vel irritantur vota? pag. 109.

CAPVT DVODECIMVM.

De canonibus pœnitentialibus, qualitate, & quantitate ſatisfactionum in Sacramento pœnitentiæ pro reſeruatis. 115.
Quæſtio 1. Qui ſunt canones pœnitentiales. pag. 116.
Diff. 1. An canones pœnitentiales concernant forum conſcientiæ.

entiæ, an verò forum externum. pag.124.
Diff. 2. An in pœnitentijs iniungendis neceſſum ſit ſequi canones pœnitentiales. 127.
Quæſtio 2. Quales iniungendæ pœnitentiæ pro reſeruatis. 127.
Quæſtio 3. Quantæ ſunt imponendæ pœnitentiæ in foro conſcientiæ pro caſibus reſeruatis. pag.128.
Quæſtio 4. An in foro conſcientiæ poſſit imponi pœnitentia publica. pag. 131.
Quæſtio 5. An pœnitentiam à Superiore, putà Epiſcopo, Vicario, aut Pœnitentiario in foro conſcientiæ impoſitam Parochus, aut alius ſimplex Confeſſarius mutare, aut relaxare poſſit. pag.133.

CAPVT DECIMVM-TERTIVM, ET POSTREMVM.

De modis loquendi, quibus violatur, vel non violatur ſigillũ confeſſionis Sacramentalis, quando conſultandum, vel reſcribendum eſt ſuper aliquo caſu reſeruato. 134.
Quæſtio vnica. Quibus modis loquendi, conſultandi, reſcribẽdi violatur, vel non violatur ſigillum confeſſionis. 134.
Diff. vnica. An Superior per notitiam, quam habet ex confeſſione, poſſit ſuper criminibus in eâ auditis inquirere, & ſubditos ſuos caſtigare. 139.

INDEX CAPITVM, QVAESTIONVM, ET DIFFICVLTATVM, POSTERIORIS PARTIS.

CAPVT PRIMVM.

DE Hæreſi, primo caſu Epiſcopo Leodienſi reſeruato. pag.141.
Quæſtio 1. Quid hæreſis, & quotuplex? *ibid.*
Diff. vnica. An conuenienter enumeretur hæreſis inter caſus Epiſcopo Leodienſi reſeruatos? 144.
Quæſtio 2. Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum. 146.
Quæſtio 3. Quæ ſunt obſeruanda circa confeſſionem, & abſolutionem hæretici pœnitentis? 151.
Diff. vnica. An ſigillum confeſſionis obliget Confeſſarium in

caſu hæreſcos. pag.160.

CAPVT SECVNDVM.

De Apoſtaſia ſecundo caſu reſeruato 162.
Quæſtio 1. Quid, & quotuplex Apoſtaſia? *ibid.*
Diffic. vnica. Quis cenſetur habitus clericalis? 168.
Quæſtio 2. Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum. 169.
Quæstio 3. Quæ obſeruanda circa confeſſionem,& abſolutionē apoſtatæ pœnitentis. pag.170

CAPVT TERTIVM.

De homicidio voluntario tertio caſu reſeruato. 173.
Quæſtio 1. Quid, & quotuplex homicidium, & quæ hominis occiſio eſt licita, vel illicita? 173.
Diffic.1.prior.generis. An licitum ſit ſeipſum occidere? 180.
*Diffic.*2. An liceat alicui interficere ſeipſum intentione ſaltem ſecundariâ? 184.
*Diff.*3. An liceat bibere venenū, quādo à iudice quis dānatus eſt,vt venenum bibat,vel in ignem ingredi,vel ex ſcalâ,aut monte exſilire,quando quis morti ſic adiudicatus eſt. 184.
*Diff.*4. An licitum ſit permittere ſe occidi. 185.
*Diff.*5. An liceat aggredi illa, in quibus imminet probabile periculum mortis. 187.
Diff. 1. *ſecundi generis.* An priuatâ auctoritate liceat occidere peccatorem. 187.
Diff. 2. An liceat priuatæ perſonæ occidere tyrannum. 188.
Diff. 3. An liceat marito vxorem in adulterio deprehenſam occidere? 188.
Diff. 4. An liceat cuicumque proſcriptos, ſiue bannitos, aut diffidatos, quos vocant, interficere? 189.
Diff. 5. An priuatæ perſonæ liceat occidere alium pro neceſſariâ ſuæ vitæ defenſione. 190.
*Diff.*6. An liceat præueniendo occidere inſidiatorem? 194.
*Diff.*7. An in defenſione liceat intendere mortem inuaſoris, pag. 195.
Diff. 8. An liceat alium occidere pro neceſſariâ defenſione vitæ proximi. pag.196.
*Diff.*9. An liceat alium occidere pro neceſſariâ rerum temporalium defenſione. 197.

Diff.

Diff. 10. An liceat occidere furem, vel latronem cum rebus temporalibus iam fugientem. pag. 199.
Diff. 11. An etiam Clericis liceat pro rebus temporalibus alium occidere. 200.
Diff. 12. An liceat alium occidere pro defenſione honoris. 201.
Diff. 13. An etiam Clericis liceat honoris defendendi gratiâ alium occidere. 201.
Diff. 14. An liceat alium occidere pro recuperando honore. pag. 202.
Diff. 15. An liceat alium occidere auctoritate publicâ. 202.
Diff. 16. An nullo modo Clericis publicâ auctoritate fungentibus liceat alios occidere? 203.
Diff. 17. An liceat publicæ poteſtati alium occidere, omiſſo ordine iuris. 204.
Diff. 18. An liceat alium occidere in bello. 205.
Diff. 19. An licitum ſit alium occidere in duello. 210.
Diff. 20. An, qui caſu aliquem occidit, peccet, & qualiter. 211.
Queſtio 2. Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum. 213.
Queſtio 3. Quæ ſunt obſeruanda circa confeſſionem, & abſolutionem homicidæ pœnitentis. 217.
Diff. 1. An homicida poſſit ſatisfacere pro vitâ ablatâ, & quomodo, & quibus. 221.
Diff. 2. An homicida teneatur reſtituere hæredibus occiſi dãna ex homicidio ſecuta. 222.
Diff. 3. An homicida propter homicidium extremo ſupplicio affectus teneatur etiam ſoluere prædicta damna. 223.
Diff. 4. Si homicida in vita non ſatisfecerit pro damnis prædictis, tenebiturne in conſcientiâ illius hæredes pro illo ſatisfacere. 223.
Diff. 5. An ad prædicta damna ſoluenda teneatur etiam ille homicida, qui alium occidit ſe defendendo quidem, ſed cũ exceſſu moderaminis inculpatæ tutelæ, ſi exceſſus ſit mortalis. 223.
Diff. 6. An homicida teneatur reſtituere ſumptus ſepulturæ occiſi. 224.
Diff. 7. Quibus hæredibus facienda damnorum prædictorum reſtitutio. 224.

Diff. 8. *Et poſtrema.* Quis poteſt diſpenſare in irregularitate per homicidium incurſâ. 225.

CAPVT QVARTVM.

De iniectione manus in parentes quarto caſu reſeruato. 228.
Quæſtio 1. Quid nomine Parentum, deinde quid nomine manus hoc loco intelligitur. 228.
Quæſtio 2. Qui incurrunt hunc caſum, vel non incurrunt. 231.
Quæſtio 3. Quæ ſunt obſeruanda circa confeſſionem, & abſolutionem inijcientis manus in parentes. pag. 233.

CAPVT QVINTVM.

De machinatione in mortem coniugis quinto caſu reſeruato. pag. 234.
Quæſtio 1. Quid nomine machinationis hôc loco intelligitur. pag. 234.
Quæſtio 2. Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum. 235.
Quæſtio 3. Quæ ſunt obſeruanda circa confeſſionem, & abſolutionem machinantis in mortem coniugis. 237.

CAPVT SEXTVM.

De veneficio ſexto caſu reſeruato. 240.
Quæſtio 1. Quid veneficium. *ibidem.*
Quæſtio 2. Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum? 241.
Quæſtio 3. Quæ obſeruanda circa confeſſionem, & abſolutionem venefici pœnitentis. 244.

CAPVT SEPTIMVM.

De maleficio ſeptimo caſu reſeruato. 245.
Quæſtio 1. Quid, & quotuplex maleficium. 245.
Diff. 1. Quæ poſſunt dæmones ſcire. 250.
Diff. 2. Quæ poſſunt dæmones facere ſiue per ſe, ſiue per maleficos circa hominis animam. 252.
Diff. 3. Quid poſſunt dæmones ſiue per ſe, ſiue per maleficos circa hominum corpora. 256.
Diff. 4. Quid poſſunt dæmones ſiue per ſe, ſiue per maleficos circa res hominum externas. 268.
Diff. 5. Quare Deus permittit dæmonibus, & maleficis poteſtatem nocendi hominibus. 269.
Diff. 6. Quibus remedijs licet vti ad tollenda maleficia, & quibus non. 272.
Quæſtio 2. Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum. 276.

Quæ-

Quæſtio 3. Quæ obſeruanda circa contritionem, confeſſionem, & abſolutionem malefici. 279.

CAPVT OCTAVVM.

De incantatione octauo caſu reſeruato. 281.

Quæſtio 1. Quid incantatio. *ibidem.*

Diff. vnica. An liceat hodie Sacerdotibus quibuſcũque per verba ſacra benedicere homines infirmos, bruta animantia, equos, vaccas, & ſimilia ad ſanitatem recuperandam. 286.

Quæſtio 2. Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum. 288.

Quæſtio 3. Quæ obſeruanda circa contritionem, confeſſionem, & abſolutionem incantatoris pœnitentis. 290.

CAPVT NONVM.

De procuratione aborſus nono caſu reſeruato. 292.

Quæſtio 1. Quid aborſus, & quis dicitur procurare aborſum. pag. 292.

Diff. 1. Eſtne licitum ad conſeruandum alicuius puellæ prægnantis honorem aborſum fœtus ſaltem informis procurare. pag. 294.

Diff. 2. An liceat ſaltem pro cõſeruatione vitæ mulieris prægnantis fœtum excutere, præcipuè ſi iudicio medicorum illa verſetur in certo mortis periculo. 295.

Diff. 3. Quid faciet adoleſcentula, quæ procurauit aborſum, parenteſque hoc ſuſpicantes volunt illam ſuo Parocho cõfiteri, & communicare, & ſi hoc renuat, tanquam certiſſimũ delicti indicium hoc habentes illam perimere decreuerũt, poteritne per illum abſolui, & permitti, vt communicet, vt ipſius vita ſaluetur. pag. 295.

Diff. 4. & poſtrema. Quæ eſt pœna procurãtium aborſum. 296.

Quæſtio 2. Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum. 301.

Quæſtio 3. Quæ obſeruanda circa confeſſionem, & abſolutionẽ procurantis aborſum. 305.

CAPVT DECIMVM.

De prolis oppreſſione decimo caſu reſeruato. 307.

Quæſtio 1. Quid prolis oppreſſio. *ibidem.*

Quæſtio 2. Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum. 312.

Quæſtio 3. Quæ obſeruanda circa contritionem, confeſſionem, & abſolutionem opprimentis prolem. 314.

CAPVT VNDECIMVM.

De ſtupro, ſiue violentâ virginis deſloratione vndecimo caſu reſeruato. 316.
Quæſtio 1. Quale ſtuprum hôc loco reſeruatur. 316.
Diff. 1. An ſtuprum ſit ſpecies luxuriæ ab alijs diſtincta. 318.
Diff.2. An puella virgo, quæ ſeipſam primò polluendo veneream experitur delectationem, committat ſtuprum. 321.
Diff.3. An vir cognoſcens puellam contaminatam priùs per pollutionem, carne tamen adhuc integram, & conſignatam, committat peccatum ſtupri. 322.
Quæſtio 2. Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum. 322.
Quæſtio 3. Quæ obſeruanda circa contritionem, confeſſionem, & abſolutionem ſtuprantis virginem. 325.
Diff.1. Ad quid tenetur ſtuprator virginis. 329.
Diff.2. An ad aliquam reſtitutionẽ è diuerſo teneatur illa, quæ aſſeruit ſe fuiſſe ſtupratam à quodam nobili, & eâ ratione extorſit ingentem aliquam dotem, ſi illa verè ſtuprata non fuit, cùm antè ab alio corrupta fuiſſet. 332.

CAPVT DVODECIMVM.

De raptu duodecimo caſu reſeruato. 233.
Quæſtio 1. Quid raptus hôc loco? 233.
Diff.1. An omnis raptus impediat matrimonium contrahendum. 336.
Diff.2. An inter raptorem, & raptam poſſit conſtare matrimonium. 337.
Quæſtio 2. Qui incurrunt hunc caſum, vel non incurrunt. 338.
Quæſtio 3. Quæ obſeruanda circa confeſſionem, & abſolutionẽ raptoris. 341.

CAPVT XIII.

De matrimonio contracto poſt votum caſtitatis, aut in gradu prohibito ſcienter, vel priore adhuc vxore viuente, decimo tertio caſu reſeruato. 343.
Quæſtio 1. Quale peccatum contrahere matrimoniũ poſt emiſſum votum caſtitatis. 344.
Diff.1. An peccet, qui poſt votum caſtitatis matrimonium contrahit animo ingrediendi religionem, ante illius conſummationem. 346.

Diff.

Diff. 2. An periculum mortis temporalis ſit iuſta cauſa diſpenſandi cum illo, qui votum caſtitatis emiſit, vt contrahere poſſit. 347.

Diff. 3. Quid dicet Paſtor aut Confeſſarius, ſi poſt emiſſum votum ſimplex caſtitatis aliquis petat, an valiturum ſit matrimonium, ſi contraxerit. 348.

Diff. 4. Quid faciet, qui poſt votum caſtitatis contraxit. 348.

Quæstio 2. Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum. 350.

Quæstio 3. Quæ obſeruanda circa confeſſionem, & abſolutionē contrahentis matrimonium poſt votum caſtitatis. 353.

Quæstio 4. Quale peccatum contrahere matrimonium in gradu prohibito ſcienter. 354.

Diffic. vnica. Quot ſunt gradus, quibus prohibetur matrimoniū contrahi. 355.

Quæſtio 5. Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum. 368.

Quæſtio 6. Quæ ſunt obſeruanda circa confeſſionem, & abſolutionem contrahentis ſcienter in gradu prohibito. 371.

Diff. vnica. An nulliter coniugati, qui in gradibus prohibitis cognationis, vel affinitatis ſcienter, vel ignoranter cōtraxerunt poſſint abſolui interim, dum expectant diſpenſationē abſque ſeparatione. 372.

Quæstio 7. Quale peccatum ſcienter contrahere matrimonium, priore vxore adhuc viuente. 373.

Diff. 1. Quid ſi vxor putetur mortua, poteritne maritus, tutâ cōſcientiâ, cum aliâ contrahere. 375.

Diff. 2. An tutâ etiam conſcientiâ poterit cognoſcere ſecundā vxorem, ſi fortè incipiat dubitare de vitâ prioris. 377.

Diff. 3. Quid faciet maritus, ſi, contracto altero matrimonio, intelligat certò priorem vxorem viuere. 378.

Diff. 4. Quid ſi maritus, cùm putaret vxorem ſuam viuere, & reuera mortua eſſet, acceperit ſecundam, an ſubſiſtat matrimonium. 379.

Quæstio 8. Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum. 379.

Quæstio 9, *& poſtrema.* Quæ obſeruanda circa confeſſionem, & abſolutionem contrahentis matrimonium, priore vxore viuente. 382.

CAPVT XIIII.

De incæſtu cum conſanguineis, aut cum virgine ſacra, ſeu moniali profeſſa.
Quæſt. 1. Quid incæſtus, an omnis hoc loco reſeruetur. 383.
Quæſtio 2. Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum. 389.
Quæſtio 3. Quæ obſeruanda circa confeſſionem, & abſolutionẽ committentis incæſtum cum conſanguinea, vel virgine ſacra, ſiue moniali profeſſa. 391.
Diff. 1. An poſſit abſolui filiusfamilias, qui rem habet cum ſua conſanguinea in domo illius habitante, vel frater, qui rem habet cum ſorore, vel cognatus cum ſua cognata. 393.
Diff 2. An Epiſcopus vigore capituli, liceat Epiſcopus ſeſſ. 24. Conc. Trid. poſſit abſoluere illum, qui ingreſſus ſepta monaſterij cum virgine ſacra, ſiue moniali profeſſa commiſit incæſtum, ſi, vt ferè eſt, caſus ſit occultus. 394.

CAPVT XV.

De concubitu contra naturam, putà Sodomia, & eius generis grauioribus criminibus decimo quinto caſu reſeruato. pag. 395.
Quæſtio 1. Quid, & quotuplex peccatum contra naturam, & quæ ſpecies peccati contra naturam hoc loco reſeruantur. 395.
Quæſtio 2. Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum. 403.
Quæſtio 3. Quæ ſunt obſeruanda circa confeſſionem. & abſolutionem Sodomitarum, & huiuſmodi peccantium contra naturam 405.
Diffic. vnica, An poſſit abſolui Clericus occultus ſodomita, qui beneficium, vel dignitatem, vel officium Eccleſiaſticum habet abſque dimiſſione. 406.

CAPVT XVI.

De falſitate circa monetam decimo ſexto caſu reſeruato. 408.
Quæſtio 1. Vnde moneta, & quid falſitas circa monetam. 408.
Diffic. 1. An, qui monetam aliàs iuſtam in ſubſtantia, & pondere priuata auctoritate cudit ſub charactere Principis, teneatur ad reſtitutionem. 411.
Diffic. 2. An cudens monetam minoris iuſto ponderis, quia priùs cuderat iuſto exuberantioris, teneatur ad reſtitutionẽ. pag. 412.

Diff.

*Diffic.*3. An Princeps, vel Reſpublica teneatur ad reſtitutionem, ſi maiorem imponat monetis valorem, quàm ſit pondus, & materia. 412.
*Diffic.*4. An falſarius monetæ, vel eius hęres teneatur reſtituere Principi, vel alijs damnum paſſis, ſi à Principe cōprehenſus, vt frequentiùs fieri ſolet, extremo afficiatur ſupplicio. 413.
Quæſtio 2. Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum. 414.
Quæſtio 3. Quæ ſunt obſeruanda circa confeſſionem, & abſolutionem falſificantis monetam. 418.

CAPVT XVII.

De falſitate circa litteras alicuius Prælati inferioris Papâ decimo ſeptimo caſu reſeruato. 419.
Quæſtio 1. Quid falſitas hôc loco, & quæ falſitas circa litteras commiſſa hoc loco reſeruatur. 419.
Quæſtio 2. Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum. 422.
Quæſtio 3. Quæ obſeruanda circa confeſſionem, & abſolutionem falſificantis litteras Prælati. 425.

CAPVT XVIII.

De ſolemni periurio decimo octauo caſu reſeruato. 426.
Quæſtio 1. Quid, & quotuplex periurium, & quale hoc loco reſeruatur. 426.
Diff. 1. An periuriū aſſertorium poſſit excuſari à mortali propter ignorantiam, locum, metum, inanimaduertentiā. 433.
Diff. 2. An cenſendus ſit periurus, qui iurat verum ſecundum ſuam intentionem, falſum autem ſecundum intentionem deferentis iuramentum. 435.
Diff. 3. An ſemper cenſendus ſit periurus, qui nō præſtat, quod iureiurando promiſit. 436.
Diff. 4. *& poſtrema.* An ſemper cenſendus ſit periurus, qui non implet manum, quod iureiurando comminatus eſt. 439.
Quæſtio 2. Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum. 440.
Quæſtio 3. Quæ obſeruanda circa confeſſionem, & abſolutionē ſolemniter peierantis. 443.
Diff. 1. An teſtatus aliquid eſſe verum neſciens illud eſſe tale, ſed credens cuipiam illud affirmanti teneatur reſtituere illud, quod ob id condemnatus ſoluit, ſi ſit falſum. 444.
Diff. altera. An teſtis, qui in iudicio legitimo interrogatus ſuper crimine, ob quod bona publicari debēt, negat veritatem, te-

neatur

neatur reſtituere fiſco id, quod ad eum perueniret, ſi reus damnaretur? pag. 444.

CAPVT XIX.

De blaſphemiâ publicâ, & enormi in Deum, aut Sanctos decimo nono caſu reſeruato.

Quæſtio 1. Quid blaſphemia, & an omnis hoc loco reſeruetur? 445.

Quæſtio 2. Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum? 452.

Quæſtio 3. Quæ obſeruanda circa confeſſionem, & abſolutionem publicè & enormiter blaſphemantis? 454.

Diff. vnica. Quo ſenſu dicitur Mathæi 12. blaſphemiam in filium hominis remitti poſſe, blaſphemiam verò in Spiritum ſanctum remitti non poſſe neque in hoc, neque in futuro ſæculo? 455.

CAPVT XX.

De inſigni contumeliâ illatâ Sacroſanctæ Euchariſtiæ, aut ſacris Sanctorum reliquijs vigeſimo caſu reſeruato. 456.

Quæſtio 1. Quid contumelia, & an omnis contumelia illata Sacroſanctæ Euchariſtiæ, aut ſacris Sanctorum reliquijs hôc loco reſeruetur. 456.

Quæſtio 2. Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum. 462.

Quæſtio 3. Quæ obſeruanda circa confeſſionem, & abſolutionē contumelioſè tractantis ſacram Euchariſtiam, aut ſacras Sanctorum reliquias? 464.

CAPVT XXI.

De abuſu Sacroſanctæ Euchariſtiæ, aut ſacrarum reliquiarum, vel etiam ſacræ ſcripturę ad exercitium artium magicarum. 465.

Quæſtio 1. Quale peccatum adhibere ſacroſanctam Euchariſtiam, vel ſacras reliquias, vel ſacram ſcripturam ad artem magicam exercendam? 465.

Diff. 1. An ſacroſancta Euchariſtia, & alia Eccleſiæ Sacramenta ad exercitium artium magicarum adhibita aliquam vim habeant ad effectus mirabiles, quos magi patrare ſolent, producendos? 467.

Diff. 2. Quare Deus permittit dæmonem tam turpiter res diuinas, & ſacroſancta Eccleſiæ Sacramenta per magos deturpari

pari? 469.
Quæſtio 2. Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum. 470.
Quæſtio 3. Quæ obſeruanda circa confeſſionem, & abſolutionẽ abutentis ſacroſanctâ Euchariſtiâ, aut ſacris reliquijs, aut ſacris ſcripturæ verbis ad artes magicas. 471.

CAPVT XXII.

De caſibus quibuſcumque occultis ſedi Apoſtolicæ reſeruatis. Item excommunicatione, ſuſpenſione, & irregularitate ex his prouenientibus, quorum abſolutio, vel diſpenſatio Epiſcopis, & Vicarijs per eos ad id ſpecialiter deputandis per Conc. Trid. permittitur, vigeſimo ſecundo, & vltimo caſu reſeruato. 472.
Quæſtio 1. Quis caſus cenſeri debet occultus; & quid excommunicatio, ſuſpenſio, irregularitas? 473.
Quæſtio 2. Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum? 476.
Quæſtio 3. Quæ obſeruanda circa confeſſionem, abſolutionẽ, & diſpenſationem incurrentium hunc caſum? 476.
Diff. 1. Si occultus Symoniacus in beneficijs obtineat abſolutionem ab Epiſcopo, vel eius Vicario, aut Pœnitentiario ab excommunicatione, & Symonia vigore facultatis per Conc. Trid. illis conceſſæ, poteritne deinceps tutâ cõſcientiâ beneficium ſic acquiſitum retinere? 479.
Diff. 2. Si occultè ſuſpenſus ab exercitio ordinis, quia ſacros ordines ſuſcepit ante iuſtam ætatẽ, abſoluatur vigore eiuſdẽ facultatis à ſuſpẽſione, & peccato, poteritne deinceps vigore illius abſolutionis miniſtrare in ordine ſuſcepto? 479.

Tractatus breuis de caſibus reſeruatis Regularium Prælatis. Authore F. Petro à Sancto Audomaro, aliàs à VValoncappelle, inſtituti D. Benedicti in Monaſterio montis D. Guinoci Priore.

Tractatus breuis de caſibus in genere reſeruatis. Auctore R. P. Paulo Layman Societatis IESV Theologo. Ex eius morali

ſali Theologiâ depromptus. Ijs, qui totum hoc volumen legere nequeunt per otium vtilis, & opportunus. 518.

Binæ partes Synodales pro caſibus reſeruatis idiomate gallico. Prior continet caſus ab omni æuo reſeruatos Epiſcopo Lugdunenſi, Galliæ Primati; Poſterior eorundem ſeriem Epiſcopo Pariſienſi reſeruatam. 541.

FINIS INDICIS.

PRIORIS PARTIS TRACTATVS DE CA-
ſibus reſeruatis argumentum.

PRior pars huius tractatus generatim reſoluit quæſtiones, & difficultates, quæ oriri poſſunt circa ſacras confeſſiones eorum, qui inciderunt in caſus reſeruatos, & reuocari poteſt ad ſeptem partes præcipuas.

Prima aperit rationes cognoſcendi, An id quod proponit pœnitens ſit caſus reſeruatus, nec ne: id enim in hâc materiâ primo loco diligenter inquirendum, neque leuiter in iudicãdo præcipitanda ſententia eſt; Diſſeritur de hâc parte 1. c. vbi definitur, quid ſit caſus, & quotuplex. 5. vbi de multitudine, & varietate caſuum Summo Pontifici, & Epiſcopis reſeruatorum agitur. 6. vbi regulæ proponuntur ad intelligendam reſeruationem vtiles, & neceſſariæ. Et 7. vbi de articulo mortis diſputatur, in quo ceſſat omnis reſeruatio.

Secunda, docet Summos Pontifices, & Epiſcopos poſſe caſus ſibi reſeruare; Diſputatur de hac, 2. c. & 3. vbi oſtenditur eoſdem facultatem abſoluendi à reſeruatis poſſe Sacerdotibus inferioribus communicare. 4. vbi de poteſtate horum ſubdelegatorum vtiliſſimè, & latiſſimè diſſeritur.

Tertia, An attritio, vel contritio neceſſaria ſit habenti caſum reſeruatum. c. 8.

Quarta, qualiter, & cui confiteri debet, qui incurrit caſum reſeruatum cum non reſeruato. c. 9.

Quinta, quales, & quantę ſatisfactiones imponendę in foro cõſcientię pro caſibus reſeruatis. c. 10. vbi etiam agitur de canonibus pœnitentialibus; an forum conſcientiæ concernant, & an neceſſarium ſit illos ſequi in ſatisfactionibus iniungendis.

Sexta; quibus verborũ formis vtendum in abſolutione impendenda. c. 10. vbi traduntur formæ abſoluendi ab excõmunicatione, ſuſpenſione, interdicto, caſibus reſeruatis, & quę ſit pœna abſoluentium ſine iuſta poteſtate. & 11. Vbi obiter agitur de diſpenſatione, commutatione & irritatione votorum.

Vltima, quibus modis ſeruari poſſit ſecretum ſacrę confeſſionis, vbi conſultandum de caſu difficiliori. cap. 13. vbi clarè proponuntur varij modi loquendi, quibus violatur, vel non violatur ſigillum confeſſionis, quando deliberandum, vel reſcribendum eſt de aliquo caſu reſeruato.

Poſte.

Poſterior ſpeciatim explicat quæſtiones, & difficultates, quę enaſci poſſunt circa confeſſiones eorum, qui inciderũt in caſus Epiſcopo Leodienſi reſeruatos.

Porrò omnes quæſtiones, & difficultates, quæ per viginti duo capita huius poſterioris partis pertractantur, ad ſex quæſtiones reuocari poſſunt.

Prima, quid ſit, quod ſingulis capitibus reſeruatur; diligentiſſimè enim ſunt examinanda verba reſeruationis, ne, quod facilè fieri poſſet, putetur caſus reſeruatus, qui non eſt.

Secunda, An caſus, qui reſeruatur ſit genus, an ſpecies, & hoc propter confeſſionem, quia non ſufficit confiteri genus, ſed oportet in confitendo deſcendere vſque ad ſpeciem, quam dialectici vocant ſpecialiſſimam.

Tertia; An caſus annexam habeat cenſuram excommunicationis reſeruatam, & cui; quia ſine præuiâ abſolutione ab illâ pœnitens à caſu abſolui non poteſt.

Quarta, An caſus ſit huiuſmodi, ad cuius attritionem, vel contritionem ſit neceſſarium deſerere occaſionem propinquam peccati; vt ferè ſunt illæ ſpecies luxuriæ, quæ reſeruari ſolent.

Quinta, An caſus habeat annexã obligationẽ reſtitutionis, quia ſine illâ, vel illius propoſito cõfitens abſolui non poteſt.

Poſtrema, An per illum incurratur irregularitas, in quâ debeat cum pœnitente diſpenſari.

Ad has ſex, omnes, & ſingulæ quæſtiones, & difficultates, quas per 22. capita pro explicatione caſuũ Epiſcopo Leodienſi reſeruatorum proponimus, rediguntur. Neque te moueat, quod in ſingulis capitibus tres tantùm quæſtiones formentur, quia in illis tribus, ſex hîc notatæ ſufficienter indicantur, & reſoluuntur.

PRIORIS

PRIORIS PARTIS
TRACTATVS
DE CASIBVS RESERVATIS,

In qua generatim proponuntur, & reſoluuntur omnes penè quæſtiones, & difficultates, quæ occurrere poſſunt circa ſacras confeſſiones illorum, qui inciderunt in caſus reſeruatos.

CAPVT PRIMVM.
De Etymologia nominis caſus, eius definitione, & diuiſione in ſubiecta materia.

QVAESTIO PRIMA.
Quid in propoſito vocatur caſus?

CASVS, ſi Etymologiam nominis ſpectes, à cadendo dicitur, & prima ſignificatione ruinam ſignificat, Iuxta illud Curtij, *Caſu rhadæ inopinato oppreſſus.* Trãsfertur verò à diuerſis ad diuerſa ſignificanda; à Grammaticis ad ſignificandas formas vocabulorum, quibsu in aliam, atque aliam cadunt effigiem; hinc nominatiuus Caſus alius eſt à genitiuo; ab Oratoribus, & Poëtis, ad ſignificãdam calamitatem, & miſeriam, per quam quis cadit à ſtatu fœliciori, Iuxta illud Virgilij 2. Æneid. *Sed ſi tantus amor caſus cognoſcere noſtros.* à Philoſophis, ad ſigni-

ficandum inopinatū euentum: à Iuriſperitis ad ſignificandam omnē quæſtionem de iure propoſitam: à Theologis ijs præſertim, qui moralē Theologiam profitentur, dupliciter trāsfertur: primò, generaliter, & minus propriè ad ſignificādam omnē quæſtionē de moribus, ſiue pertineat ad peccata, ſiue ad cenſuras, ſiue ad vota, aut iuramēta diſpēſanda, vel relaxanda, ſiue ad quodcunque aliud, quod ad mores, aut cōſcientiā ſpectat: Secundò, ſpecialiter & magis propriè, ad ſignificādum peccatū, quo quis cadit à rectitudine virtutis: quâ in ſignificatione principaliter intendimus loqui de caſibus in hoc tractatu.

Reſolutoriè ergo reſpondendū, quòd Caſus in ſubiectâ materiâ, eſt peccatū, quo quis à rectitudine virtutis cadit. Nauar. cap. 27. nu. 151. & 259. Syluester & alij Summiſtæ verb. Caſus.

Ex præmiſſis infertur neque cenſuras excōmunicationem, ſuſpēſionem, interdictū; neque irregularitatem, neque vota, neque iuramenta propriè loquēdo poſſe dici Caſus, quamuis cōmuniter loquendo caſus appellari ſolēt, & magnam cum illis affinitatem habeant: Non cenſuras, quia non ſunt peccata, ſed pœnæ peccatorum: Nō irregularitatem, quia neque illa peccatum eſt, ſed impedimentum quoddam, propter quod homines ab ordine ſacro ſuſcipiēdo, vel à miniſtrando in illo iam ſuſcepto, arcētur: Poſtremò, non vota, neque iuramēta, quia ſimiliter non ſunt peccata, ſed potiùs actus virtutis: Quæ ſingula, tanquā certa Theologis, & Canonicis, aliter modò non probo.

QVAE-

QVAESTIO SECVNDA.

Quotuplex eſt Caſus?

DVPLEX; reſeruatus, & non reſeruatus. Non reſeruatus dicitur peccatum ad cuius abſolutionẽ iuriſdictio inferioribus Sacerdotibus conceditur: Reſeruatus ad cuius abſolutionem non conceditur inferiori Sacerdoti iuriſdictio neceſſaria.

Reſeruatus ſubdiuiditur in Papalẽ, & Epiſcopalẽ. Papalis dicitur peccatũ ad cuius abſolutionẽ Sũmus Põtifex, neq; Epiſcopis, neque Parochis, aut alijs inferioribus Sacerdotibus cõcedit iuriſdictionem neceſſariã. Epiſcopalis ad cuius abſolutionẽ Epiſcopus iuriſdictionem ſuis Parochis, aut alijs inferioribus non communicat.

Veritas harũ diuiſionum elicitur ex eo, quod Sũmus Põtifex, in quo omnis iuriſdictio Eccleſiaſtica reſidet, nõ ſoleat communicare Epiſcopis, aut alicui alteri omnimodã ſuã iuriſdictionẽ; neq; Epiſcopi ſuis Parochis, aut alijs inferioribus Sacerdotibus, vt infrà latiùs oſtẽdemus.

Difficultas vnica: An ſint ponẽdi aliqui Caſus Parochiales?

Reſpondendũ, de iure, aut conſuetudine nullos Caſus Paſtoribus reſeruari; poſſe tamẽ illos, ſi ſub ſe habeant alios Sacerdotes, Caſus ſibi reſeruare. Prior pars manifeſta eſt: Poſterior probatur, quia ratione officij Paſtoralis, habent iuriſdictionẽ ordinariã; poſſunt ergo illã cõmittere ſimplicibus Sacerdotibus approbatis iuxta formam Conc. Trident. ſiue integrè, ſiue limitatè, vt poſtea fiet manifeſtũ. v. G. Eſt aliquis Paſtor, qui pro amplitudine Parochiæ ſuæ habet

plures Sacellanos, quibus onus audiendarum confeſſionum debet committere, poterit ille perſonas quaſdam, putà Patresfamilias, vel etiã peccata quædam, putà cõcubinatus, furta, adulteria, & ſimilia, quæ Parochiæ ſuæ ſcit eſſe nociua, reſeruare. Non ideò tamen erit inſufficiẽs diuiſio Caſus reſeruati per nos ſuperiùs aſſignata, quia ad eam ſaluandam, ſatis eſt, vti iam diximus, de iure, aut conſuetudine nullos Caſus Parochis reſeruari.

CAPVT SECVNDVM.

De poteſtate reſeruandi Caſus in foro conſcientiæ, quæ eſt in Summis Pontificibus, & Epiſcopis: Eius vtilitate, & antiquo vſu in Eccleſia Dei.

QVAESTIO PRIMA.

An ſummi Pontifices & Epiſcopi poſſint ſibi reſeruare aliquos Caſus?

PRo huius quæſtionis reſolutione, & aliarum multarum, quæ de hâc materiâ poſtmodum tractabuntur, præſupponenda ſunt duo:

Primùm, Summum Pontificem accipere immediatè à Deo iuriſdictionem in omnes Chriſti-fideles deriuandam, tanquam ex fonte quodam in omnes alios Eccleſiæ miniſtros, quos ipſe in partem ſollicitudinis aſſumpturus eſt. Probatur hoc fundamentum verbis Chriſti ad

Petrum, Ioannis 21. cap. *Paſce oues meas*, iuxta interpretationem communem, & receptam ab omnibus qui de primatu Petri catholicè ſcripſerunt. Vide Gelaſ. epiſt. ad Epiſcopos Dardan. Nicol. epiſt. ad Mich. habentur c. fin. & pen. 9. quæſt. 3. Bonif. VIII. extrau. cuncta per mundū. Turrecre. lib. 2. Summæ c. 54. & ſequen. Catharin. opuſculo de reſidētia. Tapperum art. 3. pag. 135. Sylueſt. Indulg. §. 5. Caiet. Tract. 1. de auctoritate Papæ, c. 2. Vict. relect. 2. de poteſtate Eccleſiæ, q. 2. Et ex Patribus probat Bellarm. lib. 4. de Rom. Pont. c. 24.

Secundùm, Epiſcopos, dum à Pontifice maximo inſtituuntur, accipere ab eo iuriſdictionem, limitatam quidem, ſufficientem tamen ad regendas, & gubernandas Eccleſias illis concreditas. Probatur, Actuum 20. cap. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei.*

His ita ſuppoſitis, reſpondendum eſt, Pontificem maximū in vniuerſa Eccleſia, & Epiſcopos in ſuâ quemque Diœceſi, poteſtatem habere reſeruandi ſibi aliquos Caſus. Probatur hæc reſolutio argumentis euidentiſſimis:

Primò, reſeruare Caſus non eſt aliud, quàm non communicare iuriſdictionē inferiori quoad illos: Sed Pōtifex maximus, & Epiſcopi hoc poſſunt, ergo, &c. Maior ex ſuperioribus, & ex priori fundamento facilè elici poteſt: Minor probatur, nam ſi omnimodam ſuā iuriſdictionem inferioribus quibuſcumque Eccleſiæ miniſtris indifferenter concederent, periret ex ea

parte Eccleſiaſtica Hierarchia, & ordo, quem tantoperè in nobis commendat D.Paulus: Non eſſet etiam Eccleſia tanquam acies caſtrorum optimè ordinata: Neque ſicut corpus, in quo aliud caput, aliud manus, aliud pedes, aliud oculi, ſed omnia eſſent caput, manus, pedes, oculi.

Deinde probatur argumento ſumpto à ratione boni regiminis: Fateri enim debemus Chriſtum Dei ſapientiam cõſtituiſſe in Eccleſia optimũ regimen; Ratio verò boni regiminis poſtulat, vt cauſſæ grauiores grauiori iudicio ſubdantur: poſſunt ergo, imò debent Summi Pontifices, & Epiſcopi ſuo iudicio reſeruare quædã grauiora, & atrociora crimina, & non omnia cuiuſuis Sacerdotis arbitrio relinquere.

Præterea, hoc ipſum fit manifeſtum ex facto ipſius Moyſis, Exodi 18.cap. *Qui elegit viros ſapientes, & timentes Deum; & conſtituit alios quidẽ Tribunos, alios Centuriones, alios Quinquagenarios, & Decanos, qui iudicarent populum in minoribus cauſſis, difficiliores, & grauiores ad ſe referrent*: Poterunt ergo hoc ipſum Summi Pontifices, & Epiſcopi.

Quartò, probatur idem verbis Chriſti, qui rogatus à Petro quoties peccãti fratri remitteret, An ſepties? Mirabiliter reſpondit, *Non dico* (inquit) *ſepties, ſed ſeptuagies ſepties.* Quo reſponſo, ait Innocẽtius de Natali Petri, & Pauli grande inſinuauit myſterium, nimirum quod pleniſſima poteſtas dimittendi quæcunque peccata, penes Petrum, & eius ſucceſſores ſolum maneret.

Poſtremò, confirmatur hæc veritas auctoritate Cõc. Trid. quod ijdem ex ijſdem fundamentis

tis clariſſimè, & grauiſſimè definit, Seſſ. 14. de Sacramento pœnitentiæ cap. 7. his verbis. *Pontifices maximi pro ſupremâ poteſtate ſibi in vniuersâ Eccleſiâ traditâ cauſſas aliquas criminum grauiores ſuo poſſunt particulari iudicio reſeruare; Neque dubitandum eſt, quando omnia, quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, quin hoc idem Epiſcopis omnibus, in ſuâ cuique Diœceſi in ædificationem tamẽ, non in deſtructionem, liceat, pro illis in ſubditos traditâ, ſupra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate.* Et idem Conc. eadem Seſſ. can. 11. dicit Anathema illis, qui dixerũt Epiſcopos non habere poteſtatem reſeruandi ſibi caſus in foro conſcientiæ.

Non obſtat prædictis, ſi dicas omnes Sacerdotes in ſuâ ordinatione accipere poteſtatem remittendi peccata in foro conſcientiæ, quæ cũ ſit diuina, ab homine tolli, aut minui nõ poteſt: Non poſſe ergo Summos Põtifices, aut Epiſcopos peccata quædam ſoli ſuo iudicio reſeruare; Quia reſponderi poteſt ex communi ſententia Theologorum, ad Sacramentum pœnitentiæ, in quo per Sacerdotes peccata remittuntur, iuriſdictionem eſſe neceſſariam: abſolui enim, aut ligari non poteſt niſi ſubditus; Quare licet omnes Sacerdotes æqualem accipiant poteſtatẽ ligandi, & ſoluendi in ſua conſecratione, quia tamen non ſimul accipiunt iuriſdictionem, nõ poſſe vti poteſtate ordinis ad ſoluendum, & ligandum, niſi à ſuperioribus communicatâ ſibi poteſtate iuriſdictionis, quâ ſubditi illis deſignentur, quos ligent, aut ſoluant.

Si replices Sacerdotes contra prohibitionem ſuperioris baptizantes, & conſecrantes verè

baptizare, & conſecrare, ergo etiam ſi abſoluant, nulla iuriſdictione à ſuperiore obtentâ, verè abſoluere; Negatur conſequentia, quia ad abſoluendum in Sacramento pœnitentiæ de eſſentiâ requiritur vſus iuriſdictionis, non item ad baptizandum, vel conſecrandum.

Difficultas vnica; An Summi Pontifices, & Epiſcopi poſſint pro libitu quoſuis Caſus ſibi reſeruare? Reſpondendum; Primò, procul dubio poſſe pro arbitratu ſuo quoſuis reſeruare. Si tamen eorum arbitriū non reguletur iuxta leges prudētiæ, charitatis, & iuſtitiæ, habito reſpectu, tum ad qualitatem, & numerum caſuum reſeruandorum, tum ad qualitates ſuorum ſubditorum, in quorum vtilitatem caſus reſeruari debent, grauiter peccare. Prior pars patet ex fundamentis ſuprà poſitis: Poſterior probatur, quia data eſt ſuperioribus poteſtas in ædificationē, nō in deſtructionē.

Secundò, temerarios eſſe illos, qui audent aſſerere Summum Pontificem nimis multos reſeruare Caſus in Bulla Cœnæ Domini, & alijs conſtitutionibus. Similiter & illos, qui dicunt Epiſcopos nimis multos Caſus reſeruare in ſuis ſtatutis prouincialibus, aut ſynodalibus: Illos quoque, qui dicunt non oportere in Belgio, & vicinis locis Caſus aliquos reſeruare, cuius cōtrarium vidēt facere paſſim omnes Epiſcopos. Ratio eſt, quia non eſt particularis hominis, aut Doctoris iudicare de actibus Summi Pōtificis, & Epiſcoporū maximè in ſe bonis; Vetat hoc ſcriptura quando dicit: *Non aperies os in cœlum*, & alibi: *Principi populi tui non maledices.* In hac parte

lapſi

apſi ſunt quidam Doctores noſtri temporis, quos honoris cauſſa non nomino.

Tertiò, poſito caſu, quòd Summus Pontifex, & Epiſcopi nimis multos Caſus reſeruarēt, aut tales reſeruarent, quorum reſeruatio nō expediret ſaluti ſubditorum, nihilominus valere reſeruationem, nec ab illis ſic reſeruatis poſſe inferiores Sacerdotes abſoluere. Ratio eſt, quia ſicut ex ſupradictis manifeſtum eſt, nulla poteſt eſſe abſolutio abſque iuriſdictione, quæ in his caſibus à ſuperioribus non communicatur: Eſt contra Summam Angelicam, Quā benè refutat Syluester verbo Cōfeſſ. 3. nu. 5. & Ruardus Tapperus Doctor Louanienſis celeberrimus, in explicatione articulorum Louanienſium art. 3.

QVAESTIO SECVNDA.

An expediat Summum Pontificem, & Epiſcopos reſeruare ſibi aliquos Caſus?

HVic quæſtioni reſpondet luculenter Conc. Trid. Seſſ. 14. de Sacramento pœnit. cap. 7. His verbis, *Magnoperè ad populi Chriſtiani diſciplinam pertinere ſanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, vt atrociora quædam, & grauiora crimina, non à quibuſuis, ſed à Summis duntaxat Sacerdotibus abſoluerētur.* Probatur hæc reſolutio, & explicatur; nam hac ratione fideles à grauioribus criminibus deterrentur, & ab illis ſe continent, metuētes ſubire examen & ſententiam Summi Pontificis, Epiſcoporum, & aliorum grauium, & doctorū Confeſſariorum, quos ſciūt non niſi maturo iudicio illorū crimina expenſuros, & non niſi reſciſſis occaſionibus, & condignâ indictâ

pœnitentiã, beneficiũ abſolutionis impẽſuros.

Deinde ſi fortè quiſpiam in graue aliquod crimen labatur, vt eſt humanæ naturæ per peccatum deprauatæ imbecillitas, hâc ratione velut per expertos magis, & ſapiẽtiores medicos, promptius, certius, & efficacius remedium adhiberi poteſt. *Vide Parochiale Leodienſe de Sacramento pœnit: Rubrica de caſibus Epiſcopo reſeruatis.*

Poſtremò cõfirmatur hæc reſolutio ex diſciplina, quæ inter Chriſtianos viguit tẽpore primitiuæ Eccleſiæ, & deinceps aliquot ſæculis; Quamdiu enim ſanctiſſimi illius tẽporis Patres rigorem antiquorum canonum ſeruauerunt, quibus & crimina grauiora iudicio ſuperiorum reſeruantur, & certæ pœnitentiæ præfiguntur, floruit ſãctitate, & innocẽtia vitæ Eccleſia Dei: illis verò ſenſim remiſſiùs agentibus, perijt innocentia, & plurima ſcelera primùm in Eccleſiam inuecta, deinde etiam tolerata ſunt. Expedit ergo, &c.

Difficultas vnica: An in Diœceſi Leodienſi hoc tẽpore expediat reſeruare aliquos caſus? Qui veniunt in hanc opinionem nõ expedire hoc tẽpore, vt Epiſcopo Leodienſi aliqui caſus reſeruentur, videntur ſimiles illis medicis, qui de valetudine ægroti, quem curandum ſuſceperunt, deſperant. Sicut enim hi, quia naturæ vires in ſuo ęgroto poſtratas vidẽt, miſerum hominem vel puero gubernandum committere audẽt, qui quiduis illi ſumẽdum indifferẽter concedat; Ita illi, quia perſuaſum habent perquam difficilem, ne dicã impoſſibilem, in hominibus noſtratibus morum mutationẽ, remedia aliàs maximis morbis cu-

ſidis efficaciſſima illis adhibere non curāt, ſed quiduis ægrotis hominum animis inſtillandum per imperitos quoſque animorũ medicos permittunt. Quod meo iudicio nõ facerent, ſi prudētiâ, & charitate chriſtianâ rem metientes aduertere vellēt quāta morũ reformatio in Diœceſi Leodienſi à promulgato Conc. Trid. in omni ſtatu, ſed maximè Eccleſiaſtico ſecuta fuit; nunquam promotam fuiſſe Epiſcoporum, & Nunciorum Apoſtolicorũ bonis conatibus per criminum reſeruationes, cenſuras Eccleſiaſticas, & cõſimiles criminum pœnas, quis addubitat?

Reſolutoriè ergo huic difficultati reſpõdendum videtur, expedire vt Epiſcopus Leodiēſis, ſicut & alij vicinarũ Diœceſium Epiſcopi, bonâ ſpe de ſubditorum ſuorum emēdatione cõceptâ, eorum curam non cuiuis indifferēter cõmittant, ſed quo maiores, & difficiliores ſunt animorum morbi, eo maiori ſtudio curent periciores, & ſapientiores adhibere medicos.

QVAESTIO TERTIA.

Reſeruatio caſuum fuit-ne ſemper in Eccleſia vſitata?

NON ſolùm noſtro ſæculo, ſed etiam primis Eccleſiæ temporibus frequens fuit reſeruari Pontificibus max. & Epiſcopis abſolutiones, & pœnitentias aliquorũ grauiorum criminum.

De noſtro ſæculo probatur; nam Summus Pontifex in proceſſu cœnæ Domini, qui quotannis die Iouis ſancto Romæ publicari ſolet, varia hominũ genera propter diuerſa crimina excõmunicat, earumque excõmunicationum abſo-

pœnitentiã, beneficiũ abſolutionis impẽſuros.

Deinde ſi fortè quiſpiam in graue aliquod crimen labatur, vt eſt humanæ naturæ per peccatum deprauatæ imbecillitas, hâc ratione velut per expertos magis, & ſapiẽtiores medicos, promptius, certius, & efficacius remedium adhiberi poteſt. *Vide Parochiale Leodienſe de Sacramento pœnit: Rubrica de caſibus Epiſcopo reſeruatis.*

Poſtremò cõfirmatur hæc reſolutio ex diſciplina, quæ inter Chriſtianos viguit tẽpore primitiuæ Eccleſiæ, & deinceps aliquot ſæculis; Quamdiu enim ſanctiſſimi illius tẽporis Patres rigorem antiquorum canonum ſeruauerunt, quibus & crimina grauiora iudicio ſuperiorum reſeruantur, & certæ pœnitentiæ præfiguntur, floruit ſãctitate, & innocẽtia vitæ Eccleſia Dei: illis verò ſenſim remiſſiùs agentibus, perijt innocentia, & plurima ſcelera primùm in Eccleſiam inuecta, deinde etiam tolerata ſunt. Expedit ergo, &c.

Difficultas vnica: An in Diœceſi Leodienſi hoc tẽpore expediat reſeruare aliquos caſus? Qui veniunt in hanc opinionem nõ expedire hoc tẽpore, vt Epiſcopo Leodienſi aliqui caſus reſeruentur, videntur ſimiles illis medicis, qui de valetudine ægroti, quem curandum ſuſceperunt, deſperant. Sicut enim hi, quia naturæ vires in ſuo ęgroto poſtratas vidẽt, miſerum hominem vel puero gubernandum committere audẽt, qui quiduis illi ſumẽdum indifferẽter concedat; Ita illi, quia perſuaſum habent perquam difficilem, ne dicã impoſſibilem, in hominibus noſtratibus morum mutationẽ, remedia aliàs maximis morbis cu-

rādis efficaciſſima illis adhibere non curāt, ſed quiduis ægrotis hominum animis inſtillandum per imperitos quoſque animorū medicos permittunt. Quod meo iudicio nō facerent, ſi prudētiâ, & charitate chriſtianâ rem metientes aduertere vellēt quāta morū reformatio in Diœceſi Leodienſi à promulgato Conc. Trid. in omni ſtatu, ſed maximè Eccleſiaſtico ſecuta fuit; quam promotam fuiſſe Epiſcoporum, & Nunciorum Apoſtolicorū bonis conatibus per criminum reſeruationes, cenſuras Eccleſiaſticas, & cōſimiles criminum pœnas, quis addubitat?

Reſolutoriè ergo huic difficultati reſpōdendum videtur, expedire vt Epiſcopus Leodiēſis, ſicut & alij vicinarū Diœceſium Epiſcopi, bonâ ſpe de ſubditorum ſuorum emēdatione cōceptâ, eorum curam non cuiuis indifferēter cōmittant, ſed quo maiores, & difficiliores ſunt animorum morbi, eo maiori ſtudio curent peritiores, & ſapientiores adhibere medicos.

QVAESTIO TERTIA.

Reſeruatio caſuum fuit-ne ſemper in Eccleſia vſitata?

NON ſolùm noſtro ſæculo, ſed etiam primis Eccleſiæ temporibus frequens fuit reſeruari Pontificibus max. & Epiſcopis abſolutiones, & pœnitentias aliquorū grauiorum criminum.

De noſtro ſæculo probatur; nam Summus Pontifex in proceſſu cœnæ Domini, qui quotannis die Iouis ſancto Romæ publicari ſolet, varia hominū genera propter diuerſa crimina excōmunicat, earumque excōmunicationum abſo-

abſolutionem ſibi reſeruat; idemque facit quotidie in alijs conſtitutionibus, & Bullis, quales noſtro tempore plurimas promulgârunt nouiſſimi 4. aut 5. Pontifices, Sixtus 5. Gregorius 13. Pius 5. Pius 4. Paulus 4. Idem quoque faciunt Epiſcopi quique in ſuâ diœceſi, vt patet ex ſtatutis ſynodalibus, officialibus libris, & parochialibus ſingularum diœceſum. De Epiſcopo Leodienſi cõſtat ex ſtatutis ſynodalibus Leodij editis anno Domini 1492. in quibus cap. 4. De pœnitentiâ & cõfeſſione ſic habes: *Presbyteri reſeruent Epiſcopo maiora peccata, vtputa homicidia, ſacrilegia, incendia, peccata contra naturam, cõcubitum perſonarum conuentualium, in ſacris ordinibus conſtitutarum, inceſtus videlicet cum conſanguineâ vel affine, vel cum eâ quæ votum caſtitatis emiſit, iniectiones manuum in parẽtes, oppreſſiones paruulorum, negligentias parentum in igne, vel aquâ natos amittentium, veneficia, periuria ſolemnia, fidei fractiones, votorum tranſgreſſiones, ſimoniam, adulteria manifeſta, hæreſes, apoſtaſias, maleficia earũ, quæ malefaciunt, coniuges ne poſſint coire, vel quæ procurant ſterilitatem, vel aborſum, falſarios, qui litteras, vel ſigillum, vel monetam falſant: In his mittant Præsbyteri ad Epiſcopum abſoluendos, nec abſoluant eos ſine licentiâ ſpeciali, vel niſi in articulo mortis.*

Neque hæc reſeruatio per ſtatuta anno Domini 1548. ſub Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo D. D. Georgio ab Auſtria Leodienſi Epiſcopo renouata, ſublata fuit, quod quibuſdam videri poſſet, ſed ſolum facultas ab illis abſoluendi pluribus, quàm hactenus factum fuerat, pro ratione illius temporis fuit cõmunicata; vt patet

ex §. de conceſſâ abſoluendi auctoritate à caſibus Ordinario reſeruatis; ſi benè verba perpendantur.

Noſtro tempôre, anno Domini 1591. cùm Reuerendiſſimus, & Illuſtriſſimus D. D. Erneſtus à Bauariâ ſimiliter Leodienſis Epiſcopus, pluribus ſacræ Theologiæ peritis viris commiſiſſet, vt inſpectis diuerſarum & præcipuè vicinarum diœceſum libris ea deligerent, quæ ad rectam Sacramẽtorum adminiſtrationem pertinerent, aduerterunt illi hanc caſuum reſeruationem ad debitum Sacramenti pœnitentiæ vſum ita pertinere, vt nullatenus omitti poſſet. Quare nonnullos caſus Epiſcopo Leodienſi iudicârunt reſeruandos. Vide Parochiale iuſſu, & auctoritate eiuſdem Reuerendiſſimi, & Illuſtriſſimi D. nuper in lucem editum de Sacramento pœnitentiæ, rubrica *De caſibus Epiſcopo reſeruatis.*

Quod ſuperioribus ſæculis vſque ad prima Eccleſiæ tempora, hæc ipſa caſuum reſeruatio vſitata fuerit, conſtat primò ex decretis Pontificum, ex antiquiſſimis canonibus pœnitentialibus, ex ſcriptis antiquorum Doctorum ſcholaſticorum, Alexãdri Halenſis in ſumma theologica, Alberti magni, D. Thomæ, D. Bonauenturæ, Richardi, & aliorum, qui ſuper 4. ſenten. diſt. 17. de caſuum reſeruatione diſputârunt.

De primis Eccleſiæ temporibus luculentum eſt teſtimonium apud D. Cyprianum Carthaginenſis Eccleſiæ Epiſcopum, Epiſtolâ preſbyteris, & diaconis directâ, quæ incipit: *Miror vos fratres*; In quâ mandat Chriſtianos idololatrare

trare coactos coram ſeipſo exomologeſim facere, & pœnitere, aſſerens eos non poſſe aliter pœnitentiam agere, niſi forte neceſſitate mortis præuenti, ad ſe venire non poſſent, quo caſu, vt cuicunque Sacerdoti confiteantur, concedit; Cuius verba, quia maximè præſentem quæſtionem dilucidant, ſubijciam. *Occurrendum* (inquit) *puto fratribus noſtris. ſ. idololatrare coactis, vt qui libellos à martyribus acceperunt, ſi incommodo aliquo, aut infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectent præſentiam noſtram, ſed apud Presbyterum quemcunque exomologeſin facere delicti ſui poßint, vt manu eis pœnitentiâ impoſitâ, veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres cum litteris ad nos factis deſiderauerunt.*

Ex quibus verbis clarè patet D. Cyprianum ſibi ipſi extra mortis periculũ reſeruaſſe abſolutionem criminis immolationis Idolorum, etiam metu mortis factæ. Hinc eſt quod in libello exhortationis ad lapſos grauiter obiurgat Sacerdotes illos, qui eos ad Sacramentum Euchariſtiæ ſuſcipiebant, qui apud eum exomologeſim peccati ſui non fecerant: *Spretis* (inquit) *omnibus, atque contemptis, ante expiata delicta, ante purgatam conſcientiam ſacrificio, & manu Sacerdotis, ante offenſam placatam indignantis Domini vis infertur corpori eius, & ſanguini, plus modò in Domini manu, atque ore delinquunt, quàm cùm Dominum negauerũt.* Et poſt pauca: *Ceterùm ſi quis præproperâ feſtinatione temerarius remißionem ſe dare cunctis poſſe putat, aut audet Domini præcepta reſcindere, non tantùm nihil prodeſt, ſed obeſt lapſis, prouocâſſe eſt enim ad iram, non ſeruaſſe ſententiam.*

Aliud antiquitatis teſtimonium non minus cele-

celebre eſt in Hiſtorijs Eccleſiaſticis, Hiſtoriâ tripartitâ Caſſiodori lib. 9. c. 30. Theodoreti l. 5. c. 7. Sozomeni lib. 7. c. 23. & 24. quibus narratur D. Ambroſium Mediolanenſis Eccleſiæ Epiſcopum excommunicâſſe Theodorum Imperatorē ob iniuſtas cædes, per eum in vrbe Theſſalonica patratas, eiusque peccati pœnitentiā, & vinculi ſolutionem ita ſibi reſeruâſſe, vt nullus inferiorum ſacerdotum Imperatorem Eccleſiæ reconciliare auderet. Refert hoc exemplum in huius doctrinæ confirmationem Waldenſis de Sacramentis cap. 144.

Aliud teſtimonium habet vetuſtiſſimus ſcriptor Origenes hom. 10. ſuper lib. Numer. Quo loco dicit pœnitentem indigere quandoque nō ſolum ſacerdote, ſed etiam Epiſcopo. Ad idem propoſitum refert hunc locum Sotus ſuper lib. 4. ſent. diſt. 28. q. 2. art. 3. Ad ſecundum argumentum.

CAPVT TERTIVM.

De poteſtate communicandi facultatem abſoluendi à reſeruatis, & qui ſint modi illam communicandi.

QVAESTIO PRIMA.

Poſſunt-ne Summi Pontifices, & Epiſcopi poteſtatem abſoluendi à caſibus ſibi reſeruatis inferioribus ſacerdotibus communicare?

Pos-

POSSVNT procul dubio: Ratio eſt certa, & euidens, quia ipſi ſunt ordinarij, cùm ex officio iuriſdictionem habeant, & curam animarum: Summus Pontifex quidem, totius orbis, Epiſcopi verò quiſque ſuæ diœceſis; ſed ordinarij modò non fuerint à iure prohibiti, poſſunt facultatem, quam habent, alijs ſacerdotibus approbatis, & à iure non impeditis committere, vt habet communis opinio ſecundum Panor. in rubricam de officio delegati, Armillam, verbo, delegare, & alios: ergo, &c.

Probat hoc ipſum vſus vniuerſalis Eccleſiæ: & confirmatur, quia niſi hoc fieri poſſet, cederet in maximum Chriſtianorum detrimētum; ſunt enim ordinarij ſæpenumero vehementer impediti, ita vt non ſint omnium confeſſionibus audiendis pares, iam ſi ad abſoluendum ab huiuſmodi caſibus non liceret aſſumere vicarios, multi paſſim interirent ſine ſacramentali abſolutione.

Dixi in reſolutione, Primò, *Niſi ordinarij fuerint à iure prohibiti*; quia nominatim excommunicati, & manifeſti clericorum percuſſores, non poſſunt vices ſuas alijs committere; nam huiuſmodi commiſſio requirit vſum iuriſdictionis: Illi autem etſi iuriſdictionem habeant, nō tamen eius vſum. cap. Romana de officio Vicarij, lib. 6.

Dixi ſecundò, *Sacerdotibus approbatis*; quia nouiſſimè Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 15. ſtatuit neminē poſſe confeſſiones audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale beneficium, aut ab

pſis

ipſis Epiſcopis per examen, aut aliàs, approbetur, & idoneus iudicetur.

Quod confeſſio facta Sacerdoti non approbato ſit nulla, & iteranda definiuit ſacra congregatio Cardinalium ad interpretationem Conc. Trid. deputatorum, ad petitionem Reuerendorum D.D. Examinatorum Diœceſis Leodienſis, Anno 1580.

Quibus modis Epiſcopus approbare ſoleat Sacerdotes ſiue ſæculares, ſiue regulares; & an approbatio tribuat iuriſdictionem; Deinde, an approbatio fieri poſſit pro vno loco, & non alio, hoc eſt pro vnâ parochiâ, & non aliâ; inſuper, an Epiſcopus poſſit approbationem ad breue, aut longum tempus concedere; & illam pro libitu reuocare: conſule Summam Theologiæ moralis Henriques de Sacram. Pœnit. lib. 3. c. 6. §. 3. & 9.

Dixi tertiò, *Et à iure non impeditis*, quia Sacerdotibus excommunicatis, vel ſuſpenſis eiuſmodi facultas committi non poteſt, cùm illam prohibeantur exercere.

Difficultas prima, An Pœnitentiarij Romanæ curiæ poſſint facultates, quas habent abſoluendi à reſeruatis, alijs communicare?

Nota primò, Romæ vnum eſſe Summum Pœnitentiarium, & plures, quos vocant maiores.

Secundò, illos facultatibus inter ſe differre, nam Summus habet poteſtatem ceteris longè ampliorem, & quaſi papalem, non ſolum in caſibus, ſed etiam in abſolutiônibus excommunicationum, & diſpenſationibus votorum,

& iuramentorum: Maiores verò Pœnitentiarij habent poteſtatem quaſi Epiſcopalem; abſoluunt enim illi vndecumque venientes ab omnibus peccatis, & cenſuris Epiſcopis reſeruatis. Anton. 1.p. Summæ confeſſ.c. 14.

His prænotatis, dicendum, Summum Pœnitentiarium poſſe facultates ſuas alijs communicare, reliquos verò non poſſe. Ita Paludanus in 4. Sent. diſt. 17. q. 4. Ratio diuerſitatis eſt, quia ille eſt ordinarius, hi verò non; cuius ſignum euidens eſt, quod hic conſtituit Pœnitentiarios, & ſumit coadiutores, quos vult: illi verò non faciunt. Deinde hic dat facultatem eligendi confeſſorem, illi non; Quæ omnia probat praxis & ſtylus Romanæ curiæ.

Difficultas ſecunda: Poſſunt-ne Pœnitentiarij in Cathedralibus iuxta præſcriptum Conc. Trid. aſſumpti communicare alijs facultatē abſoluendi à caſibus Epiſcopo reſeruatis?

Intellectus huius difficultatis præſupponit duo. Primùm, Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c.8. quædam ſtatuiſſe circa Pœnitentiarium in Cathedrali, putà quod is ſit Doctor, vel Licentiatus in Theologiâ, vel iure Canonico: deinde quòd audiat confeſſiones omnium ad ſe venientium ex Diœceſi; quod quidem licet Concilium ſuprà expreſsè non dicat, ſatis tamen innuit, quando dicit, *dum confeſſiones in Eccleſia audit, præſens in choro cenſeatur*, loquitur enim proculdubio de Cathedrali; & non eſt maior ratio, quare vnus de Diœceſi poſſit confiteri Pœnitentiario in Cathedrali, quàm alius. dat igitur Conc. facultatem vnicuique de Diœceſi confitendi Pœnitētiario in Cathedrali. Poſtremò, quod huic

officio vnita eſt vna præbenda, vel vnienda ex præbendis ipſius Eccleſiæ Cathedralis.

Alterum præſuppoſitum eſt, quod quamuis Conc. Trid. expreſsè non det facultatem Pœnitentiario præfato abſoluendi à caſibus Epiſcopo reſeruatis, vt patet legēti Conc. Trid. iam tamen paſſim vſu receptum eſt, vt Pœnitentiarius in Cathedrali quaſi ex officio ab illis abſoluat in foro interiori pœnitentiæ.

His præſuppoſitis, reſpondendum probabiliter, Pœnitentiarios in Cathedrali poſſe concedere alijs facultatem, quam habent, abſoluendi à caſibus Epiſcopo reſeruatis. Ratio eſt, quia videntur ordinarij in foro conſcientiæ, cùm habeant præbendam, cui vnitum eſt officium audiendi confeſſiones, & abſoluendi à caſibus reſeruatis Epiſcopo, vt præſupponimus: ſecus eſſet, ſi Pœnitentiarij in Cathedrali non haberent officium præbendæ vnitum, ſed ex ſolâ commiſſione viuæ vocis Epiſcopi audirent confeſſiones, qui illam pro libitu reuocaret: tunc enim non ordinarij, ſed potiùs Vicarij amouibiles eſſent iudicandi, quales de iure non poſſunt ſuam facultatem alteri committere. Colliguntur hæc ex Paludano in 4. ſent. diſt. 17. q. 4. & Antonino 1. p. ſummæ confeſſ. c. 5. Conſulo tamen Pœnitentiarijs Eccleſiarum Cathedralium, quamdiu certo non cōſtat illos habere ex officio ordinariam iuriſdictionem circa caſus Epiſcopales, non ſubdelegare, niſi expreſſam ad hoc ab Epiſcopo commiſſionem habeant.

Difficultas tertia: An delegati à Summo Pontifice, Epiſcopus, Pœnitentiario ſummo, & alijs in Cathedralibus conſtitutis poſſint vices ſuas alijs ſubdelegare? Reſpondendum non poſſe, quia *delegati ſubdelegare non poſſunt,* niſi hoc illis expreſsè demandetur; iuriſdictio enim in illis non eſt tanquam in fonte, ſed vt in inſtrumento. *Ita Palud. ſuprà, & communis.*

Difficultas quarta: Decerétne ſummum Pontificem, & Epiſcopos per ſeipſos vacare caſibus conſcientiæ in confeſſione Sacramentali audiendis, & diſſoluendis?

Huic difficultati ſic reſpondet Nicephorus in epiſtolâ, quam ſcribit ad Theodoſium Monachum de ligandi, ſoluendique poteſtate. *Ligandi* (inquit) *ſoluendiq; prouincia Pontificibus ipſis à Clementiſſimo Domino noſtro demandata eſt, ſiquidem ait ad Petrum, Quæcunque ligaueris ligata, & quæcunque ſolueris, ſoluta erunt. Vnde olim omnes oportebat ad ipſos Pontifices accedere, ſuaq; illis occulta prodere, & ſic vel reconciliationem, vel repudium ferre. Ignoro autem qui factum ſit, cur hæc minus hodie obſeruentur, quamuis exiſtimem Pontifices negotij tædio, frequentiq; multitudinis turbulentiâ defatigatos id opus ad religioſos tranſmiſiſſe, ad eos ſcilicet, qui verè probati ſint, alijsq; valeant eſſe vtiles, nihil enim tale inexpertis, & indoctis permiſerunt.*

Nicephorus duo dicit: Primùm, maximè decere Pontifices confeſſionibus ſacris audiendis vacare, & olim vacâſſe, cùm abſoluere à peccatis diuinæ ſit poteſtatis, à Chriſto illis traditę.

Secundùm, illos amplius illâ poteſtate non vti, quia labore deterrentur. Hoc ſecundum generaliter verum non eſt; quidam enim ſanctiſſimi Pontifices, & Epiſcopi confeſſionibus audi-

audiendis non vacant, non quod labore deterreantur, cùm laborioſiſſimi ſint, ſed quia rebus Eccleſiæ publicis occupatis, tantum otij non ſuppetit, vt ſingulorum priuatis actionibus in confeſſione cognoſcendis vacare poſſint.

Difficultas quinta, & poſtrema, Expediretne hoc tempore, his in locis, multis communicare facultatem abſoluẽdi à reſeruatis? Videtur expedire; Ratio eſt, *quia quod pro charitate inſtitutum eſt* (inquit D. Bernardus lib. de conſid. ad Eugenium) *non debet contra charitatem militare*; ſed charitas poſtulat vt infirmioribus ſubueniamus, quales hodie plurimi ſunt, qui per hæreticos, & alios à frequentatione Sacramentorum, & maximè pœnitentiæ alienati, potiùs in peccatis morerentur, quàm Leodium ad Epiſcopum, aut eius Vicarium, aut Pœnitẽtiarium pro abſolutione impetrandâ accederent; ergo illis aliquâ ratione ſuccurrendum eſt. Deinde his in prouincijs, in quibus hodie propter bella pluſquam ciuilia omnia penè itinera latronibus, & publicis graſſatoribus plena ſunt, etiam ſi pœnitentes vellent, certè longum iter ſuſcipere non poſſent, ſine maximo vitæ, & rerum periculo, quibus caſibus præcepta humana, imò nec diuina poſitiua, ſecundũ communem, obligare ſolent; ergo expedire videtur pluribus in locis conſtituere viros doctos, & prudentes, qui poteſtatem habeant abſoluendi à reſeruatis.

QVAESTIO SECVNDA.

Quot modis communicatur facultas abſoluendi à Caſibus reſeruatis?

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

DOCENDI gratia dico communicari duobus modis in genere, ordinariè, & extraordinariè.

Ordinariè dupliciter: Primò cùm alicui beneficium, aut officium committitur, cui de iure annexa eſt poteſtas audiendi peccata reſeruata. v. G. cùm Pontifex maximus creat Epiſcopũ, aut Pœnitentiarium ſummum in Romanâ Curiâ, aut Epiſcopus confert præbendam in Cathedrali, cui annexum eſt officium audiendi confeſſiones, & abſoluendi à reſeruatis. Secundò cùm Pontifex maximus, aut Epiſcopus dat alicui expreſſam facultatem abſoluẽdi à reſeruatis, vt cùm ore tenus dicunt alicui, committo tibi in hac parte vices meas.

Extraordinariè quoque duobus modis: Primò, cùm Pœnitens per Bullam, aut diploma Pontificium, aut Iubileum, obtinet facultatem eligendi quemcunque Confeſſarium, qui eum à caſibus reſeruatis, & cenſuris abſoluat, vt noſtro tempore in Iubileis, & Indulgentijs plenarijs plurium Pontificum ſæpiùs factum eſſe nouimus. Secundò, cùm ſummus Pontifex, aut Epiſcopus dat licentiam interpretatiuam ab illis abſoluendi. v. G. ſi Pōtifex declarauit quocumque ſigno exteriori ſibi gratum fore, quod talis, aut talis abſolueret quoſcũque ſciret incurriſſe caſus, aut cenſuras ſibi reſeruatas, & ille, hoc intellecto, ſine aliâ facultate abſoluit à caſibus, & cenſuris reſeruatis.

Difficultas prima: An per ratihabitionem, quam vocãt, communicetur facultas abſoluendi à reſeruatis?

Duplex eſt ratihabitio, vna de futuro, altera

de præſenti: De futuro, vt ſi quiſpiam Paſtor non habeat poteſtatem abſoluendi à reſeruatis, credit tamen quod ſi accederet Epiſcopum, & eum hoc nomine interpellaret, poteſtatem illam ſibi non denegaret: Hæc ratihabitio ad abſoluendum non ſufficit ſecundum omnes, quia abſolutio non pendet ex aliquo futuro, ſicut nec ipſum Sacramentum Pœnitentiæ. De præſenti ratihabitio eſt, putà, ſi Epiſcopus modò vult, aut illi placet, quod D. Paſtor abſoluat à reſeruatis, licet illi nihil dixerit, ſed ipſe Paſtor præſumit eius voluntatem eſſe talem, communiter dici ſolet, quod hæc ratihabitio ſufficiat.

Sunt tamen, qui de hâc re non ſine ratione dubitant; nam quāuis Iudex Eccleſiaſticus pro libitu, & voluntariè exerceat iuriſdictionem ſuam, committere tamē alteri iuriſdictionem, eſt actus iuriſdictionis fori exterioris, qui, vt apparet, non poteſt exerceri ſine actu exteriori, ſicut Epiſcopus nō poteſt excommunicare, aut ab excommunicatione abſoluere ſolo actu interiori, vt habet probabilior, & verior opinio. Si hoc verū eſt, vt mihi videtur, ſequitur quod per ſolam ratihabitionem, aut complacentiam Epiſcopus non poſſit alteri communicare ſuam facultatem, cùm hoc ſit vti iuriſdictione.

Reſolutoriè ergo reſpondendum videtur, per nullam ratihabitionem communicari facultatē abſoluendi à reſeruatis, ſed requiri expreſſum Epiſcopi, aut alterius, qui committere poſſit cōſenſum, expreſſum, inquā verbo, ſcripto, aut certè quocunque alio ſigno exteriori, maximè

cùm communi opinioni ſuprà allegatæ neque textus aliquis, neque ratio, neque vlla, quod ſciam, laudabilis ſuffragetur Eccleſiaſtica cõſuetudo.

Difficultas ſecunda: An illis, quibus per diploma Pontificium, aut Iubileum, vel indulgentiam plenariam ſit facultas eligendi, quem voluerint, confeſſarium, qui à caſibus, & cenſuris abſoluat, liberum ſit eligere quemcumque ſimplicem Sacerdotem?

Ante Conc. Trid. licebat talibus eligere quẽcumque Sacerdotem abſque vllâ reſtrictione. Ratio eſt, quia ad abſolutionem ex parte confeſſarij tantum duo requiruntur, poteſtas ordinis, & iuriſdictionis: poteſtatem ordinis quilibet Sacerdos habet; poteſtatem verò iuriſdictionis ipſe concedebat, qui concedebat diploma, & ſic pœnitentes non eligebant neceſſariò illum, qui erat confeſſarius, ſed per electionem propriam, ſi antea non erat confeſſarius, faciebant confeſſarium; ſicut cùm eligitur Epiſcopus, non eligitur ille, qui antea erat Epiſcopus, ſed qui non erat, eligitur in Epiſcopum. Confirmatur hæc ratio, quia in hoc ſolùm differt Sacerdos habens iuriſdictionem à non habẽte, quod ille habet materiam, hic autem non, & huic nihil aliud deficiebat ad hoc, vt poſſet abſoluere niſi materia, circa quam exerceret poteſtatem: cùm ergo recipienti diploma Pontificium detur poteſtas ſubijciendi ſe cui voluerit, iam talis electus habebat materiam; ergo nihil deficiebat. Anton. 3. p. tit. 16. c. 7. Gabriel in 4. diſt. 17. q. 2. dubio 2. Adrianus de cõ-

feſſione

feſſione q. 3. dubio 1. Paludanus in 4. diſt. 17. q. 3. art. 2.

Verùm poſt Conc. Trid. nullus Sacerdos ſiue ſæcularis, ſiue regularis poteſt eligi in confeſſarium, niſi beneficium Parochiale habeat, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur, vt ante oſtendimus ex ſeſſ. 22. c. 11.

Difficultas tertia, An regulares Sacerdotes ſemel præſentati Epiſcopo, & per eum probati, & admiſſi, mortuo Epiſcopo, vel amoto, poſſint eligi in confeſſarios abſque aliâ approbatione?

Bene dicit Sotus in 4. ſent. diſt. 18. q. 4. art. 3. ſat eſſe ſi habuerint vnius Epiſcopi facultatem, & approbationem, vt non teneantur eidem Epiſcopo, vel ſucceſſori præſentari; facit extrauag. Benedicti 11. Inter cunctas, de priuilegijs, quæ in hâc parte ſecundum eundem non eſt reuocata; Præterea facit c. ſi cui. De præbendis lib. 6. & c. ſi ſuper gratia, De officio delegati, eodem lib.

Difficultas quarta, An etiam ipſi regulares, ſi fiant confratres ſanctiſſimæ Trinitatis, vel accipiant bullam cruciatam, Iubileum, vel aliquod ſimile priuilegium poſſint eligere confeſſorem quemlibet, qui eos abſoluat à caſibus ſuperioribus reſeruatis abſque eorum licentiâ?

Reſpondendum non poſſe. Ita Viualdus de abſolutione. nu. 18. & alij multi dd. quos ſuo more citat.

Non obſtat quod aliquãdo vigore bullæ cruciatæ regulares etiam mendicantes ſoluerint ſibi eligere confeſſores, etiam ſine licentiâ ſu-

periorum. Primò, quia Leo X. illi Bullæ quoad illā clauſulam, quæ hoc permittere videbatur, derogauit. Secundò, quia Pius 5. ſuper hoc cõſultus reſpondit non poſſe. Sic Viualdus ſupra nu. 15. & 25.

Aduertant tamen regulares diligenter ad tenorem Bullarum Pontificiarum, & Iubileorũ, quia in illis ſubinde derogatur ſtatutis, conſtitutionibus, priuilegijs, quibus vetantur Religioſi confeſſarium eligere ſine ſuperiorum licentiâ, quod iam ſuperioribus annis aliquoties factum eſt, tunc enim ceſſat omnis difficultas.

In hâc difficultate notanda ſunt duo: Primum, religioſos quoſcumque poſſe abſque aliquo priuilegio, vel bullâ à ſæculari Sacerdote abſolui tribus caſibus; Primò ſi habeant ſolùm venialia. Secundò, ſi confiteantur mortalia aliàs legitimè remiſſa. Tertiò, ſi confiteantur in articulo mortis. Nauar. cap. 4. Enchirid. nu. 4. & communis. Secundum, Religioſum, cui ſuperior concedit eligere confeſſorem, poſſe alteri Religioſo, vel ſæculari Sacerdoti etiam nõ approbato confiteri: quod ſingulariter notat Nauar. cap. 4. Enchirid. nu. 7. Quia Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 15. vbi diſponit de confeſſione fiendâ deinceps cõfeſſarijs approbatis, nihil noui ſtatuit circa regulares.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

De poteſtate Delegatorum per ſummos Pontifices, & Epiſcopos, ac alios circa reſeruata.

QVAESTIO VNICA.

Habéntne Delegati omnimodam delegantium poteſtatem abſoluendi à caſibus, cenſuris, & alijs reſeruatis?

Est quæſtio permaximi momenti, & ad rem quàm tractamus elucidandam plurimùm pertinens: cùm enim fundamentũ reſeruationis caſuum ſit ipſa iuriſdictio, videndum eſt diligenter Confeſſarijs inferioribus, quid ſummi Pontifices, & Epiſcopi illis concedant, & quid ſibi reſeruent, ne fines iuriſdictionis excedentes actum abſolutionis nullum reddant, ſeſeque æternis ſupplicijs dedant, vt monet Paludanus in 4. diſt. 16.

Huic igitur quæſtioni reſpondendum, quod ſiue ordinario, ſiue extraordinario modo ſummus Pontifex, aut Epiſcopus concedat alicui facultates ſuas, communiter non concedit illas niſi limitatas, & reſtrictas, vel ad loca certa, & perſonas, vel ad caſus quoſdam, vel ad aliquas cenſuras, vel ad certas irregularitates, vel ad quaſdam diſpenſationes, aut commutationes votorum, aut iuramentorum.

Probatur, & explicatur; Nam quando viâ ordinariâ Summus Pontifex communicat iuriſdi-

ctio-

ctionem ſuam creando Epiſcopum, limitat illam ad certam Diœceſim; neque enim Epiſcopus vnius Diœceſis in quemquam alterius Diœceſis ſententiam vllam ferre poteſt, niſi hoc illi ſpecialiter committatur, vt eſt notiſſimum; limitat quoque ad certos caſus, & cenſuras, quia non poteſt ab illis abſoluere, quæ ſibi Pontifex maximus reſeruat; Reſtringit etiam ad certa vota, cùm quædam Summus Pontifex ſuæ diſpenſationi, aut commutationi reſeruârit. Similiter quando Pontifex maximus dat iuriſdictionem conferendo alicui officium, cui de iure, aut conſuetudine annexa eſt facultas abſoluendi à caſibus reſeruatis, & cenſuris, quale eſt officiũ ſummi Pœnitentiarij in Romanâ Curiâ: dat quoque limitatam facultatem, licet cum Antonino in ſuo confeſſionali p. 1. cap. 14. credam quod minus reſtrictam, quàm ſit Epiſcopalis: poteſt enim in multis caſibus, & cenſuris Papalibus, & diſpenſationibus, in quibus nîl poſſunt Epiſcopi. Similiter quoque cum viâ extraordinariâ, v. G. per Iubileum, aut plenariam Indulgentiam, aut conſimiles gratias Summus Pontifex dat facultatem omnibus Chriſti fidelibus eligendi confeſſarium ab ordinario approbatum, qui eos abſoluat, etſi ampliſſimam ſoleat tunc facultatem concedere circa caſus, cenſuras, irregularitates, vota, iuramenta, tamen aliquas limitationes, & reſtrictiones sẽper addit.

Simile iudicium eſt de facultatibus, quas dant Epiſcopi ſiue viâ ordinariâ, ſiue extraordinariâ. Quare, ſicuti diximus, confeſſarij, qui ſe intro-

intromittent abſolutioni caſuum, vel cenſurarum, vel diſpenſationi irregularitatum, votorum, iuramentorum, ſummâ attentione conſiderare debebunt limites facultatum, quas accipiunt ſiue à Summo Pontifice, ſiue ab Epiſcopo, ſiue viâ ordinariâ, ſiue extraordinariâ.

Sunt hic plurimæ difficultates, quæ ad duo genera reduci poſſunt: Prioris generis inſinuant rationes, quibus cognoſcere poſſunt delegati quantas accipiant à Summo Pōtifice facultates circa caſus, cenſuras, irregularitates, vota, iuramenta: Poſterioris generis idem docent circa delegatos ab Epiſcopis.

Difficultas prima prioris generis: Summus Pontifex quantas facultates concedere ſolet pœnitentiarijs in Romanâ Curiâ circa caſus, & alia ſibi reſeruata.

Huic difficultati iam antè obiter reſpondimus ex Antonino 1. p. confeſſionalis. c.14. Pœnitentiarijs maioribus concedere poteſtatem quaſi Epiſcopalem, imò verò Epiſcopali maiorem. poſſunt enim illi vndecumque venientes ab omnibus caſibus, & cenſuris quibuſcunque Epiſcopis reſeruatis abſoluere, necnon diſpenſare in quibuſdam irregularitatibus, & votis, in quibus non poſſunt Epiſcopi: Summo Pœnitentiario concedere quaſi Papalem; Quæ tamēn, & quanta illa ſit, non poteſt certò definiri: ſinguli enim Pontifices, qui eos deputāt, alias ſubinde, atque alias facultates illi concedunt, vt videre potes in Bullario ſub Iulio 3. conſtitutione 1. Piò 4. conſtitutione 69. Pio 5. conſtitutione 85.

Hic obiter notandum, quod dicit. Nauarrus

c.27.nu.275. Gregorium 13. & Pium 5. non conceſſiſſe ſummo Pœnitentiario poteſtatē abſoluendi ab hæreſi, vt mirandum ſit multos hodie reperiri, qui ſtatim ſacerdotes facti omnimodam facultatem in foro conſcientiæ ſibi debere concedi putant.

Difficultas ſecunda: An Summus Pontifex concedens facultatem abſoluendi à caſibus ſibi reſeruatis, nullâ factâ mentione cenſurarum, cenſeri debeat ſimul dediſſe facultatem abſoluendi à cenſuris?

Dicendum cenſeri. Ratio eſt certa, quia aliàs fruſtranea eſſet Papæ conceſſio, cùm nullus ſit caſus Summo Pontifici reſeruatus, cui non ſit aliqua cenſura annexa, ſecundum Caietanum in Summula, verbo caſus, Nauarrum c. 27.nu.261. Et alios, & inferiùs latiùs oſtēdemus.

Difficultas tertia: An in Iubileis, Plenariis indulgentiis, & ſimilibus gratiis concedens facultatem abſoluendi à quibuſcumque caſibus etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, cenſeri debeat dare poteſtatem abſoluendi à reſeruatis in Bullâ Cœnæ Domini?

Non cenſetur. *Quia in generali conceſſione non cenſentur conceſſa, quæ ſpecialiter non eſſent concedenda.* cap. Si Epiſcopus pœniten. & remiſſ. lib. 6. Quæ ratio diligenter notanda eſt in hac materia. Quod vero Pontifex max. ſibi reſeruet caſus Bullæ cœnę Domini, niſi ſpecialiter illos exprimat, docet ſtylus Romanæ curiæ. Et probat Couar. in c. alma mater. §. 2. nu.7.

Difficultas quarta: An Summus Pontifex in Iubileis, & ſimilibus gratijs concedens facultatem abſoluendi ab omnibus caſibus etiam in Bulla Cœnæ Domini reſeruatis cenſeatur

ſeatur virtute talium gratiarum dare facultatē abſoluendi ab hæreſi?

Dicendum quoque non cenſeri, quia nunquam cenſetur Papa concedere caſum hæreſis completæ, & exterioris, niſi id ſpecialiter, & clare exprimat. Ita Couar. in cap. alma mater ſup. allegato 1. p. nu. 15. & Nauar. cap. 27. num. 275. Quo loco dicit Pium 5 declarâſſe talem eſſe mentem ſuam, & ſic habere praxim, & ſtylum Curiæ Romanæ.

Difficultas quinta: Quid ſi ſummus Pontifex in Iubileis, Indulgentijs plenarijs, & ſimilibus gratijs concedat quod quis per eas abſolui poſſit ab omnibus cenſuris, caſibus, & pœnis, an cenſeatur conceſſiſſe facultatem diſpenſandi in irregularitate?

Viualdus de irregularitate nu. 337. Sotus lib. 5. de iuſt. & iure. q. 1. art. 4. Nau. c. 27. nu. 274. Dicunt non cenſeri: Et eſſe communem opinionem Canoniſtarum affirmat Viualdus ſup. eique conformem eſſe ſtylum Curiæ Romanæ, ſic vt nullâ aliâ ad hoc probandum ſit opus ratione: Quamuis videatur ratio poſſe aſſignari ſatis euidens, quia irregularitas propriè neque eſt caſus, neque cenſura, neque pœna, ſed potiùs impedimentum quoddam, ſicut ante cap. 1. q. 1. obiter docuimus, ſecundum omnes.

Difficultas ſexta: Quādo ſummus Pontifex in Iubileis, & ſimilibus gratijs concedit facultatem diſpenſandi in omni irregularitate (vt anno 1566. conceßit Pius V. his verbis, & à quibuſlibet irregularitatibus quomodolibet incurſis) *An cenſeatur dare facultatem diſpenſandi in irregularitate incurſâ per homicidium voluntarium?*

Non

Non cenſetur. Ratio eſt, quia ſicuti ante in ſimili diximus, *in generali conceſſione non veniunt illa, quæ Papa ſibi ſoli ſpecialiter ſolet reſeruare*, & Viualdus de irregularitate dicit ſtylũ eſſe Curiæ Romanæ, vt illa irregularitas reſeruetur, non obſtante clauſulâ prædictâ generali, idemque teſtis eſt Salmanticæ hoc eſſe definitum, ſe præſente, à grauiſſimis Doctoribus: Quæ ſententia procul dubio tenenda eſt, licet non deſint, qui contradicant.

Difficultas ſeptima: Quando ſummus Pontifex in Iubileo, vel ſimili gratiâ concedit facultatem diſpenſandi in votis; an cenſeri debeat dare facultatem eadem commutandi?

Nauarrus cap. 12. Enchirid. nu. 79. & in Apologiâ de reditibus Eccleſiaſticis nu.10.docet non cenſeri; cui videtur conſentire Caietanus 2. 2. q. 89. art. 9. Quo loco docet eum, qui poteſt ex priuilegio vota commutare, non poſſe diſpenſare, ſicut nec contra illum, qui ex priuilegio poteſt diſpenſare, poſſe commutare: non obſcurè indicans ordinarium, qui auctoritate propriâ, & ordinariâ poteſt diſpenſare, poſſe etiam commutare, de quo dicit intelligẽdam regulam, *Cui committitur quod eſt plus, committitur quod eſt minus*, de regulis iuris lib.6.

His nonobſtantibus, communior, & probabilior videtur contraria ſententia, videlicet eũ qui habet priuilegium diſpenſandi, poſſe etiam commutare. Ita Couar. Quamuis pactum, de pactis lib.6. p.1. §. 3. Sot. lib. 7. de iuſt. & iure q. 4. art. 3. & Sylueſt. verb. vot. 4. §. 3. Quia ſecundum communem, omnes Bullæ, & priuile-

gia

gia quantum ad abſolutionem peccatorum, cõceſſionem Indulgẽtiarum, & aliorum ſpiritualium, niſi de mente concedentis aliter conſtet; ſunt amplè interpretanda, vt notat Ioannes Andreæ in Clement. 1. de reliquijs, & veneratione Sanctorum, Angelus verb. Indulgentia, in principio, & Syluester eodem verb. q. 7. & 8. Pro quo faciunt regulæ iuris, *Sicut odia reſtringi, ſic fauores conuenit ampliari*; Et, quod beneficium Principis, quando per hoc non fit præiudicium tertio, latiſſimè ſit interpretandum.

Difficultas octaua: An qui virtute Iubilei, vel ſimilis priuilegij Pontificij habet auctoritatem commutandi vota, poſſit eâdem facultate iuramenta commutare maximè eiuſdem materia?

Non poteſt: Ita Nauar. c. 72. nu. 275. & ante illum Caietanus 2. 2. q. 89. art. 9. Ratio eſt euidens, quia votum vt votum non eſt iuramentum, & diuerſitas nominum, & definitionum arguit eſſe diuerſæ ſpeciei; facultas autem diſpenſandi ſuper vna ſpecie non poteſt extendi ad aliam.

Hinc eſt, quod Abbates habentes priuilegiũ abſoluendi à ſententia canonis. *Si quis, ſuadente Diabolo*, iuxta c. Cùm illarum, de ſententia excõmunicationis, non poſſunt abſoluere à multis alijs excommunicationibus etiam maioris põderis, *ſecundum omnium opinionem.*

Difficultas nona: Cùm per Iubilea, indulgentias plenarias, & alias ſimiles gratias vt per Bullam S. Trinitatis (quam refert Nauarrus c. 27. Enchirid. nu. 263.) & per Bullam corrigiæ S. Auguſtini, cuius confraternitas ſita eſt in

monaſterio S. Iacobi Bononiæ, & Bullam S. Mariæ in porticu conceſſam à S. Domino noſtro Sixto 5. & per Bullam cruciatam pro Hiſpanis, & ſimiles alias complures; vota poſſe commutari dicuntur, quæritur, quæ vota cenſeantur poſſe commutari?

Dicendum, quod licet olim non tam ampla concederetur auctoritas commutandi vota per iubilea, indulgentias, & alias Bullas confraternitatum, vt patet in antiquioribus, hodie tamen iuſtiſſimis de cauſis vota omnia ſolent concedi, duobus tantum exceptis, ſcilicet caſtitatis perpetuæ, & religionis, vt patere poteſt ex tribus nouiſſimis Iubileis, & ſpecialiter ex Iubileo nouiſſimè conceſſo per S.D.N. Sixtum V. anno Domini 1588. In bullis tamen confraternitatũ, de quibus ſuprà, non eſt tam ampla conceſſio, excipiuntur enim 4. vota, Religionis, caſtitatis perpetuæ, peregrinationis ad SS. Petrum & Paulum, & in Hieruſalem, vt teſtatur Viualdus in appendice titulo 14. nu. 35.

Difficultas decima: An per Bullas dictarum confraternitatum, & ſimilium poſsint commutari vota illa tantum, quæ quis emiſit ante ingreſſum in illas, an verò etiam illa, quæ quis poſt ingreſſum emiſit?

Sotus lib. 7. de iuſtitia, & iure 4. art. 3. dicit poſſe cõmutari ſolum vota, quæ quis ante ingreſſum emiſit; Alij probabilius dicunt poſſe etiam illa quæ quis emiſit poſt ingreſſum in illas. Ita Viualdus in appendice titul. 14. nu. 37. & alij plures, quos ipſe ſuo more enumerat. Ratio videtur poſſe aſsignari, quam ante ad ſimilem quæſtionem attulimus, quos Bullæ & priuilegia

pontificia quantum ad peccatorum abſolutiones, indulgentias, & ſimilia ſpiritualia, quando aliter de mente concedentis non conſtat, vt eſt in propoſito, ſunt amplè interpretanda.

Difficultas vndecima: An per Bullas dictarum confraternitatum, & ſimilia priuilegia poſsit diſpenſari in voto continentiæ, quod quis ante, vel poſt Matrimonium emiſit, ad hoc ſaltem vt poſsit debitum exigere? Dicendum, quod confeſſarius electus per ſimiles Bullas, & priuilegia, quæ concedũt diſpenſationem votorum, exceptis ijs de quibus ſuprà, poteſt diſpenſare, vt talis debitum exigat: Verùm hoc non eſt ſimpliciter in voto caſtitatis diſpenſare, nam remanet adhuc obligatio voti ſecundum communem opinionem.

Imò ſine vllo pontificio priuilegio poteſt cũ tali ad hunc effectum diſpenſare Epiſcopus, ſi periculum incontinentiæ immineat, ſecundum opinionem veriorem, quam refert Nauar. c. 12. nu. 60. & c. 16. nu. 30. & c. 22. nu. 76. Et Sotus in 4. diſt. 27. q. 1. art. 4. & lib. 7. de iuſt. & iure q. 3. art. 1.

Difficultas duodecima: An ſimiliter per ſupradictas Bullas, & priuilegia poſsit diſpenſari cum illis, qui votum emiſerunt non nubendi?

Poteſt ſecundum Nauar. c. 12. nu. 43. Imò ſecundum cõmuniorem, & probabiliorem opinionẽ poſſet ſine Pontificis facultate Epiſcopus.

Neque obſtat D. Thomas 2. 2. q. 184. art. 6. vbi docet vota perpetua ſoli Papæ reſeruari, quia ibi loquitur de votis natura ſua perpetuis, quæ poſitiuè diriguntur in cultum Dei, vt votum

caſtitatis, & religionis. Tale verò non eſt votũ non nubendi; Cuius ſignum euidens eſt, quia, qui fornicatur, tali voto emiſſo, nõ peccat contra votum, vt patet.

Difficultas decima-tertia: An ſimiliter cum illo qui votum emiſit ſuſcipiendi ſtatum, vel ordinem ſacerdotalem?
De hac difficultate pauca habes apud Doctores. Viualdus Doctor modernus in appendice, titulo 14. nu. 45. duo dicit.

Primum, tale votum poſſe per Iubileum, indulgentias plenarias, & ſimiles Põtificum gratias diſpenſari, vel commutari.

Alterum, etiam Epiſcopum cum tali poſſe diſpenſare. Rationes eius ſunt; Prima, quia tale votum non eſt vnum ex quinque Summo Pontifici reſeruatis. Secunda, quia ſacerdotum dignitas talis eſt, vt illam vnuſquiſque ex humilitate merito fugere poſſit, & debeat. Tertia, quia nemo ad illum aſcendere poteſt niſi ex voluntate Epiſcopi.

Difficultas decima-quarta: An ſimiliter cum illa quæ vouit aſſumere habitum Beatarum apud Hiſpanos, vel apud nos, vulgato more loquendi, vouit viuere vitam ſpiritualem?

Nota apud Hiſpanos Beatas vocari virgines quaſdam, quæ renuntiatis mundi pompis mutato paululum habitu, in domo propriâ cum parentibus, fratribus, & cognatis habitant, abſque vllâ pœnitus regulâ, vel obedientiâ particulari: quales virgines apud nos vocantur filiæ ſpirituales, & Ieſuitiſſæ. De his quærit difficultas, Quid ſi aliqua vouerit aſſumere talem habitum,

tum, vel vitam ſpiritualem, vt prædictum eſt, viuere? Dicendum eſt, tale votum poſſe per iubilea, indulgentias plenarias, & ſimiles gratias, imò etiam per Epiſcopum diſpenſari, vel commutari; quia ſecundum Sotum lib. 7. de iuſt. & iure q.5.art.3.vouere tale votum, nō eſt vouere votum religionis. Addo, quod neque caſtitatis perpetuæ, niſi illæ virgines hoc exprimant, aut ſaltem caſtitatē particulatim vouere intendãt.

Difficultas decima-quinta: An ſimiliter per Iubilea, Indulgentias plenarias, & ſimiles gratias poßit diſpenſari cum illo, qui emiſit votum pœnale caſtitatis, vel religionis adimpletâ conditione? v.G. voueo religionem ingredi, vel caſtitatem ſeruare, ſi amplius tale domum ſuſpectam ingreſſus fuero, vel amplius chartis luſero.

De hac difficultate apud Doctores quædam ſunt certa, quædam probabilia.

Primò communiter apud pleroſque omnes receptum eſt, votum conditionale obligare, impletâ conditione. Ita ſentit vterque Thomas 2. 2. q.88.art.3.quos ſequitur Nauarrus c.12. nu. 42. Et ſcholaſtici Doctores in 3.ſent.diſt.39. vbi agitur de iuramento Sotus lib. 7. de iuſt. & iure q. 2.art. 3. Sylueſter verb.votum 2.§.2. Angelica, & Armilla eodem verbo contra Catharinum in hac quæſtione ſingularem; vide illũ in lib.quem ſcripſit contra Caietanum.

Secundò communiter ab omnibus tenetur, Epiſcopum ante impletam conditionem poſſe in tali voto diſpenſare. Doctores ſuprà, præcipuè Sotus, & Nauarrus.

Tertiò (quod ad rem maximè pertinet, & ex

ſecundo conſequitur) probabile valde eſt apud eoſdem Doctores, vota pœnalia, in quibus Epiſcopus ante impletam conditionem diſpenſat, poſſe per ſupradicta Iubilea, & bullas diſpenſari, vel commutari. Ratio eſt, quia ſecundum communem opinionem vota pœnalia religionis, & caſtitatis ante impletam conditionem non ſunt Summo Pontifici reſeruata: quæ ſola in Iubileis, & dictis gratijs hoc tempore, vt ante diximus, reſeruari ſolent.

Quartò, quamuis pro illâ parte, quæ docet ſolum Papam poſſe, adimpletâ conditione, diſpenſare, ſint grauiſſimi Doctores, probabile tamen eſt, & in praxi tutum, Epiſcopum etiam adimpletâ conditione, poſſe diſpenſare, & per Iubilea, & Bullas prædictas poſſe commutare. Probatur & declaratur: Summi Pontifices non reſeruant ſibi vota caſtitatis, & religionis, niſi quãdo ſunt per ſe volita, & habent propriã rationẽ voti caſtitatis, & religionis: ſed vota pœnalia caſtitatis, & religionis nõ ſunt talia: Ergo, &c. Maior probatur, quia reſeruatio caſuum, cenſurarum, & votorum, habet quandam rationem pœnæ, quare non eſt niſi ſtrictè interpretanda, & ad proprios, & formales terminos conſtringenda, & ideò ea ſola vota debent cenſeri Summo Pontifici reſeruari, quæ propriè, & ſimpliciter ſunt religionis, & caſtitatis volitæ, & intentæ: Minor, vota pœnalia non eſſe talia, probatur; quia, qui ſic vouet caſtitatem, aut religionem, eſt ſimpliciter nolens caſtitatem, & religionem, quippe qui, vt per illam, tanquam

per pœnam inuiſam, & grauiſſimam ſeſe alienaret à committendo tali, vel tali ſcelere, indixit ſibi illam vt inopinatam, & odioſam, per quam deterreretur, ita vt actus volitus, fuerit non incidere in tale ſcelus: actus autem non volitus ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid, fuerit religionem ingredi, aut ſeruare caſtitatem, per quam vt maximè pœnalem & à ſe minimè deſideratã voluit euitare eius ſpeciei peccatum. Eſt ratio grauiſſimi Doctoris Bartholomei Medinæ lib. qui dicitur Inſtructio Confeſſariorum 2. præcepto §. 16. Qua vtitur etiam modernus Doctor Lodouicus de Beia in ſuis reſpõſionibus caſuum conſcientiæ, reſponſione ad caſum 28. Hanc ſententiam practicari ab Epiſcopis Hiſpanię affirmat Viualdus Hiſpanus Doctor in appendice tit. 14. nu. 58.

Difficultas decima-ſexta: An ſimiliter per Iubilea, & conſimiles gratias poſſint commutari vota, quæ iam aliàs fuerunt per poteſtatem habentem legitimè commutata? v. g. Voui ieiunare qualibet feriâ ſextâ in pane, & aquâ, fuit mihi votum commutatum ab Epiſcopo, vel Confeſſore tempore Iubilei, vt qualibet feriâ ſextâ celebrarem, aut curarem celebrari Miſſam pro Defunctis; Quærit difficultas, An ſecundum iſtud votum de celebranda miſſa qualibet feriâ ſextâ, rurſus poſſit per aliud Iubileum, aut indulgentiam in aliud votum commutari?

Dicendum, quod quamuis prima cõmutatio fuerit legitimè facta in illas Miſſas perpetuas, nihilominus tamẽ poterit per Iubileũ, & alias

 con-

conſimiles gratias rurſus in quid aliud commutari. Ratio videtur certa; *quia cui conceditur, quod eſt plus, conceditur in eadem materiâ, quod eſt minus*, De regulis iuris in 6. Declaratur; quia ſi per Iubileum conceditur commutatio votorum, quæ omnem vim, & robur ad ſui obſeruantiam habent; quare eadem vota iam aliquantulum per priorem cõmutationem, vt ſic loquar, mollificata, non potuerunt per eadẽ Iubilea, & bullas, quæ conſimilem, & æqualem concedunt facultatem, iterum commutari?

Difficultas decima ſeptima: An confeſſor electus virtute Iubilei, aut ſimilis gratiæ teneatur pœnitentis vota commutare? Tenetur proculdubio. Ratio eſt, quia illo caſu Confeſſor eſt Iudex delegatus in fauorem pœnitentis, petentis ius, quod habet ex priuilegio. Probatur, & explicatur à ſimili; quia ſi Epiſcopus, cùm ſubeſt iuſta cauſſa, nolit diſpẽſare, dicitur diſpẽſator infidelis c. quanto. 2. q. 5. Igitur, ſi confeſſor electus, perſuadeat ſibi adeſſe cauſſam rationabilem, tenetur diſpenſare; ſi parua ſubſit cauſſa, debet facere commutationem in quid æquale: Si grauis aliqua cauſſa vrgeat, in aliquid aliud aliquantum minus: Sed hæc ſunt alterius loci.

Difficultas poſtrema prioris generis: Quid ſi aliquis in principio Iubilei confiteatur realiter, & verè, & cum intentione, & vero animo adimplendi omnia requiſita ad conſequendam indulgentiam, & abſoluitur ab omnibus caſibus, & cenſuris reſeruatis, & commutantur ei vota omnia, & ille mutato priori bono animo, vel aliquâ cauſſâ iuſtâ, vel iniuſtâ impeditus non impleuit requiſita ad conſequendam

Indul-

Indulgentiam, putà, non impleuit ieiunium, vel Communionem, quæ præſcribitur in Iubileo, an talis reincidat in eaſdem cenſuras, & vota iam commutata?

Quæſtio eſt quotidiana, quæ ſæpè etiam doctos confeſſarios fatigat. Reſpondendum non reincidere. Probatur, quia abſolutio à peccatis non datur ſub conditione, aut, vt alij loquuntur, ad reincidentiam, ergo nec abſolutio à cenſuris: Confirmatur, quia Confeſſor electus virtute Iubilei habet iuriſdictionem à Papâ, vt ex præcedentibus patet, & confert abſolutionem, vel voti commutationem, abſque pendente cōditione, vel grauamine in futurum, vt etiam quidam loquuntur, abſoluit enim ſecundum præſentem ſtatum, & iuſtitiam pœnitentis; Ergo, &c.

Deinde quando delegatus Papæ ad tempus abſoluit aliquem, licet expiret eius officium, taliter abſolutus non reincidit; Ergo nec in hoc caſu.

Hactenus reſolutæ ſunt plures difficultates quibus Confeſſarij nō obſcurè agnoſcere poſſunt, quid poſſint, vel non poſſint in iubileis, indulgentijs plenarijs, & ſimilibus gratijs circa caſus, cenſuras, irregularitates, vota, & iuramenta Summo Pontifici reſeruata. Sequitur vt reſoluamus alias difficultates, quibus ijdem agnoſcere poterunt, quid ſubinde poſſint circa caſus, cenſuras, & alia Epiſcopis reſeruata.

Difficultas prima poſterioris generis: Quantam cenſendi ſunt habere facultatem circa caſus, cenſuras, irregularitates, vota, iuramenta Epiſcopo reſeruata Pœnitentiarij,

qui hodie iuxta praſcriptum Conc. Trid. in Cathedralibus conſtituuntur?

De hac difficultate neminem hucuſque ſcribentem legi. Pro reſolutione, præſuppoſitis illis, quæ de talibus Pœnitētiarijs diximus ſuprà: reſpondendum eſt, tales habere poteſtatē quaſi Epiſcopalem in foro conſciētiæ, non ex rigore verborum Conc. Trid. quia de facultatibus illorum Concilium Trid. non facit mentionem, vt patere poteſt totum Concilium legentibus; ſed potiùs ex conſuetudine Epiſcoporum, qui vbique ad hoc ſe aſſumere tales Pœnitentiarios declarant, vt illis ſubſeruiant in caſibus, cenſuris, & alijs forum conſcientiæ concernentibus.

Dixi, *forum conſcientiæ*, quia in foro exteriori, in quantum tales, nihil poſſunt.

Difficultas ſecunda: Quando Epiſcopus concedit alicui facultatem abſoluendi à caſibus ſibi reſeruatis, an cenſeatur committere abſolutionem à cenſuris ſibi reſeruatis?

Nauarrus c. 27. nu. 261. Dicit nō cenſeri. Ratio eſt certa, quia à diuerſis non fit illatio: aliud autem eſt peccatum Epiſcopo reſeruatum, & cenſura illi reſeruata; nam aliqua ſunt peccata annexam cenſuram non habentia, quæ ſunt Epiſcopo reſeruata, vt homicidium laici, maleficium, veneficium, & alia, de quibus agemus poſteriori parte huius tractatus, & etiam ſunt cenſuræ aliquæ illi reſeruatæ, peccatis, ob quæ illæ feruntur, illi non reſeruatis.

Difficultas tertia: An Epiſcopus concedens abſolutionem ab omnibus ſuis caſibus, & cenſuris, cēſendus ſit cōcedere abſolutionem, vel diſpenſationē irregularitatum, votorū, iuramen-

ramentorum, in quibus habet facultatem ipſe Epiſcopus?

Secundum Nauarrum ſuprà, non cenſetur; quia ſicut initio diximus, irregularitates, vota, iuramenta proprie loquendo neque ſunt caſus, neque cenſuræ, & ob id, ex illis non infertur ad hæc, nec contra.

Difficultas quarta: Quando Epiſcopus omnimodam ſuam facultatem in audiendis confeſsionibus alicui concedit, an cenſeri debeat concedere caſus ſibi iure communi, aut particulari, conſuetudine generali, aut particulari reſeruatos?

Non cenſetur: Ita Syluester verb. Confeſſor. 3. nu. 6. citans Archidiaconum, quos ſequitur Nauar. c. 27. nu. 261. argumēto c. final. de officio Vicarij lib. 6. & eorum, quæ Ioannes Andreæ citat. in c. tua, eodem titulo. Quæ ſententia vera eſt in rigore iuris: Verùm, quando apparet intentionem Epiſcopi fuiſſe concedere caſus ſibi reſeruatos, quando conceſſit omnem ſuam facultatem, poteſt, maximè in foro conſcientiæ, cenſeri illos commiſiſſe: Et magis ſi concedat omnem ſuam facultatem, excepto tali, vel tali caſu, tunc enim cenſeri debet omnes caſus ſibi reſeruatos conceſſiſſe, excepto illo, quem exceptum voluit, quia *exceptio firmat regulā in cōtrarium*, vt loquuntur Iuriſperiti.

Difficultas quinta: Quando Epiſcopus concedit omnes ſuos caſus, an debeat cenſeri concedere caſus ſibi reſeruatos?

Quicquid dicat Syluester ſupra verb. Confeſſor 3. poſt Raymundum; melius dicimus cum Nauarro cenſeri concedere caſus reſeruatos. Ratio eſt, quia iuxta cōmunem loquēdi conſuetudinē, quæ attēdi debet, per ſuos caſus peccata

illi reſeruata intelliguntur. Nauar. ſupra nu. 262. ſub finem.

Difficultas ſexta: An virtute priuilegiorum, quibus habetur, fratres ordinum mendicantium poſſe abſoluere quoſcumque, & vndecumque ad ſe venientes ab omnibus peccatis, & cenſuris etiam Papæ à iure, vel ab homine reſeruatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ, poſſint illi hodiè promulgato Concilio Trid. à caſibus Epiſcopis de iure, vel conſuetudine reſeruatis abſoluere?

Non poſſunt, ſic enim definiuit Gregorius 13. in ſacrâ congregatione Cardinalium pro interpretatione Concilij Trid. deputatorum, vt teſtantur tres R. atque Illuſt. Cardinales, Cardinalis S. Sixti epiſtola miſſa ad R. atque Illuſt. Cardinalem Borromæum, quæ habetur in Cõcilio Mediolanenſi 3. ad finem: Cardinalis Paleotus, vt habes apud Viualdum de abſolutione nu. 35. Cardinalis Borromęus in inſtructionibus Paſtorũ per eum compoſitis, & nuper Antuerpiæ impreſſis anno 1586. pag. 153. vbi ſic habetur: *Si pœnitens caſu aliquo reſeruato teneatur, niſi licentiam abſoluendi habeat, eum Confeſſarius non abſoluet, alliàs enim in excommunicationem incideret à Synodo noſtrâ Diœceſanâ latam. Nec ipſi regulares (quantumuis priuilegio, quod mare magnum vocant, vel alijs quibuſcumque indultis gaudeant) à prædictis caſibus abſque peculiari noſtrâ licentiâ, abſoluere poſſunt, quemadmodum Gregorius 13. ex Cardinalium concilio, ad quos Conc. Trid. interpretatio pertinet, declarauit.* Quæ illuſtria teſtimonia, ſi vera ſunt, vt omninò vera eſſe exiſtimo, non ſolùm ſequitur, Religioſos virtute ſuorum priuilegiorum non poſſe abſoluere à caſibus Epiſ-

copis reſeruatis, niſi hoc illis expreſsè concedatur, ſed etiam habetur reſponſio ad quæſtionem aliàs difficillimam & obſcuriſſimam; Vtrùm priuilegia mendicantium quoad facultates abſoluendi in foro conſcientiæ ſint ſublata per Conc. Trid. Vide ſi vis Viualdum ſup. latè hanc quæſtionem in vtramque partem diſputantem, habet enim plurima neque contemnenda, neque inutilia.

Difficultas ſeptima: An ſaltem per priuilegium conceſſum per Clem. Dudum. De ſepulturis, *Poſſint religioſi abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis?*

Syluester verb. Confeſſor.10. §.5. Et Gabriel in 4. in diſt.17.q.2.art.3. exiſtimauit poſſe. Ratio eorum eſt, quia inferior, qualis eſt Epiſcopus, non poteſt priuilegium Superioris putà Papæ coarctare: Quare cùm Clem. dudum. fuerit in Concilio Viennenſi decreta, non poterit Epiſcopus reſeruare caſus Religioſis, ſicut ſolet reſeruare parochis ſibi ſubditis. Hæc opinio nec eſt tuta, neque hodiè in praxi ſeruatur, vt docent Sotus in 4. ſent. diſt.18. q. 4.art.3.& Nauar. c.27. nu.266. poſt Anton. 3. p. tit. 17. c. 11. Ratio eſt, Quia clementina citata illi expreſsè contradicit, his verbis: *Per huiuſmodi conceſſionem nequaquam intendimus ampliorem poteſtatem fratribus religioſis impendere, quam eſt curatis, & ſacerdotibus parochialibus à iure conceſſa, niſi forſitan eis Eccleſiarum Prælati vberiorem in hac parte gratiam ſpecialiter ducerent faciendam.* Et confirmatur, quia licet Clem. illa ſit priuilegium Papæ, & Concilij, nihilominus illa vult Religioſos facultatẽ recipere ab Epiſcopis,

copis,

copis, vt ſint tanquam eorum coadiutores.

Idemque confirmatur ex Clementina, *Religioſi de priuilegijs*, vbi excommunicantur religioſi, ſi tentauerint abſoluere à caſibus reſeruatis Apoſtolicæ ſedi, aut locorum ordinarijs.

Difficultas octaua: An Confeſſarius, qui habet poteſtatem abſoluendi à quibuſcumque caſibus & cenſuris ex priuilegio, poſſit abſoluere ab excommunicatione lata ab Epiſcopo per modum generalis ſententiæ? V. G. Si Epiſcopus ſic ſtatuat, quicumque furtum fecerit, ſit excommunicatus.

Dicendum poſſe abſoluere: Ratio eſt, quia dicta ſententia, cùm generalis ſit, æquipollet Canoni; atque ita videtur lata per Canonem, à quâ nulli dubium eſt in eo caſu Confeſſarium poſſe abſoluere. Nauar. in c. Ita quorundam. Gloſſ. fin. nu. 31.

Difficultas nona: An, qui facultatem habet abſoluendi à caſibus reſeruatis ſuo Epiſcopo, poſſit abſoluere pœnitentem alterius Epiſcopatus cum iuſtâ licentiâ ſibi conceſſâ à peccatis reſeruatis ſuo Epiſcopo?

Nauarrus c.27. nu.26. Reſpondet ſimpliciter poſſe. Rationes eius ſunt. Prima, quia id videtur habere conſuetudo, nunquam enim (inquit) intellexi vllum Confeſſarium legitimum, cui eſſet conceſſa præfata facultas, remiſiſſe quem ad Epiſcopum alterius Epiſcopatus; conſuetudo autem ampliare poteſt iuriſdictionem, imò dare illam non habenti. c. duo ſimul, cũ Gloſſ. de officio Ordinarij. Deinde quia Gloſſ. c. placuit 16. q. 1. & clarius Panor. in c. cùm contingit nu. 29. de foro competenti, habent Confeſſa-

rium legitimum vnius Parochiæ poſſe abſolue-re pœnitentem confeſſum à peccatis vbicumque commiſſis.

Alij reſpondent cum diſtinctione; aut enim Pœnitens mutauit domicilium, aut nō mutauit; In primo caſu, poteſt abſolui: v.g. eſt vagabūdus, qui vbi deliquit, delictum erat caſus reſeruatus, vbi confitetur non; tunc cùm nullibi habeat domicilium, nō tenetur, niſi legibus Epiſcopi vbi degit; ſi verò domicilium nō mutauit, vt peregrinus quiſpiam, tunc non poteſt abſolui; Ratio eſt, quia ex quo ratione domicilij, & habitationis ſubditus dicitur, per Gloſſ. celebrē in clem. vnicam de foro competēti, nō videtur exemptus à iuriſdictione ſui Epiſcopi, qui peccatum illud reſeruauit, & per cōſequens nō eſt abſoluēdus: præſumitur enim tunc illū mutare domiciliū fraudulenter in præiudicium animæ propriæ, putà fugiendo ſentētiam proprij ſacerdotis volentis amputare occaſiones peccatorū. Ita Sotus in 4. ſentent. diſt. 18. q. 4. art. 2. Et ita videtur procul dubio reſpondendum.

Ad rationes Nauarri, dicendum, illas ſolùm concludere de pœnitente, qui cū ſit de Diœceſi ipſius Cōfeſſarij, in alterius tamē Diœceſi peccauit, non verò de pœnitente, qui ſit alterius Diœceſis, de quo propriè quærit difficultas.

Difficultas decima, & poſtrema poſterioris generis: An excommunicatione à Papâ, & Epiſcopo ſuper eodem caſu latâ, ſublatâ Papali, ſit etiam ſublata Epiſcopalis, ita vt quilibet Confeſſarius ab illâ poßit abſoluere?

Non eſt ſublata: Ratio eſt, quia quum ſunt

duo

duo diuerſa impedimenta, altero ſublato, non debet cenſeri alterum eſſe ſublatum, *arg. c. ex tuarum, de vſu, & auctoritate Pallij.* Quare de iure non poterit Cõfeſſarius quilibet à tali caſu abſoluere: Verùm, contrarium eſt in conſuetudine.

CAPVT QVINTVM.

De multitudine & varietate caſuum Summo Pontifici, & Epiſcopis reſeruatorum.

QVAESTIO PRIMA.

Qui, & quot ſunt caſus Summo Pontifici reſeruati?

AD priorem quæſtionis partem dicendũ, eſſe omnia, & ſola illa peccata, quibus annexa eſt excommunicatio Summo Pontifici reſeruata: Quod vſque adeò verum eſt, vt ſublata excommunicatione per Summũ Pontificem, aut alium de eius facultate, nullum ſit peccatum Summo Pontifici reſeruatum. Ita docet Nauarr. c. 27. nu. 261. & ante illum Caietanus in Summula verb. caſus. Et Antoninus 3. p. titul. 17. c. 11.

Ad alteram partem quæſtionis dicendũ; non poſſe certum numerum aſſignari: creſcente enim quotidie malitiâ hominum, creſcunt quoque ſummorũ Põtificum excommunicationes. Quia tamen neceſſarium eſt Confeſſario illas cognoſcere; in eis recenſendis hunc ordinem ſeruabimus, vt primò enumeremus illas quæ conti-

continentur in Bulla Cœnæ Domini, quæ cæteris omnibus ſunt magis reſeruatæ, vt ſuo loco fiet manifeſtum: Secundò, quæ ſunt in iure expreſſæ: Tertiò, quæ in extrauagantibus iuri inſertis; Quartò, & poſtremò, quæ reperiuntur in extrauagantibus necdum in ius relatis.

Excommunicationes reſeruatæ ſummo Pontifici in proceſſu Cœnæ Domini.

Prima fertur in hæreticos, Legentes libros hæreticorum, ſine licentiâ ſummi Pontificis, aut alterius, qui eam dare poteſt, fautores hæreticorum, ſchiſmaticos, & eos, qui ſe ab obedientiâ ſummi Pontificis ſubſtrahunt.

Secunda, In appellantes à Papâ ad futurum Concilium, & dantes fauorem, & conſilium ad id.

Tertia, In piratas, latrunculos maritimos, eorum receptatores, & dantes auxilium, & fauorem.

Quarta, In eos, qui rapiunt naufragorum bona, aut ſcienter ab alijs rapta accipientes.

Quinta, In eos, qui imponunt noua pedagia, & gabellas, & eas augent, quando ad id poteſtatem non habent.

Sexta, In falſificantes litteras Apoſtolicas, aut ſupplicationes ſignatas auctoritate Apoſtolicâ.

Septima, In deferentes arma, equos, ferrum, & alia metallorum genera, cũctaque vſui belli accommoda ad Turcas; necnon etiam in eos, qui Turcas, & inimicos Chriſtiani nominis certiores reddunt de rebus Reip. Chriſtianæ ſtatum

concernentibus in Chriſtianorum damnum, & perniciem.

Octaua, In impedientes, & inuadentes eos, qui victualia, ſeu alia ad vſum Romanæ Curiæ neceſſaria adducunt, vel pro eis aliquid ſoluere faciunt, ac etiam in eos, qui talia fieri curant, & defendunt.

Nona, In eos, qui ex propoſito Romipetas, ſeu peregrinos ad vrbem proficiſcentes, aut ab eadem recedentes lædunt, aut offendunt, & illis dantes auxilium, conſilium, fauorem.

Decima, In illos, qui non habentes in Curiâ iuriſdictionem, eius prætexu capiunt, ſpoliant, detinent morantes in eadem, vel qui talia fieri mandant.

Vndecima, In offendentes, interficientes, mutilantes, capientes, incarcerantes, aut hoſtiliter inſequentes Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Sedis Apoſtolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eoſdem eijcientes à ſuis Diœceſibus, territorijs, terris, aut dominijs: Item mandantes, & præſtantes conſilium, auxilium, aut fauorem.

Duodecima, In eos, qui ad Romanam Curiam pro eorum cauſis, & negotijs recurrentes offendũt, mutilant, occidunt, verberant, aut bonis ſuis ſpoliant, aut executionem litterarum Apoſtolicarum, aut aliarum expeditionum impediunt, & ad gratias impetrandas accedentes prohibent; ac etiam appellantes à grauamine, vel litterarum Apoſtolicarum executione ad laicã poteſtatem.

Decima-tertia, In Officiales Principum ſæcularium, & Prælatos Eccleſiaſticos, qui cauſas Eccleſiaſticas à Iudicibus Apoſtolicis auocant, & actores ad reuocanda impetrata compellunt.

Decima-quarta, In Iudices ſæculares, qui Eccleſiaſticas perſonas præter iuris Canonici diſpoſitionem ad ſuum tribunal trahunt, vel trahi faciunt; quique Eccleſiaſticam libertatem tollunt, lædunt, deprimunt, aut quouis modo reſtringũt, vnde Romanæ Eccleſiæ, aut quarũ cũque Eccleſiarũ iuribus, quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expreſsè præiudicatur.

Decima-quinta, In impedientes Prælatos Eccleſiaſticos, ne ſuâ iuriſdictione Eccleſiaſticâ contra quoſcumque vtantur, ac in eos, qui illorũ, ac Delegatorum iudicia eludunt, ad Cancellarias, & curias ſæculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia Ordinarijs, aut delegatis decerni, & contra illos exequi procurant, & in exequentes, decernentes, ſeu dantes conſilium, auxilium, patrocinium, & fauorem in eoſdem.

Decima-ſexta, In vſurpantes Sedis Apoſtolicæ, & quarumcumque Eccleſiarum iuriſdictiones, fructus, reditus, & prouentus, aut eos ſequeſtrantes.

Decima-ſeptima, In imponentes collectas, decimas, & alia onera perſonis eccleſiaſticis, eccleſijs, monaſterijs, aut eorũ fructibus abſque ſpeciali, & expreſsâ licentia Romani Pontificis, & in exequẽtes, procurãtes, & dãtes cõſilium, auxilium, fauorem, votum, ſeu ſuffragium palam,

& occultè: In qua excommunicatione comprehenduntur, qui ſic impoſita etiam à ſponte dantibus, & concedentibus recipiunt: Includuntur etiam quacumque dignitate etiamſi imperiali, aut regali præfulgeant.

Decima-octaua, In iudices ſæculares in cauſſis capitalibus, ſeu criminalibus cõtra perſonas quaſcumque Eccleſiaſticas ſe interponentes, proceſſando, ſententias proferendo, aut exequendo: Nec valent priuilegia contra dicta.

Decima-nona, In occupantes terras, & loca Eccleſiæ Romanæ, & in illis ſupremã iuriſdictionem vſurpantes.

Vigeſima, In raptores ſupellectilium, librorum, ſcripturarum, & bonorum Cameræ, & Palatij Apoſtolici ex eodem palatio tempore infirmitatis Pontificis, & Sedis Apoſtolicæ vacationis.

Excommunicationes Summo Pontifici in iure reſeruatæ.

Prima, c. 17. q. 4. c. Si quis. Si quis, ſuadente Diabolo, iniecerit manus violentas in Clericum, ſubiaceat excommunicationi, & à nullo præterquam à Papâ, niſi in mortis articulo, abſoluatur, & conſpectui Apoſtolico repręſentetur. Idẽ habetur c. Cũ illorum, &c. de monialibus, &c. veniens, de ſententia excommunicationis.

Secunda, c. quærenti de officio delegati. Excommunicatus à delegato Papæ, ſi integro anno in excõmunicatione perſeuerat, eo abſoluto, abſoluẽdus eſt à Papâ.

Tertia,

Tertia, c. dura de crimine falſi. Excommunicatus à Diœceſano, eo quòd habuerit litteras falſas Papæ, ſi eas infra viginti dies non deſtruat, & reſignet.
Quarta, c. ſignificauit. de ſententiâ excommunicationis. Clerici, qui participant in diuinis tam in Eccleſiâ, quàm alibi ſponte, & ſcienter cum excommunicato à Papa.
Quinta, c. tua, de ſententiâ excommunicationis. Incendiarius excommunicatus, & denunciatus, præterquam in articulo mortis.
Sexta, c. conqueſtus, de ſententia excommunicationis. Excommunicati propter ſpoliationem Eccleſiæ cum effractione poſt denunciationem, abſoluendi ſunt à Sede Apoſtolicâ.
Septima, c. fundamenta. de electione in 6. Excommunicantur eligentes in Senatorem Romanum aliquem Imperatorem, Regem, Comitem, aut alium potentem.
Octaua, c. fœlicis de pœnis. Qui inſectatus fuerit Cardinalem, percuſſerit, vel ceperit, &c. Sed hæc excommunicatio cum extenſione reuocata eſt ad Bullam cœnæ Domini, vt ex eâ patet.
Nona, c quicumque de ſententiâ excommunicationis in 6. Excommunicantur, qui facultatem tribuerint alicui interficiendi, capiendi, aut vexandi perſonas aliquorum, aut eorum facultates, aut ſuorum, eo quòd tulerint ſententiam excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti contra Reges, &c. aut contra quoſcunque alios eorum miniſtros, aut contra alios quoſlibet: Excommunicat etiam eos, qui vſi fuerint tali faculta-

te, aut proprio motu fecerint aliquid ex huiuſmodi prædictis; ſi duobus menſibus perſeuerauerint in dictâ excommunicatione, à ſolo Papâ abſoluuntur.

Decima in Clementinâ Multorum, de hæreticis. §. verum. Excommunicantur omnes inquiſitores inferiores Epiſcopis, qui odij, gratiæ, amoris, lucri, aut commodi temporalis gratiâ contra iuſtitiam, & conſcientiam omiſerint procedere contra quemcumque, quando procedendum eſt, aut ex eiſdem cauſſis alicui impoſuerint hæreſim.

Vndecima, Clementinâ 1. de priuilegiis. Excommunicantur Religioſi, qui ſine licẽtiâ expreſsâ preſbyteri parochialis, præſumunt adminiſtrare Clericis, aut laicis Sacramentum extremæ vnctionis aut Euchariſtiæ, aut benedicere nuptias, aut abſoluere excommunicatos à canone, vel etiam à culpâ, & pœnâ,

Duodecima, Clementinâ capientes, de pœnis circa finem. Excommunicantur Clerici, & Religioſi, qui violant conſtitutionem illis prohibentem aliquem inducere ad vouendum, iurandum, aut promittẽdum eligere ſepulturam in ſuâ Eccleſiâ, aut quod non mutabit electum.

Decima-tertia, Clementinâ graue, de ſententiâ excommunicationis. Excommunicantur Nobiles, & Domini temporales cogentes aliquem ad celebranda diuina officia in locis interdictis, ſiue compulſio fiat perſonæ Clericorum, ſiue eorum conſanguineis. Et qui voce præconis, aut ſonitu campanæ conuocant populum ad audiendum Miſſam in tali loco, aut etiam qui prohibent ne

ex-

excommunicati, aut interdicti ab Eccleſiâ eijciantur, quamdiu peraguntur Diuina.

Excommunicationes ſummo Pontifici in extrauagantibus iuri inſertis reſeruatæ.

Prima, extrauagante 2. de ſepulturis inter communes. Excommunicãtur, qui exenterant mortuos ad eos conſeruandos, aut eos conſcindunt in fruſta, & ea coquunt, vt oſſa carnibus denudata deferãt, & ſepeliant in alio loco: Et qui hoc fieri iubẽt.
Secunda, Extrauag. 1. de ſimoniâ. Excommunicãtur, qui dant, aut accipiunt aliquid ob ingreſſum in aliquod Monaſterium.
Tertia, Extrauag. Pauli 2. de ſimoniâ. Excommunicantur committentes ſimoniam in ordine, vel beneficio, & eius rei mediatores.
Quarta, Extrauag. Martini 5. de regularibus. Excõmunicantur fratres ordinum mendicantium ſine ſpeciali facultate Papæ migrantes ad non mendicantes, excepto ordine Carthuſianorum: Excommunicantur quoque admittentes eos.
Quinta, extrauag. Graue nimis, Sixti 4. de reliquijs, & veneratione Sanctorum. Excommunicatur, qui docuerit peccare mortaliter eum, qui dixerit beatam Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali, & è contrario, qui docuerit peccare mortaliter oppoſitum tenentem. Ad hanc accedit Conc. Trid. ſeſſ. 5. decreto de peccato originali.

Sexta, Extrauag. 1. de ſententiâ excommunicationis. Excommunicantur omnes, qui largiuntur, aut accipiunt aliquid, aut promittunt in Curiâ Romanâ ad obtinendam iuſtitiam, aut promerendam gratiam alicuius rei: Angelus, Syluester, & alij dicunt hanc extrauagantem eſſe reuocatam per Martinum 5. de quo quidam hactenus dubitauerunt; quicquid ſit, nunc reuocata eſt per Gregorium 13. anno Domini 1574. die octauâ Nouembris in extrauagante incipiente, Ab ipſo; quam ad longum explicat Nauarrus in Cômentario de datis, & promiſſis pro iuſtitiâ, & gratiâ obtinendâ.

Septima, Extrauag. etſi Dominici, de pœnit. & remiſſ. Excommunicantur Confeſſores abſoluentes excommunicatos à caſibus, & cenſuris reſeruatis.

Excommunicationes ſummo Pontifici reſeruatæ in extrauagantibus recentioribus necdum iuri inſertis.

Prima, Extrauag. ea quæ, Pij 4. Clem. 7. Iul. 2. Leon. 10. Excommunicantur pugnantes in duello, Domini (exceptis Regibus) dantes eis campum, auxilium præſtantes, eisque intereſſentes.

Secunda, Extrauag. inter multiplices Pij 4. Excommunicantur prouiſi de Parochialibus Eccleſijs, Vicarijs perpetuis à Papâ, &c. & non adimplentes iuramenta fidei iuſſoria, &c.

Tertia, Extrauag. cùm ſicut, Pauli 3. & Greg. 13. Excõmunicantur non reddentes rationes in Camerâ Apoſtolicâ integraliter.
Quarta, Extrauag. Romanum Pontificem, Pij 4. & intolerabiles Pij 5. Excommunicantur accipientes apertè, occultè, retinentes etiam Eccleſias, Eccleſiaſtica quoque beneficia quæcumque in cõfidentiam.
Quinta, Extrauag in ſublimi Pij 4. Excommunicantur Officiales expedientes, aut concedentes in ſacrâ pœnitentiariâ interdicta eis per Bullam.
Sexta, Extrauag. Decori, Pij 5. Excommunicantur moniales exeuntes de clauſurâ (quæ extenditur vſque ad portam exteriorem per declarationem Gregorij 13.) dantes eis licentiam, comitantes eas, & receptantes.
Septima, Extrauag. in omnibus Pij 5. Excommunicãtur Officiales ſacræ pœnitentiariæ accipientes aliquid etiam à ſponte dantibus, aut aliàs pro expeditionis celeritate.
Octaua, Extrauag. Durum nimis Pij 5. Excommunicantur accipientes priuilegio, vel conſuetudine aliquid ex fructibus primi, vel vlterioris anni beneficij vacantis: Epiſcopi ſuſpenduntur à Papâ abſoluendi.
Nona, Extrauag. Quam plenum, Pij 5. Excommunicantur omnes Epiſcopis inferiores proponentes populo indicem caſuum, & gratiarum cum indulgentijs, ita quòd, ſolutâ certâ quantitate, poſſint ſibi ſumere Sacerdotem, qui eos abſoluat à caſibus Epiſcopalibus; Epiſcopi autem incurrunt ſuſpẽſionem ab ingreſſu Eccleſiæ, &

perceptione fructuum ad beneplacitum Papæ.

Decima, Extrauag. Ex ſuperna, Pij 5. Excommunicantur Legati, Gubernatores, &c. homicidam, vel bannitum ad Ciuitatem reuocantes, nec per diẽ vnum, vel noctem etiam cum ſaluo conductu.

Vndecima, Eadem extrauag. Excommunicãtur Barones, Domini, ac Ciues Romani Eccleſiæ ſubiecti admittentes ſupradictos in terris ſuis.

Duodecima, Eadem extrauag. Excõmunicantur Domini ſubiecti Eccleſiæ Romanæ in eorum diſtrictu occidentes, vulnerantes, &c. patrem, filium, aut fratrem, vel propinquum, amicum, vel domeſticum; propter vindictam ſuam, amici, vel propinqui iniuriam.

Decima tertia, Extrauagantibus Pij 2. Pauli 2. Iulij 2. Sixti 4. Leonis 10. Clementis 7. Pij 4. Pij 5. Excommunicantur Domini temporales regni Siciliæ citra Pharum, & aliarum partium Romanæ Eccleſiæ ſubiectarum homicidas, & bannitos Romanæ Eccleſiæ receptantes, protegentes, vel auxilium, conſilium, vel fauorem dantes.

Decima quarta, Extrauagante licet omnibus Pij 5. Excommunicantur capientes in ſeruos Chriſtianos habitantes in terris occupatis à Turcis.

QVAESTIO SECVNDA.

Qui, & quotuplices ſunt caſus Epiſcopis reſeruati?

IN genere ſunt omnia, & ſola peccata, quorum abſolutionem Epiſcopus non concedit Parochis, & alijs inferioribus Sacerdotibus.

In

In ſpecie caſus Epiſcopis reſeruati reperiuntur in triplici differentia; quædam reſeruantur illis ipſo iure; quædam generali Eccleſiæ conſuetudine; quædam ſpeciali conſuetudine, aut conſtitutione ſingulorum Epiſcopatuum.

De iure communi reſeruantur ſubſequentes ſecundũ Gloſſam c. 2. de pœnit. & remiſſ. lib. 6. *Primus* eſt peccatum clerici, quod annexam irregularitatem habet, vt refert Syluest. & alij ab eo citati verb. caſus. q. 3. Sed Nauarro verius, & vſitatius videtur dictum Cardinalis in clementina Dudum. §. ac etiam, de ſepulturis; ſcilicet clericum, qui ob aliquod peccatum irregularitatem incurrit, poſſe abſolui à cenſura, ſi quæ ſubeſt, & à peccato, antequam cum illo in irregularitate diſpenſetur.

Secundus crimen incendiarij, quando quis domos, fruges, aut res alias ex propoſito incendit, vel ad hoc auxilium, vel conſilium præbet. c. peſſimam. 23. q. 8.

Tertius eſt peccatum, ob quod ſolennis pœnitẽtia imponenda eſt, quæ ob ſolum notorium peccatum, graue, & ſcandaloſum imponitur. c. final. 23. q. 6. cum Gloſſa. Sed hæc pœnitentia ſolennis non eſt amplius in vſu.

Quartus Blaſphemia publica, & notoria. c. ſtatuimus de maledicis. Quod tamen Capitulum hoc non probat, quia, vt rectè ſuprà Nauarrus poſt Angelum annotauit, ſolùm loquitur de abſolutione Blaſphemiæ in foro exteriori: Deinde quia ius nouum §. ad abolendam, ſeſſ. 7. Concilij Lateran. ſub Leone 10. contrarium ſatis ſubindi-

indicat, quando vetat ne Confeſſarij Blaſphemos in foro conſcientiæ, niſi cum grauiſſimâ pœnitentiâ ad arbitrium ſeueri Confeſſarij, abſoluant: innuit enim eos cum prædictâ pœnitentiâ poſſe abſoluere. Verùm huius quæſtionis exactior diſputatio apud nos ſuperuacanea eſt, quia quicquid ſit de iure communi, conſtitutione ſpeciali Diœceſis Leodienſis reſeruatur Blaſphemia, quæ eſt publica, & enormis, vt patet ex antiquis ſtatutis, & ex Parochiali Leodienſi nouiſſimè in lucem edito, Rubrica de caſibus Epiſcopo reſeruatis.

Quintus Diſpenſatio votorum, & iuramentorũ; verùm quia diſpenſationes non ſunt peccata, non poſſunt propriè loquendo dici caſus reſeruati: cui enim non competit definitio, nec definitum poteſt competere.

Sextus Abſolutio excommunicationis maioris. Gloſſ. c. 1. de pœn. & remiſſ. Sed neque hic poteſt numerari inter caſus, quia abſolutio excõmunicationis non eſt peccatum, ſicut nec ipſa excommunicatio, ſed potius peccati pœna.

Ex quibus infertur iuxta probabiliorem opinionem Nauarri c. 27. nu. 262. vnum eſſe tantum, aut ad ſummum duos caſus reſeruatos Epiſcopis de iure, nimirum crimen incendiarij, & peccatum ob quod ſolennis pœnitentia indicenda eſt: Verum quia, vt ſuprà diximus, ſolennis pœnitentia non eſt amplius in vſu, relinquitur vnus tantum caſus de iure Epiſcopis reſeruatus.

De conſuetudine generali, vel quaſi generali reſer-

reſeruantur Epiſcopis alij caſus, quos ponit Gloſſa extrauaganti, Inter cunctas, de priuilegijs.

Primus, eſt homicidium voluntarium, aut realis membri abſciſſio, quia mentalis, aut verbalis etiam perueniens ad percuſſionem non comprehenditur. Anton. 3. p. titul. 17. c. 11. & Nauarrus ſuprà.

Secundus, Crimen falſi. quando quis vitiat litteras, vel ſcripturas, vel dat falſum teſtimonium, aut tacet veritatem coram Iudice, quando debet illam dicere, aut recipit pecuniam, ne teſtimonium dicat, aut cùm Aduocatus, Procurator, Notarius oſtendit inſtrumenta vnius partis alteri. Syluester verb. caſus. q. 5. Armilla, & Nauarrus ſuprà.

Tertius, Violatio Eccleſiaſticæ libertatis, quâ iniuſtè perſonæ, & res Eccleſiaſticæ grauantur. Hodie eſt caſus Papalis, vt patet ex proceſſu Cœnæ Domini.

Quartus, Violatio immunitatis Eccleſiaſticæ, quâ in Eccleſiâ, vel ſacro loco, vel priuilegiato in circuitu Eccleſiæ proximus in perſonâ, vel rebus offenditur, vel aliter Eccleſiæ immunitas læditur, putà extrahendo iniuſtè delinquentem gaudentem loci ſacri immunitate: & ita omne ſacrilegium videtur caſus Epiſcopalis de conſuetudine. Syluester verb. caſus q. 5. & explicat Nauarrus c. 25. nu. 17. & 18. & Viualdus de abſolutione nu. 54.

Quintus, eſt ſortilegium, & diuinatio. *Syluester, & Armilla ſuprà.*

Nauar-

Nauarrus adijcit ſextum, peccatum retinendi incerta aliena c.27. nu. 262. Et apud eundem habes illum vtiliter explicatum c. 17. nu.92.

Ex quibus colligitur ſolùm eſſe quinque, aut ſex caſus Epiſcopis reſeruatos de generali cõſuetudine.

De conſuetudine, aut quaſi conſuetudine, & conſtitutione ſpeciali Epiſcopo Leodienſi reſeruantur ſubſequentes, quos refert Parochiale Leodienſe nouiſſimè editũ, de Sacramento Pœnitẽtiæ rubricâ de caſibus Epiſcopo reſeruatis. *Hæreſis, Apoſtaſia, homicidium voluntarium, Iniectio manuum in parentes, machinatio in mortem couiugis, Veneficium, Maleficium, Incantatio, Procuratio aborſus, prolis oppreſſio, Stuprum. ſiue violenta virginis defloratio, Raptus, matrimonium contractum poſt votum caſtitatis, aut in gradu prohibito ſcienter, vel priore adhuc vxore viuente, Inceſtus cum conſanguineis, aut cum virgine ſacrâ, ſeu moniali profeſſa, Concubitus contra naturam putà Sodomia, aut eius generis grauiora crimina, falſitas circa monetam, falſitas circa litteras alicuius Prælati inferioris Papa, Solenne periurium, publica, & enormis blaſphemia in Deũ, aut Sanctos, Inſignis contumelia illata ſacro-ſanctæ Eucharistiæ, aut ſacris Sanctorum reliquijs, abuſus ſacroſanctæ Euchariſtiæ, aut ſacrarum reliquiarum, vel etiam ſacræ ſcripturæ ad exercitium artium magicarum, Omnes caſus occulti, S. Sedi Apoſtolicæ reſeruati. Item Excommunicatio, ſuſpenſio, & irregularitas ex his proueniens, demptâ tamen irregularitate ex homicidio voluntario proueniente.* Nam hi caſus Epiſcopo ſunt conceſſi per S. Conc. Trid. ſeſſ. 24. decreto de reformat. c. 6. Liceat Epiſcopis.

Ex

Ex quibus omnibus reſolutoriè patet iuxta probabiliorem opinionem vnicum eſſe caſum iure communi Epiſcopis reſeruatum, qui ſaltem ſit in vſu: De conſuetudine communi Eccleſiæ quinque, vel ſex, ſecundum Nauarrum ſuprà: De ſpeciali conſuetudine, & cõſtitutione Diœceſis Leodienſis, excluſis duobus, qui inter reſeruatos communi conſuetudine numerantur, viginti: Qui omnes poſteriori parte huius tractatus diligenter explicabuntur.

Difficultas vnica: An mortuo, vel amoto Epiſcopo Leodienſi, remaneant aliqui caſus reſeruati in Diœceſi Leodienſi?

Proculdubio remanent, non ſolùm illi, qui de iure communi, vel communi conſuetudine Epiſcopis reſeruantur, ſed etiam illi, quos Epiſcopus Leodienſis ſpeciali cõſtitutione, vel ſtatuto ſibi reſeruauit, arg. c. final. de officio Legati. Ratio eſt, quia ſtatutum durat poſt mortẽ ſtatuentis, niſi expreſsè reuocetur.

CAPVT SEXTVM.

De quibuſdam regulis, quarum adiumento faciliùs cognoſcere poteſt Confeſſarius, an aliquid ſit caſus reſeruatus, necne.

QVAESTIO VNICA.

Súntne regulæ quibus facilius, & rectius iudicari poſſit, num id, quod proponitur, ſit caſus reſeruatus?

Tradunt

TRadunt ſparſim Doctores regulas quaſdam, quæ ad hanc rem non parum adiumenti adferre poſſunt.

Prima, Reſeruatio eſt ſtrictè interpretanda. Ratio regulæ eſt, quia reſeruatio habet quandam rationem pœnæ, quæ eſt odioſa: Odia autem conuenit reſtringi, ſicut fauores ampliari. De regulis iuris in 6. Vnde conſequitur in reſeruationibus non eſſe ſpectandam paritatem rationis, ſicut nec in pœnis; Quicquid dicat Sylueſter verb. lex. q. 18. Quia reſeruatio magis pendet ex voluntate, quàm ratione ipſius reſeruantis; ſicut lex pœnalis non tam pendet ex ratione, quàm voluntate ipſius Legiſlatoris. In materiâ ergò reſeruationis nihil valet argumentum à ſimili, neque ab æquiualenti, neque à maiori: non enim ſequitur, legens librum hæreticum incidit in excommunicationem ſummo Pontifici reſeruatam per Bullam Cœnæ Domini, ergo & audiens concionem hæreticorum, quamuis hoc ſit illo periculoſius.

Secunda, Reſeruatio communiter intelligitur de peccatis mortalibus. Ratio regulæ eſt, quia peccata venialia non ſolent reſeruari. An venialia reſeruari poſſint, & an bene reſeruentur in religionibus maximè, quæ vitæ contemplatiuæ vacant, alia quæſtio eſt. Poſſe reſeruari, præſertim ſi dubiũ ſit, an ſint mortalia, docent Sotus in 4. diſt. 18. q. 2. art. 3. & Paludanus, qui in 4. diſt. 13. dicit eſſe communem ſententiam Theologorum.

Tertia, Reſeruatio intelligenda eſt de actibus exterioribus

cum

rum effectu. Eſt Paludani apud Syluestrum verb. Caſus q. 5. Ratio regulæ eſt, quia, ſicut Eccleſia non cognoſcit de actionibus, quæ in ſolo intellectu fiunt, aut voluntate (cùm ſolus Deus ſit ſcrutator cordis) ita etiam non punit. Explicatur regula exemplo. Homicidium eſt caſus Epiſcopo reſeruatus: ſi quis mente etiam deliberatâ velit occidere, ſi non occidat, non incidit in illum caſum, quia nullus eſt actus exterior. Imò neque incidit, ſi homicidium mente conceptum ſigno exteriori manifeſtet, putà verbo, dicens ſe alium occiſurum, imò, & facto, ſi verberet, modò occiſio non ſequatur; quia reſeruatio intelligitur non ſolùm de actu exteriori, ſed & illo, quem effectus ſequitur, vt obiter ſuprà ex Antonino diximus p. 3. titul. 17. c. 11.

Quarta, Caſus Summo Pontifici reſeruati, ſubinde nõ ſunt iudicandi tales ratione qualitatis perſonæ. Habet hanc regulam *Sacerdotale Remenſis Diœceſis de Sacramento Pœnitentiæ, rubricâ De caſibus reſeruatis Papæ, & Epiſcopis.*

Hinc peccata impuberum, vt maſculorũ antè 14. annum, quæ aliàs eſſent Pontifici reſeruata, erunt iudicanda ſolùm Epiſcopo reſeruata, vel nulli: Epiſcopo, ſi vſu rationis vtcumque perfecto polleant, aliàs, nulli. Sic inceſtus puerorum, qui perfectum vſum rationis necdum habent, dicit Paludanus non eſſe reſeruatos, vt refert Syluester ſuprà. Quæ ſententia vera eſt, etiamſi pueri poſt pubertatem abſolutionem petant. Caiet. verb. excommunicatio c. 10. Similiter peccata Regularium, ac Monachorum nõ debent iudicari Summo Pontifici reſeruata, li-

cet aliàs ſimpliciter conſiderata talia eſſent; Quod tamen ſanè intelligēdum eſt, nam quamuis non ſoleant Romam mitti pro abſolutione, ne occaſionem vagandi, & apoſtatandi ſumāt, poſſet tamen tanta eſſe criminis enormitas, vt meritò Romam per Superiores mitti deberent. argumento c. Cùm illorum, de ſententia excōmunicationis, & illorum, quæ habet Caietanus verb. excommunicatio c. 10. Peccata quoque fœminarum partim ob infirmitatem ſexus, partim quia ſunt ſub virorum poteſtate, ſed præcipuè ne zelus maritorū in eas implacabiliter exardeſcat. Iuniorum etiā viduarum, ac puellarū propter periculum incontinentiæ. Senum item, ac valetudinariorū; quia laborem itineris ferre non poſſent. Demùm pauperū, maximè ſi fuerint coniugati, ne diutina eorum abſentia vxorem, ac liberos obijciat mēdicitati, vel flagitio.

Quinta, Caſus Summo Pontifici reſeruati ſubinde non ſunt iudicandi tales ratione impedimenti externi. Hinc quibus ſaluâ vitâ, libertate, & rebus ſuis Romam adire non licet, non ſunt ad Papam, ſaltem quādiu durat huiuſmodi impedimentum, ſed ad Epiſcopum, eius Vicarium, aut Pœnitentiarium mittendi, à quo abſoluantur.

Sexta, Quando excommunicatio aliqua fertur contra facientes, non incidunt in illum caſum mandantes, auxilium ferentes, fauentes, niſi id exprimatur, vel ex alijs iuribus colligatur. Eſt Nauarri c. 27. nu. 51. & omnium, & colligitur ex primâ regulâ.

Septima, Quando excommunicatio etiam fertur in dantes conſilium, auxilium, fauorem, debet intelligi de ijs, qui efficaciter

taciter hoc fecerunt, hoc eſt, quia ſine illo concurſu conſilij, auxilij, fauoris crimen commiſſum non fuiſſet. Nauarrus ſuprà nu. 52. & colligitur non obſcurè ex ſuperioribus.

Octaua, Quando excommunicantur dantes conſilium, auxilium, fauorem, videndum eſt an excommunicatio feratur principaliter contra facientes, & ſecundariò contra auxiliũ ferentes, an verò contra vtroſque principaliter; Quia in priore caſu auxiliantes non incurrunt caſum reſeruatum, aut cenſuram, niſi facinus re ipsâ ſubſecutũ fuerit; In poſteriore verò incurrunt cenſurã ſtatim poſt conſiliũ, auxiliũ, etiãſi ſcelus non ſequatur. Per. c. 2. de homicidio in 6.

Nona, Quãdo excõmunicatio fertur cõtra eos, qui aliquid facere præſumũt, nõ cõprehendũtur ij, qui ex metu, aut alio affectu præter ſuperbiã hoc faciũt: Et quando dicitur ſcienter, non incurrunt, qui id ignoranter fecerint. Secũdum omnes, & colligitur clarè ex ſuperioribus.

Decima & poſtrema: Quando Confeſſarius dubitat, An id, quod proponitur, ſit caſus reſeruatus, necne, non priùs debet abſoluere, & iudicare non eſſe reſeruatum, aut contrà, iudicare eſſe reſeruatum, & non abſoluere, quàm ipſe ſe reſoluerit, vel per ſe proprio ſtudio legẽdo libros, qui caſus cõſcientiæ tractant, vel doctiores conſulendo. Aliàs enim peccaret, vel exponendo ſe periculo abſoluendi, quem non poteſt abſoluere defectu iuriſdictionis, quando iudicat non reſeruatum, cùm ſit reſeruatus; vel exponendo periculo inijciendi alteri ſcrupulum, & falſam opinionem, iudicando eſſe reſeruatũ, cùm non ſit reſeruatus: ſicut in c. ſi quis autem, de pœnitentia diſt. 7. nu. 270. in ſimili docet Nauarrus peccare Iudicem, qui in dubio fert ſentẽtiam, antequam dubieta-

tem animi deponat.

CAPVT SEPTIMVM.

De articulo mortis, in quo ceſſat omnis reſeruatio.

QVAESTIO VNICA.

An ſit aliqua reſeruatio in articulo mortis?

ILlo articulo ceſſare omnem reſeruationem definit Conc. Trid. ſeſſ. 14. de Sacramento Pœnitentiæ c. 7. his verbis: *Piè admodum in Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis, atque ideò omnes Sacerdotes quoſlibet Pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt.* Hoc idem inſinuat paſſim modus loquendi Canonum; vbicumque enim Canones reſeruant abſolutionem excommunicationis Summo Pontifici, ſemper excipiunt articulum mortis. c. Paſtoralis §. præterea, de officio ordinarij. c. fures, de furtis. c. eos qui, de ſententiâ excommunicationis in 6. & alijs.

Probatur hoc ipſum euidenti ratione; quia neceſſitas ſpiritualis multò maior eſt, quàm corporalis: ſed in extrema neceſſitate corporali poteſt quis pane, & re alienâ vti etiam non rogato Domino, imò inuito; Ergo in illâ neceſſitate ſpiritualis ſalutis poteſt quiſque ab alieno Sacerdote abſolutionem accipere.

Confirmatur, quia cùm Sacramentum Pœnitentiæ ſit in remiſſionem peccatorum inſtitutum,

tum, & articulus mortis ſit, vbi agitur res aut perpetuæ fælicitatis, aut perpetuæ damnationis, non ageret Eccleſia, quæ Spiritu ſancto gubernatur, ſecundum ampliſſimam Dei miſericordiam, ſi non omni remedio exeunti ab hac luce promptiſſimè ſuccurreret, atque adeò ſi tunc aliquod peccatum reſeruatum vellet, aut aliquem Sacerdotem ſuſpenſum, ne munus abſolutionis impenderet. Quæ rationes inſinuantur à Conc. Trid. loco ſuprà allegato.

Difficultas prima: Quid in propoſito vocatur articulus mortis?

Aliqui vocant articulum mortis, cùm mors eſt in fieri per cauſſam naturalem, aut violentam, nempe aut per infirmitatem, aut dum quis miniſterio iuſtitiæ eſt extremo ſupplicio afficiendus; Et conſequenter dicunt in his tantum caſibus licere cuicumque Sacerdoti quemlibet abſoluere à quibuſcumque peccatis, & cenſuris. Ita Sotus in 4. ſent. diſt. 18. q. 4. art. 4. Et Canus de Pœnitentiâ parte 5. Alij paulò latiùs extendunt, & vocant articulum mortis, non ſolùm dum quis eſt morti proximus modis ſuprà dictis, ſed etiam dum quis voluntariè mortis periculo ſe obijcit, putà quando quis vel prælium, vel mare periculoſum ingreditur; Et cõſequenter exiſtimant licere cuicumque Sacerdoti abſoluere tales à quibuſcumque peccatis, & cenſuris, etiam in illis caſibus. Ita Nauar. c. 2. nu. 9. & latius c. 27. nu. 272. poſt Adrianum de confeſſione q. 3. & Syluestrum verb. confeſſ. 1. §. 7. Quæ extenſio videtur admittenda illo

caſu ſaltem, quo ad ſuperiorem non eſt facilis aditus, & illi ſic limitatæ ſubſcribit Viualdus de abſolutione nu. 60.

Difficultas ſecunda: An ſit ex iure diuino, an humano quod quiuis Sacerdos poſſit quemuis à quibuſuis abſoluere in articulo mortis?

Quidam dicunt eſſe à iure diuino, vt Paludanus in 4. in diſt. 20. q. 1. quem ſequitur Nauarrus c. 27. nu. 259. & alibi ſæpiùs. Alij dicunt ſolùm eſſe ex iure humano. Sotus in 4. ſent. diſt. 18. q. 4. art. 4. & alij plures; quæ opinio eſt probabilior lõgè, & communior apud Theologos. Ratio eſt, quia Chriſtus iuxta mentem omnium Catholicorum ſoli Petro tanquam Paſtori cõmiſit curam, & regimen totius Eccleſiæ, quando dixit, *Paſce oues meas*, Ioannis 21. c. Ad regimen autem ſpectat iuriſdictio tam in foro interiori conſcientiæ, quàm in foro exteriori: Ergo nullo caſu quis habet iuriſdictionẽ niſi per Eccleſiæ paſtorem illi communicetur, atque ita humano iure; quamuis fatendum ſit illam ad abſoluendum iure naturali, & diuino eſſe neceſſariam. Confirmatur hæc opinio more loquendi Eccleſiaſtico; vbicumque enim Canon Eccleſiaſticus reſeruat excommunicationis abſolutionem, dicens, vt à nullo præterquam à Summo Pontifice detur abſolutio, ſemper ſubijcit, præterquam in mortis articulo, vt antè oſtendimus, quaſi nimirum ſua ſit facultas illam in illo articulo concedendi.

Difficultas tertia: An Sacerdos ab Eccleſiâ præciſus maximè apoſtata à fide, vel hæreticus poſſit abſoluere in articulo mortis?

Dicendum poſſe cum communi ſentẽtiâ Doctorum ſcholaſticorum Sylueſtri, Maioris, Paludani, & aliorum, quos ſtudiosè citat Viualdus de abſolutione nu. 64. Neque ab hac ſententiâ recedendum, quicquid illi contradicant Nauar. cap. 26. nu. 16. & Sotus in 4. diſt. 18. q. 4. art. 4. Ratio mihi videtur certa, quia pro illa militat apertè Conc. Trid. generaliter enim loquitur de quocunque Sacerdote, hæreticus autem ſacerdos eſt ſacerdos; *Omnes* (inquit Conc.) *ſacerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſcumque peccatis, & cenſuris in articulo mortis abſoluere poſſunt.*

Difficultas quarta: An Sacerdos regularis abſque licentiâ ſui ſuperioris poßit in articulo mortis ſicut alij ſaculares ſacerdotes abſoluere?

Dicendum etiam poſſe; neque peccatũ inobedientiæ committit, quia regularis in hoc caſu à ſupremo Paſtore Eccleſiæ, cui etiam ſuus ſuperior parere debet, facultatẽ abſoluẽdi habet.

Difficultas quinta: An ſacerdos ſimplex, ſiue regularis, ſiue ſacularis abſoluens in articulo mortis teneatur petere licentiam, ſi facilis ſit aditus ad Superiorem?

Quidã exiſtimant non teneri; quia Cõc. Trid. vt antè patet, ampliſſimè loquitur, neque vllam ponit reſtrictionem: Probabilius tamen eſt teneri; Ratio eſt, quia Eccleſia non videtur velle dare facultatem, niſi quando proprius Sacerdos haberi non poteſt. Sotus in 4. diſt. 18. q. 4. art. 4. & Viualdus de abſolutione nu. 6. qui dicit Nauarrũ quoque in hiſpanâ editione ſui Enchiridij c. 27. nu. 111. eiuſdem eſſe opinionis; Verùm in latinâ, quam habemus, illius non meminit.

Difficultas ſexta: An abſolutus in articulo mortis per ſimplicem Sacerdotem à reſeruatis Superiori, ſi conualuerit debeat adire Superiorem, vt iterum abſoluatur?

Dicendum non debere. Ratio eſt, quia ſecundum omnes, peccata ſemel legitimè confeſſa, & abſoluta non ſunt neceſſariò ſecundò confitenda.

Non obſtat huic doctrinæ, quod abſolutus ab excommunicatione in articulo mortis teneatur parere mandato excommunicationis, quia aliud eſt parere mandatis, aliud abſolutionem petere, vt infrà latiùs oſtendemus.

Difficultas ſeptima: An ſimiliter ſimplex Sacerdos poſſit quemuis abſoluere à cenſuris, & peccatis in articulo mortis, hoc eſt, quando incertum eſt, an homo euadet?

Non conſtat apud omnes; quidam negant in eo periculo extra articulum mortis, poſſe ſimplicem Sacerdotem, quamuis alius non eſſet; atque ita monent Confeſſarium, qui inexpertus morborum neſcit periculum ab articulo diſtinguere, ne in dubio exponat ſe periculo abſoluendi fruſtra, dum ſpem habet, quod interim fortè veniet Parochus, aut Epiſcopus, vel doctus Confeſſarius approbatus, qui pœnitentis conſcientiam intricatam bene diſcutiat. At ij fallaci ſpe exponerent ſæpè infirmum periculo decedendi abſque abſolutione, ac ſubinde periculo damnationis. Quare certa ſententia eſt in praxi, in periculo probabili mortis, quæ nobis omnino incerta eſt, licere cuilibet Sacerdoti abſoluere à peccatis, & cenſuris. Colliguntur hæc non obſcurè ex Syluestro verb. abſolu-

tio

tio 1. nu. 8. & clarius ex Nauarro. c. 27.nu.272. ſub finem. §. Ceterum faceſſat ſubtilis illa nouitas, &c.

Difficultas octaua: Quid faciat ſimplex Sacerdos, ſi in articulo, vel periculo mortis cœpit audire confeſſionem, & ſuperueniens Parochus nolit eum perficere, ſed ipſe velit confeſſionem audire, & abſoluere?

Poteſt confeſſionem cœptam perficere, & abſoluere. Nam cum eo articulo, vel periculo nulla ſit reſeruatio, omnes Sacerdotes ex æquo habent iuriſdictionem, datumque eſt ab Eccleſia ampliſſimum priuilegium, ne quis illo tempore pereat, ſed infirmus eligat primùm occurrentem, cui confidenter ſine pudore aperiat totam conſcientiam. Sicut qui habet Bullam, vel tempore Iubilei poteſt etiam præſente Superiore, putà Epiſcopo, vel Parocho eligere alium, quem maluerit ex Confeſſarijs expoſitis.

Difficultas nona, & poſtrema: Quid ſi in ſimili articulo ante cœptam confeſſionem Parochus, & alius ſimplex Sacerdos ſint præſentes, poteritne ſic vicinus morti eligere ſimplicem Sacerdotem in Confeſſarium, etiam fortè negatâ licentiâ à Parocho?

Poterit, propter rationem iam dictam; Et cõfirmatur: Nam Conc. Trid. concedendo cuilibet Sacerdoti facultatem abſoluendi in tali caſu non limitauit illam, quando non eſſet præſens Parochus, ſed ſimpliciter dat facultatem clariùs, quàm hactenus fuerit iure antiquo expreſſ. Conſule Henriques lib. 3. de Sacram. pœnit. c. 12.

CAPVT OCTAVVM.

De contritione, vel attritione requiſitâ, vel non requiſitâ in abſolutione à caſibus vel cenſuris reſeruatis.

QVAESTIO VNICA.

Poſſúntne Summi Pontifices, Epiſcopi, Pœnitentiarij, vel horum delegati abſoluere irretitum caſu reſeruato, vel cēſurâ, qui neque contritus ſit, neque attritus?

PRo reſolutione reuocādum eſt in memoriam, quod antè diximus, caſui ſubinde annexam eſſe cenſuram, vt omni caſui Summo Pontifici reſeruato; ſubinde non eſſe, vt multis caſibus Epiſcopalibus, putà illis quos ſibi Epiſcopus Leodienſis ſpeciali conſtitutione reſeruauit, & quibuſdam alijs.

Hoc præſuppoſito reſpondendum cum diſtinctione: Si caſui reſeruato non eſt annexa cenſura, nullo modo habens talem caſum poteſt abſolui, niſi ad minus habeat attritionem, quæ cū Sacramento Pœnitentiæ fiat contritio, ſecundū D. Thomam in 4. & communem Theologorū; Sed illo caſu Pœnitenti dandum eſt conſilium iuxta c. quod quidam, de pœnit. & remiſſ. prout monet Nauarrus c. 10. nu. 4. Si caſui eſt annexa cenſura, putà excommunicatio Papalis, aut Epiſcopalis, licet qui illam incurrit neque attritus, neque contritus ſit, poteſt abſolui à cēſurâ, quam-

quamuis non à peccato. Quod eſt diligenter annotandum. Ratio diuerſitatis eſt clara, quia cēſura nō eſt peccatum, quod in liberâ auerſione voluntatis à Deo conſiſtit, ſed eſt pœna, quæ ordinariè eſt inuoluntaria, à quâ abſolui poteſt etiam inuitus, ſecundum D. Thomam in 4. ſent. diſt. 18. & communem: Et ſubinde expedit etiā inuitum ab eâ abſolui, vt ſi excommunicatio, quæ lata eſt ob ſalutem peccatoris, ad illam promouendam non proſit, ſed potius officiat: Regulariter tamen nemo ab illâ inuitus debet abſolui, quia impœnitens abſolutionem non meretur. Vide Sylueſt. verb. abſolutio 3.

Difficultas vnica: An maior contritio, vel attritio requiratur ad abſolutionem caſuum reſeruatorum, quàm non reſeruatorum? Pro reſolutione dico breuiter tria;

Primum non eſſe neceſſarium peccata reſeruata eſſe reliquis non reſeruatis grauiora: quod diligenter animaduertendum eſt; Quia reſeruatio non tam ex grauitate peccatorum, quàm ex voluntate, & prudenti arbitrio reſeruantis pendet, vt antè diximus: Sic odium Dei, quod ceteris omnibus peccatis ſuo genere eſt grauius, nulli eſt reſeruatum.

Secundum, quamuis contritionem, licet non quamuis attritionem, ſufficere ad remiſſionem omnium peccatorum quamuis grauiū, & enormium, reſeruatorum, & non reſeruatorum, ſecundum omnes. Ad idem quoque valere quandam attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ, ſecundum communem.

Tertium, omnino decere vt, qui grauius peccauit,

cauit, grauius doleat, & conteratur; & conſequenter grauiorem aſſumat ſatisfactionẽ. Quæ tanquam nota apud Theologos latiùs explicare omitto.

CAPVT NONVM.

De varijs modis confitendi caſus reſeruatos cum non reſeruatis.

QVAESTIO VNICA.

Cùm varij modi reperiantur apud Doctores confitendi caſus reſeruatos cum non reſeruatis, qui ſunt veri, & amplectendi? qui erronei, & fugiendi?

QVIA confeſſio Sacramentalis debet eſſe integra ſecundum omnes, & ſæpiùs cõtingit aliquem confiteri inferiori peccata reſeruata, à quibus ille non poteſt abſoluere cum non reſeruatis, à quibus poteſt; Naſcitur quæſtio apud Doctores non parua, de modo confitendi in tali caſu, ſeruatã integritate confeſſionis. Tradunt ipſi varios; quorum quidam ſunt erronei, quidam veri.

Primus modus confitẽdi erroneus, dicit Pœnitentem tali caſu debere primò omnia peccata reſeruata, & non reſeruata confiteri inferiori Sacerdoti, qui eum ab omnibus abſoluet. Deinde debere accedere Superiorem; cui iterum omnia ſua peccata confitebitur, & ab omnibus pariter abſoluet, vel ſaltem remittet ad inferiorem; qui rurſus abſoluet ab omnibus. Huius modi

modi confitendi meminit Durandus in 4. ſent. diſt. 17. q. vltima. Eſt dupliciter erroneus, primò enim falſum eſt inferiorem poſſe abſoluere ab omnibus, ſi aliquod ſit reſeruatum. Quod clarè expreſſit Conc. Trid. ſeſſ. 4. de Sacramento Pœnit. can. 11. Vbi ſic habetur; *Si quis dixerit reſeruationem non prohibere, quò minus Sacerdos à reſeruatis verè abſoluat, anathema ſit.* Secundò falſum eſt, quod quis ſemel legitimè abſolutus, debeat neceſſariò eadem peccata confiteri, ſecundum omnes Theologos. Cauendus igitur hic modus confitendi, quia, vt doctè, & prudenter monet Sotus in 4. ſent. diſt. 18. q. 2. art. 5. ſine cauſſa moleſtam, & odioſam confeſſionem reſeruatorum reddit.

Secundus modus erroneus; dicit Pœnitentem debere ſimiliter omnia ſua peccata, etiam reſeruata, confiteri Sacerdoti inferiori, qui ab omnibus abſoluet, hac lege, vt poſtea coram Superiore compareat, non vt ab illo abſoluatur, ſed vt vultum pecoris ſui agnoſcat, manifeſtando illi ſola reſeruata. Hic modus dicendi eſt Adriani, qui putat Pœnitentem habentem caſum reſeruatum, ſi Sacramentaliter ab inferiori abſoluatur, poſtea à Superiore non abſolui Sacramentaliter. Hic, duplex quoque error reperitur, Vnus in eo, quod dicit inferiorem poſſe abſoluere à reſeruatis, quod iam oſtendimus eſſe damnatum per Conc. Trid. Alter in eo quod dicit peccata reſeruata confitenda Superiori, non vt ille abſoluat, ſed ſolùm vt vultum ſui pecoris agnoſcat; Nam idem Conc. ſuprà

can.

can. 11. dicit Anathema illis, qui dicunt Epiſcopos non habere poteſtatem reſeruandi caſus, niſi quoad politiam exteriorem, non autem in foro conſcientiæ. Cauendus eſt ergo & hic modus, tãquam qui hæreticorum erroribus faueat.

Tertius modus erroneus habet, hominem, dum peccata reſeruata committit, peccare in Deum, & in Eccleſiam: Quare confitendo illa inferiori abſolui in foro Dei; confitendo Superiori in foro exteriori Eccleſiæ. Hic modus refertur à Durando loco ſuprà allegato; Sed erroneus eſt, ſicut & fundamentum, cui innititur. Diſtinctio enim illa, quam præſupponit, nõ habet locum in peccatis; nemo enim verè peccat niſi in Deũ: Et ideò ſi per claues Eccleſiæ pœnitens verè abſoluitur ab inferiori à reſeruatis quoad Deum, non indiget aliâ abſolutione à peccatis.

Quartus modus erroneus, aſſerit pœnitentem debere peccata non reſeruata cõfiteri inferiori, & ab illis ſolis abſolui; reſeruata debere cõfiteri Superiori, qui ab illis ſolis etiam abſoluat, vel ad inferiorem abſoluendum remittat. Hic modus dicendi eſt Nauarri c.26. Enchiridij nu.6. & latius in c. Conſideret §. cautus, nu.10. de pœnit. diſt. 5. & Caietani in ſummula verb. confeſſio, cõditione 10. & Soti in 4. diſt. 18. q. 2. art. 5. Quod hic modus erroneus ſit, patet, quia integritas confeſſionis eſt de iure diuino, non ſolum ſecũdum opinionem Theologorum, ſed etiam Canoniſtarum; Non poteſt ergo confeſſio diuidi niſi vrgente graui admodum neceſſitate.

Poſtre-

Poſtremus modus confitendi erroneus, dicit Pœnitentem debere cõfiteri omnia peccata reſeruata, & non reſeruata inferiori, qui abſoluet ſolùm à non reſeruatis, & remittet ad Superiorem pro abſolutione reſeruatorum. Hic modus eſt D. Thomæ in 4. ſent. diſt. 16. art. 2. ad 4. Et Richard. diſt. 17. art. 2. q. 8. Quod hic quoque ſit erroneus ratio manifeſtè conuincit, quia non magis debet diuidi abſolutio, quàm confeſſio: cùm vtraque pars ſit Sacramenti, ſed iure diuino confeſſio debet eſſe integra, extra caſum neceſſitatis: Ergo & abſolutio, quæ cadit ſuper confeſſionem, ſicut forma ſuper materiam.

Primus modus confitendi reſeruata cum nõ reſeruatis verus, & amplectendus eſt, vt pœnitens adeat Superiorem, cui omnia ſua peccata confiteatur tam reſeruata, quàm non reſeruata, & ille ab omnibus ſimul Sacramẽtaliter abſoluat. Hic modus proprijſſimus eſt, & nullam difficultatem habet, illumque proponit, & conſulit Conc. Trid. ſeſſ. 14. de Sacramento Pœnit. c.7. his verbis; *Sacerdotes, cùm nihil poßint in caſibus reſeruatis, id vnum Pœnitentibus perſuadere nitantur, vt ad Superiores, & legitimos iudices pro beneficio abſolutionis accedant.*

Secundus modus eſt, vt ſi pœnitens, qui peccatum reſeruatũ habet, facilè adduci non poſſit vt ad Superiorem vadat, roget inferiorem vt à Superiore facultatem abſoluendi obtineat, in qua concedendâ Superior debet eſſe facilis, ſecundum omnes: Quâ obtentâ ab omnibus

tam

tam reſeruatis, quàm non reſeruatis abſoluat. Hic modus maximè familiaris eſt, & hodie apud nos plurimum vſitatus. Illum etiam proponit, & conſulit Parochiale Leodienſe de Sacramento Pœnitentiæ, Rubricâ. *Quid agendum illi, qui in aliquem caſum reſeruatum lapſus eſt.*

Tertius modus eſt, ſi Superior eſt abſens, vel ita diſtans, vt non ſine magno periculo, vel per Pœnitentem, vel per Paſtorem, ſiue per ſeipſos, ſiue per nuncios, aut litteras adiri poſſit, & cõmunio Paſchalis inſtat: vel Pœnitens ipſe eſt Paſtor, & illi celebrare incumbit; Hoc caſu Pœnitens confiteatur inferiori omnia, & ſingula peccata non reſeruata, & reſeruata: Inferior verò non abſoluat niſi à non reſeruatis: interim Pœnitens communicet, & poſtmodum, opportunitate habitâ, Superiori integrè confiteatur, vel ab illo facultatem petat, quâ ab inferiori etiam à reſeruatis abſolui poſſit.

Hic modus quoque verus eſt, & quatuor dicit, Primum, Quod in caſu, quô ſuperior adiri non poteſt, & eſt neceſſitas communicandi, vel celebrandi, debet Pœnitens etiam reſeruata cõfiteri inferiori. Secundum, Quod licet Pœnitens omnia confiteri debeat, non poteſt tamen Inferior abſoluere niſi à non reſeruatis. Tertium, Quod tali obtentâ abſolutione à non reſeruatis, poteſt communicare, vel celebrare antequam adeat Superiorem. Quartum, Quod, poſtmodũ opportunitate habitâ, debet adire Superiorem. Ratio primi eſt, quia confeſſio, vt antè diximus, iure diuino debet eſſe integra. Ratio ſecundi,

quia Inferior non poteſt abſoluere à reſeruatis. Ratio tertij, quia in neceſſitate, quando quis non habet copiam Confeſſoris, & eſt tempus communicandi, vel celebrandi, licet communicare, vel celebrare, ſecundum omnes, & nouiſſimè Concil. Trid. definiuit. Ratio quarti, & poſtremi, quia habitâ copiâ legitimi Confeſſoris, qui in hac parte eſt Superior, abeſt neceſſitas, quæ illum antè excuſabat à confitendo legitimo Confeſſori.

Difficultas prima: An verum ſit, quod aſſerit Caietanus, in Summulâ, verbo Confeſſio, Romæ morem eſſe, vt Pœnitentiarij Pontificis abſoluant tantum à reſeruatis, & pro nō reſeruatis mittant ad alios?

Durandus, Adrianus, & plures alij Doctores dicunt non eſſe, neque vnquam fuiſſe ſimiliter morem, aut praxim in Romanâ Curiâ; niſi fortè dicamus abſolutionem, de quâ loquitur Caietanus, fuiſſe non Sacramentalem, ſed iudicialem in foro exteriori à cenſuris. Illis enim ſublatis, certum eſt Pœnitentiarios, & quoſcumque alios Superiores poſſe Pœnitentes mittere ad inferiores Sacerdotes pro abſolutione Sacramentali à peccatis; quia ſicut ſuprà ex communi ſententiâ aſſeruimus, ſublatâ cenſurâ Papali, caſus deſinit eſſe Papæ reſeruatus.

Difficultas ſecunda: An verum ſit, quod aſſerit Summa Angelica, verbo confeſſio. 1. §. 7. habentem peccata reſeruata non peccare. ſi, ne ſcandalizet Confeſſarium, cui ſolet frequentiùs confiteri, confiteatur illi ſolita tantùm, & non reſeruata, tacens de reſeruatis, cum intentione poſtea integrè confitendi illi, qui poteſt abſoluere ab omnibus?

Hic error Summæ Angelicæ dedit pleriſque occaſionem ſentiendi contra veritatem, & cõmunem opinionem non ſolùm Theologorum, ſed etiam Canoniſtarum, qui tenent integritatem confeſſionis eſſe de iure diuino; Vnde fit confeſſionem non poſſe diuidi niſi articulo neceſſitatis, qualis hîc non reperitur.

Difficultas tertia: Quid ſi Superior nolit concedere facultatem alteri confitendi reſeruata, tenebitúrne pœnitens illi confiteri?

Haud dubio tenebitur. Dicitur enim in c. omnis vtriuſque ſexus, *Teneatur quiſque confiteri proprio Sacerdoti. quod ſi alieno voluerit confiteri, petat prius, & obtineat à proprio auctoritatem.* Verùm ſicut ſtatim obiter inſinuauimus, Superior, non niſi ex graui cauſſa debet denegare facultatem, putà ſi bono communi iudicet hoc omninò expedire, vel vt auctoritas eius recognoſcatur, vel vt ſubditi hac ratione magis, ac magis à grauioribus criminibus auocentur.

Difficultas quarta: Quid faciendum, ſi Superior abſens inferiori facultatem dederit, vt à caſibus ſub reſeruatis pœnitentem aliquem abſoluat, ſub eo modo, vt iterum ei confiteatur?

Mouet hanc difficultatem Nauarrus c. 26. Enchiridij nu. 12. Cui reſpondet, confeſſarium teneri illum modum pœnitenti declarare; &, ſi eum non acceptauerit, non debere audire, ſi ante confeſſionem id ſciuerit; nec à reſeruatis abſoluere, ſi id ſciuerit poſt cõfeſſionem; Si tamen pœnitens conſenſerit abſolutioni ſub tali modo, adeò valere abſolutionem, quod quamuis

nis pœnitens Superiori poſtmodum non confiteatur, valere illa non deſinat, peccatum tamen mortale nouum committere. Quam Nauarri ſententiam intelligo practicari in multis ordinibus religioſorum, vbi viget regularis diſciplina, approbantibus plurimis Doctoribus, qui hactenus in illis floruerunt.

Difficultas quinta: Quid ſi pœnitens obtenta facultate à Superiore, fecit apud inferiorem Confeſſionem inualidam. v. g. ſi ficte confeſſus fuit, tenebitúrne, ſi poſtea ritè confiteri velit, iterum facultatem à Superiore petere?

Non tenebitur; Ratio videtur ſatis certa, quia concedere facultatem abſoluendi ab aliquo caſu reſeruato, idem eſt, quod facere de caſu reſeruato non reſeruatũ: Iam verò confeſſio ſubſecuta ſiue valida, ſiue inualida nõ reuocat facultatem ſemel à Superiore conceſſam. Sic Angles in 4. ſent. de confeſſ. Quod eſt bene notandum.

Ex hoc ſequitur *ſecundum illum*, quod ſi acceptâ tali facultate pœnitens, habẽs caſum reſeruatũ non confiteatur illo anno, poſſit ſequenti anno cuicumque inferiori cõfiteri, & ab eo abſolui.

Difficultas ſexta: Quid ſi pœnitens habens multa reſeruata inter confitendum Superiori fuerit vnius, vel alterius oblitus, poteritne poſtmodum ab omnibus abſolui per inferiorem, qui nullam facultatem habet abſoluendi à reſeruatis?

Habet hanc difficultatem Nauarrus c. 26. nu. 15. cui reſpondet poſſe iuxta communem, Paludani in 4. ſent. diſt. 18. q. 5. Antonini, Gabrielis, Angeli, Syluestri, Adriani, quos ipſe citat in §.

cautus. c. conſideret, de pœnit. diſt. 5. Quos omnes ſequitur Couarruuias in c. Alma mater de ſententiâ excommunicationis in 6. part. 1. §. 11. nu. 12. Ratio eſt, quia per præcedentem abſolutionem Superioris habentis poteſtatem ſuper cenſuras, & caſus reſeruatos ſublata fuit omnis reſeruatio.

Hinc conſequitur eum, qui confitetur habēti auctoritatem abſoluendi ab omnibus peccatis, & cenſuris per viam Iubilei, confeſſionalis, aut ſimilis gratiæ, prudentiſſimè facere, ſi curet, vt generaliter ab omnibus excommunicationibus, & Cenſuris abſoluatur, imò & ſecum in irregularitatibus diſpenſetur, ſi etiam ad eas ſe extendat facultas; quia ſi poſtea in mentem venerint, ſatisfaciet confitendo peccata cuicũque inferiori etiam nullâ obtentâ abſolutione à cenſuris, nec diſpenſatione ab irregularitate, vt patet.

Difficultas ſeptima: Quid ſi pœnitens, qui à caſibus reſeruatis ſemel abſolutus eſt, velit poſtmodum confeſſionem generalem facere, poteritne confiteri illi, qui non habet facultatem abſoluendi à reſeruatis?

Proculdubio poterit, propter eandem rationem, cùm enim intentioni Superiorum per priorem confeſſionem, & abſolutionem ſatiſfactum ſit, ceſſat ipſa ratio reſeruationis; quæ, cùm ſit pœnalis, & odioſa, non debet ampliari, ſed reſtringi. Adrianus de confeſſione q. 4. Sotus in 4. ſent. diſt. 18. art. 2. q. 5.

Non tamen poterit confiteri cuicumque Sacerdoti, vt vult Adrianus, ſed ſolùm habenti iuriſ-

iuriſdictionem, quæ requiritur ad abſoluendum à mortalibus, etiam ſemel remiſſis, *ſecundum cõmuniorem opinionem,*

Difficultas octaua: Quid ſi pœnitẽs in abſentiã Superioris integrè fuit confeſſus inferiori, & per eum abſolutus, tenebiturne poſtmodum etiam integrè confiteri Superiori?

Sotus in 4. ſent. diſt. 18. q. 2. art. 5. dicit citra dubium pœnitentem poſſe confiteri ſolum reſeruata, & Superiorem poſſe ſolum ab illis abſoluere: Sed nos antè hunc modum dicendi reprobauimus; Quare, dicimus in tali caſu, quod ſi caſus reſeruatus non habeat annexam excõmunicationem, Superiorem neceſſariò debere audire integram confeſſionem, ad ſeruandam integritatem confeſſionis; Si verò habet annexam cenſuram, ſufficere Pœnitenti confiteri cenſuram, & Superiori abſoluere ab illa etiam extra confeſſionem.

Difficultas nona, & poſtrema: Quid ſi pœnitens habens caſum reſeruatum, cui annexa eſt cenſura excommunicationis reſeruata, confeſſus ſit inferiori in abſentia Superioris; poteritne communicare in Paſchate, aut celebrare, ſi ſit Sacerdos diebus feſtis, & Dominicis, maximè ſi immineat periculum infamiæ niſi communicet, aut celebret?

v. G. eſt Sacerdos, qui occultiſſimè incidit in caſum, cui annexa eſt excommunicatio Papalis, & niſi celebret, probabiliter credetur, & infamabitur, quod illud, aut ſimile crimen cõmiſerit; vel eſt monialis, quæ occultiſſimè incidit in cenſuram Papalem, An abſente Superiore poſſit communicare, quando ad id aliæ tenentur, & intereſſe choro, & alijs, quibus ſi

abſtineret, fama eius, & Monaſterij periclitaretur?

Duæ ſunt ſententiæ contrariæ: Vna, Soti in 4. ſent. diſt. 11. q, 1. art. 4. Qui tamen ſibi ipſi videtur contrarius in diſt. 18. q. 2. art. 5. Et Couarruuiæ in c. alma mater, p. 1. in fine de ſententiâ excommunicationis in 6. non poſſe etiã in periculo infamiæ. Altera, Nauarri c. 27. nu. 239. Et Alphonſi à Caſtro lib. 2. de lege pœnali c. vltimo. Et Ioſephi Angles in 4. diſt. 4. q. 2. Poſſe in tali caſu communicare, aut celebrare; quæ longè eſt probabilior, quia ius naturale de ſeruandâ famâ, aut vitando ſcandalo præualet iuri poſitiuo, ex quo excommunicatio, & aliæ cenſuræ profluxerunt: Quâ ratione bene ponderata, facile erit contradicentium argumentis reſpondere.

CAPVT DECIMVM.

De formis abſolutionum à cenſuris, excommunicatione, ſuſpenſione, interdicto, caſibus reſeruatis; Et pœna abſoluentium ſine iuſtâ poteſtate.

Qvaestio prima.

Quâ formâ abſoluendus, qui incurrit excommunicationem ſiue maiorem, ſiue minorem?

ABſolutionem à maiore excommunicatione, quædam de iure præcedunt, quædam ſequuntur.

Pri-

Primò, ante abſolutionem, excommunicatus debet iurare parere mandatis Eccleſiæ, ſiue abſoluentis, c. ex tenore, & c. de cetero, de excommunicatione, & refert D. Thom. in 4. ſent. diſt. 18. q. 2. art. 5. Quod tamen locum ſolùm habet in peccatis enormibus, vt incendiarij, falſarij, hæreſiarchæ, & huiuſmodi. Richard. in 4. diſt. 18. q. 2. art. 10. Sylueſter verb. abſol. 3. nu. 3. Petrus Sot. lect. 4. de excommunicatione. Eſſet nihilominus valida abſolutio abſque huiuſmodi iuramento. c. cùm deſideras. de ſent. excom. Et refert Antoninus. 3. p. tit. 27. c. 77 quicquid dicat Hoſtienſis in ſumma. verb. ſent. excommunicationis.

Secundò excommunicatus propter damnũ, quod alicui intulit, non debet abſolui, niſi ſatisfecerit: Si non eſt certus ſe intuliſſe damnũ, neque certior fieri poteſt, præſtare debet cautionem iuratoriam de ſatisfaciendo, quando erit certus, c. ſolet, de ſententiâ excommunicationis. Quod ſi certus ſit de damno illato, & nõ poteſt ſatisfacere, debet dare cautionem pignoratitiam, vel fideiuſſoriam, hoc eſt, pignus aliquod, vel fideiuſſores ponere: Si nec hoc poteſt, debet ſaltem præſtare iuramentum de ſatisfaciendo, quando poterit. c. ſolet, ſupra, & communiter ibi Doctores.

Tertiò, abſolutioni præmittendæ ſunt ſolennitates à iure præſcriptæ. *c. a nobis de ſententiâ excommunicationis*: Quæ ſunt, *ſecundum Doctores*, vt excommunicatus nudatos humeros, cum recitatione Pſalmi, Miſerere mei Deus, aut alio

Pœnitentiali, virga, fune, aut flagello cædatur: poſt finem pſalmi, dicto *Gloria Patri, & Filio, &c.* Subijciatur *Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter, &c.* Deinde ſequens verſus, *Saluum fac ſeruum tuum &c.* cum reſponſorio, *Deus meus ſperātem in te.* Poſtremò hæc oratio, *Deus, cui proprium eſt ſemper miſereri, & parcere, ſuſcipe depreċationem noſtram, & hunc famulum, quem excommunicationis ſentētia ligatum tenet, miſeratio tua pietatis abſoluat, per Chriſtum Dominum noſtrum.* Refert hæc ex c. à nobis ſuprà allegato Antoninus 3. p. tit. 24. c. 77. Poſt hæc, fertur abſolutio ſub hâc, vel ſimili formâ, *Dominus noſter Ieſus Chriſtus dignetur te abſoluere, & ego auctoritate eius, quâ fungor, abſoluo te à vinculo excommunicationis, quod incurriſti ob hanc, vel illam cauſſam, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amē.*

Et hæc quidem forma ſeruabitur, ſi quis propria auctoritate abſoluat; Si verò ex mandato alterius, hac, vel ſimili vti poterit: *Auctoritate omnipotentis Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & S. D. N. Papæ Clementis Octaui, vel R. & Illuſt. Epiſcopi noſtri N. in hâc parte tibi conceſſâ, & mihi commiſſa, abſoluo te à vinculo excommunicationis, quod incurriſti, propter talem, vel talem cauſſam, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.* Habes has formas partim apud Nauarrum c. 26. nu. 8. partim Sylueſtrum verb. abſolutio 3. nu. 4. partim Antoninum 3. p. tit. 24. c. 77.

Poſt abſolutionem, abſoluens dabit abſoluto iuſta, & rationabilia mandata. Erunt rationabilia, ſi excommunicato à iure iniungatur, vt nunquam faciat contra canonem illum, v. g. per-

percuſſori clerici, vt nõ ampliùs percutiat clericum; Intellige, niſi in caſu licito, & honeſto, quia beneficium iuris nemini auferendum eſt; Et ita percuſſori clerici iniungitur nõ ampliùs percutere clericum, niſi ad defenſionem, vel de mandato Prælati, cui etiam iniuria fieret, ſi non poſſet mandare ſubdito capturam, aut verbera in caſu legitimo, & ſic in alijs.

Et hæc mandata ſubinde fieri debent cũ cautione; De qua in c. grauem, de ſententia excõmunicationis.

Abſolutioni à minori excommunicatione nihil præmitti debet; neque iuramentum de parendo mandatis Eccleſiæ; neque cautio de damno reſarciendo; neque recitatio Pſalmi, aut alia ſolennitas; Sed taliter excommunicatus immediatè accedens Sacerdotem expoſita cauſſa ſuæ excommunicationis, ab ea ſiue in confeſſione Sacramentali, ſiue extra illam abſoluetur his verbis, *Dominus noſter Ieſus Chriſtus dignetur te abſoluere, & ego eiuſdem auctoritate abſoluo te à vinculo minoris excommunicationis quod incurriſti propter talem, vel talem cauſſam. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.*

Quando excommnnicatio non eſt certa, & proinde ad cautelam, vt loquuntur, debet quis abſolui ab illa, nullæ quoque erunt præmittendæ ſolemnitates, vt docet Nauar. c. 26. nu. 10.

Datur abſolutio ad cautelam hoc pacto, *Dominus noſter Ieſus Chriſtus dignetur te abſoluere, & ego auctoritate eiuſdem abſoluo te à vinculo excommunicationis, ſi quod incurriſti, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus*

ſancti. Amen.

Circa has formas duo obſeruanda ſunt:

Primum, formas prædictas abſolutionum regulariter ſeruandas eſſe, quando id commodè fieri poteſt: valere nihilominus abſolutiones alijs verbis impenſas, putà ſi dicatur: Benedico te; Vade in pace, & ſimilia, vt habes apud Nauar. ſuprà, Syluestrũ verb. abſolutio 3. n. 3. & ſequẽtibus, Couar. in c. alma mater p. 1. §. 11. nu. 11.

Secundum, ſi quis excommunicatus eſt ob multas cauſſas, abſoluentem debere omnes exprimere, aliàs ſolùm eſſet abſolutus ab expreſſis, iuxta communem. Quamuis Nauarro ſuprà ſatis eſſet, nullâ factâ mutatione verborum in formis præcedentibus, habere intentionem abſoluendi ab omnibus.

Difficultas prima: An ſit neceſſarium præfatas ſolemnitates præmittere abſolutioni, à maiori excommunicatione?

Dicendum primò, illum, qui omittit prædictas ſolemnitates ſine iuſtâ cauſsâ in publicâ abſolutione, peccare, non tamen mortaliter, ſi abſit ſcandalum, & contemptus. Petrus Sotus tex. 4. de excommunicatione.

Secundò, ſecundum pleroſque Doctores, qui omittit recitationem Pſalmi in abſolutione ſecreta, non ſolùm non vitiat abſolutionem, ſed etiam non peccat, Nauarrus ſuprà, & Caietanus verb. abſolutio ab excommunicatione in Summulâ.

Tertiò, In c. à nobis ſuprà allegato, de ſentẽtia excõmunicationis, in quo fit mentio de ſolẽnitatibus maiori excommunicationi præmittendis,

tendis, non ſit mentio de verberatione, quamuis ferè omnes Doctores de eâ hactenus meminerint; Quare Syluestro loco ſuprà allegato adhibenda non videtur, niſi vbi conſuetum eſt, Et Nauarro videtur, quod verberare in confeſſione Sacramentali ſit confeſſionem reuelare.

Quartò, mulier excommunicata nullo modo debet denudari propter honeſtatem, ſed ſi adhibenda ſit verberatio, debent tantum eius veſtes verberari ſecundum communem.

Difficultas ſecunda: An abſolutio ab excommunicatione debeat neceſſariò præmitti abſolutioni à peccatis?

Omninò debet præmitti iuxta omnes. Ratio eſt, quia excommunicatus priuatur participatione Sacramentorum; Quare abſoluens excommunicatum à peccatis, illâ non præuiâ, ſacrilegium committit, quicquid erroneè dicat Angelica verb. confeſſio 1. §.10. Quamuis non negamus abſolutionem à peccatis, ſubinde valere, ſi de facto impendatur excommunicato, modo, quo explicat Nauarrus c. 9. nu. 5.

Quare ſi Confeſſarius facultatem abſoluendi à maiore excommunicatione non habeat, nullatenus à peccatis debet abſoluere, quouſque excommunicatus redeat à Superiore abſolutus, vel deferat mandatum ad eum abſoluendum.

Difficultas tertia: An quis poßit abſolui ab excommunicatione, nullo peccato voce, aut nutu confeſſo?

Quamuis pœnitens, qui voce aut nutu non confitetur ſaltem aliquod peccatum in ſpecie, non poſſit Sacramentaliter abſolui, ſecundum probabiliorem opinionem Soti in 4. ſent. diſt.

18. q. 2. art. 5. Nauar. 26. c. nu. 28. Imò & D. Thomæ in 4. diſt. 17. q. 3. art. 4. Poteſt tamen bene abſolui ab excommunicatione, & reliquis cenſuris. Nauar. ſuprà nu. 27. & colligitur ex Conc. Trid. ſeſſ. 4. c. 7.

Difficultas quarta: An virtute Iubilei, Indulgentiarum, & ſimilium gratiarum quis poſsit abſolui ab excommunicatione, & reliquis cenſuris extra confeſsionē Sacramentalē?

Videtur Nauar. c. 26. nu. 13. eſſe tutius dicere neminem abſolui poſſe; Ratio eſt, quia facultas abſoluendi ab excommunicatione, & cenſuris, quæ tunc conceditur, videtur concedi, vt quoddam præambulum neceſſarium ad abſolutionem peccatorum, quam conſtat dari non poſſe niſi confeſſo; Deinde videtur hoc ipſum colligi poſſe ex formis Bullarum; illæ enim communiter concedunt facultatem eligēdi Confeſſarium qui abſoluere poſſit; videntur ergo tacitè requirere, vt confeſſio Sacramentalis concurrat cum abſolutione.

Difficultas quinta: An valeat abſolutio ab excommunicatione datâ ſub conditione?

Primò communiter non debet dari abſolutio ab excommunicatione ſub conditione, ſicut nec conditionalis abſolutio à peccatis, *ſecundum omnes.*

Secundò, poteſt ſubinde dari abſolutio ſub conditione de præterito, vel præſenti ad cautelam, hoc pacto, *Abſoluo te ab excommunicatione, ſi ſatisfeciſti*, vel de præſenti, *Si habes facultatem à tuo Epiſcopo.* Hunc modum abſoluendi probat quotidiana praxis Eccleſiæ: nam homines quotidie bapti-

baptizant, & abſoluunt ad cautelam, vt notum eſt. Vide Couar.in c.alma mater p. 1.§.12.nu.7.

Tertiò, qui habent poteſtatem abſoluendi ad reincidentiam, vt loquuntur, ſi intendant abſoluere ad reincidētiam, poſſunt abſoluere ſub conditione de futuro, hoc pacto: *Abſoluo te ab excommunicatione, ſi ſatiſfeceris intra talem diem*, quia talis, impleta conditione, eſt verè abſolutus; de præſenti enim abſoluens intendit ita illum abſoluere. At, ſi non habet intentionem abſoluēdi ad reincidentiam, abſolutio ſub conditione de futuro eſt nulla, quia ſicuti excommunicatio non poteſt eſſe in ſuſpenſo, ſed ſtatim eſt valida, vel nulla, ita & eius abſolutio. Nauar. c.26. nu. 12. & Couar. ſuprà.

Difficultas ſexta: Quid ſi delegatus abſoluat ab excommunicatione, non ſeruatâ conditione præſcriptâ, an abſolutio valeat?

Quando quis abſoluit auctoritate delegata, ſi data fuerit illi facultas ſub aliqua conditione, & non aliter, conditione non ſeruata, non ſolum peccat abſoluens, ſed etiam abſolutio eſt inualida ſecundum omnes, Nauarrum c.27. nu. 77. Petrum Sotum, Caietanum ſuprà, & alios.

Deinde, etiamſi non exprimatur in commiſſione quod abſolutio futura ſit nulla ex defectu conditionis, ſed delegatus iubetur abſoluere ſecundum formam iuris, & non aliter, abſolutio quoque erit nulla, ſi aliter detur. c. venerabilis, de ſententia excommunicationis in 6. Quod allegat Caietanus, & Sotus ſuprà. Si tamen ſolùm dicatur, vt ſeruetur forma iuris, &

alia

alia reſeruatio non addatur, abſolutio erit valida, etiamſi forma iuris non ſeruetur, ſed alia ſufficiens. Ita Nauarrus loco ſuperiùs allegato. Ratio eius eſt, quia per illa verba, ſecundum formam iuris, vel ſimilia, ſolùm admonetur Sacerdos non obliuiſci formam iuris, ſed eius poteſtas non reſtringitur. Vide quoque Couar. in c. alma mater p. 1. §. 11. nu. 7.

Difficultas ſeptima: An ſimplex Sacerdos, qui poteſt abſoluere à venialibus ſecundum communem, poſſit abſoluere à minori excommunicatione, quæ incurritur ſolùm propter venialia, vel propter participationem cum excommunicato in ciuilibus?

Quidam negant, eò quod talis abſolutio requirat iuriſdictionem, arg. c. nuper. de ſentẽtia excommunicationis, vbi conceditur hæc facultas proprio Sacerdoti, Ergo non ſimplici; vt Caietanus verb. Abſolutio, Petrus Sotus lect. 4. de excommunicatione, Sylueſter, abſolutio 3. nu. 3. Verùm in praxi quis tutè ſequi poteſt ſententiam aliorum, qui dicunt ſimplicem Sacerdotem poſſe abſoluere à tali excommunicatione, D. Thomæ in 4. ſent. diſt. 18. q. 2. art 5. & in additionibus 3. p. q. 23. art. 3. Armil. verb. abſolutio nu. 38. & latiſſimè Nauarri in c. placuit de pœnit. diſt. 6. nu. 25. Et c. 27. Enchiridij n. 25. Viualdi de minori excommunicatione nu. 12. Ratio horum eſt, quia in hoc caſu, ſicut conſuetudo Eccleſiæ dat iuriſdictionẽ ſimplici Sacerdoti abſoluendi à venialibus, ita etiam ab excõmunicatione minori, quæ illa conſequi ſolet.

Difficultas octaua: An qui abſoluitur ab excommunicatione,

tione, reſeruatâ in articulo mortis ab eo, qui de iure non poterat ab illâ abſoluere, teneatur, ſi conualeſcat, iterum confiteri, & abſolui?

Ad hanc difficultatem Nauarrus c.26. nu. 26. reſpondet non teneri: Rationes eius ſunt, Prima, quia ſecundum opinionem omnium, peccata ſemel confeſſa, & legitimè remiſſa, non ſunt iterum neceſſariò confitenda. Secunda, quia omnis reſeruatio ceſſat in articulo mortis, vt antè probauimus. Tertia, quia quamuis communiter dicatur excommunicatum abſolutum in tali articulo teneri parere mandatis Eccleſiæ, vel excommunicatoris, non tamen dicitur teneri quærere aliam abſolutionem.

Neque obſtat, quod excommunicatus reincidit in eandem excommunicationem, ſi non paruerit mandatis excommunicatoris quàm citiſſimè poterit, per c. eos, de ſententia excõmunicationis; quia aliud eſt incidere in excõmunicationem, ſi non paruerit, aliud teneri ad abſolutionem quærendam.

Difficultas nona, & poſtrema: An excommunicatus poſſit abſolui poſt mortem?

Infirmus, qui cum ſignis contritionis moritur abſque abſolutione excommunicationis, poteſt, & debet abſolui poſt mortem ab eo, qui eum ſanum in vita abſoluere poterat, & non à quouis Sacerdote, qui eum in articulo mortis abſoluere potuiſſet ſecundum omnes.

Valet talis abſolutio ad eum in loco ſacro ſepeliendum, aut ſi iam ſepultus eſt, ad eum nõ exhumãdum, & vt pro illo publicè oretur. Roſella

ſella verb. abſolutio. 1. §. 31. quam ſequitur Nauar. c. 26. nu. 32.

Quaestio Secunda.

Quâ formâ abſoluendus, qui incurrit cenſuram ſuſpenſionis?

Licet ad abſoluendum à ſuſpenſione certa verborum forma non ſit neceſſaria, cùm nulla ſit à iure præſcripta, communiter tamen, quando certa eſt ſuſpenſio, docti vtuntur hâc formâ: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus dignetur te abſoluere, & ego eius auctoritate te abſoluo à vinculo ſuſpenſionis, quod incurriſti propter talem, vel talem cauſſam, & reſtituo te priſtinæ executioni, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.*

Et hæc quidem forma ſeruabitur, dum quis propriâ auctoritate abſoluit. Si verò abſoluit delegata, hæc, vel ſimilis: *Auctoritate Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Beatorum Apoſtolorum eius Petri, & Pauli, & S. D. N. Papæ Clementis Octaui, vel R. & Illuſt. D. N. Epiſcopi N. in hâc parte tibi conceſſâ, & mihi commiſſâ, abſoluo te à vinculo ſuſpenſionis, quod incurriſti propter talem, vel talem cauſſam, & reſtituo te priſtinæ executioni, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.*

Si dubia eſt ſuſpenſio, vtendum eſt hâc formâ: *Si teneris aliquo vinculo ſuſpenſionis, à quo ego poſſim te abſoluere, abſoluo te, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.*

Circa abſolutionem à ſuſpenſione duo ſunt obſeruanda;

Primum ad illam neceſſarium eſſe iuſiurandum

dum ſicut ad abſolutionem ab excommunicatione, per c. venerabilis, de ſententiâ excommunicationis.

Secundum, ſuſpenſionem latam tam à iure, quàm ab homine, quæ certo tempore aut facto, aut omiſſione facti alicuius terminatur, tali lapſo tempore; vel adueniente termino tolli abſque aliâ abſolutione ſecundum Gloſſ. in Clemen. 1. verb. Donec, de decimis, communiter receptam. Requiritur tamen in foro exteriori, vt Iudex declaret ſatisfactum eſſe, vt eadem Gloſſ. docet.

QVAESTIO TERTIA.

Quâ formâ vtendum in abſolutione ab interdicto?

AD relaxandum interdictum non eſt aliqua certa forma verborum à iure præſcripta, ſed vno verbo tolli poteſt dicendo, *Reuoco, vel remouço interdictum, vel abſoluo te ab interdicto, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.* Vel extende vt ſuprà, *Dominus noſter Ieſus, &c.*

Circa hanc abſolutionem ſunt etiam aliqua obſeruanda;

Primum, Interdictum à iure, vel ab homine latum tantum ad certum tempus, vel donec aliquid fiat, ceſſare tempore illo elapſo, vel quádo factum illud fuerit, abſque aliâ abſolutione.

Secundum, quod, quando perſona eſt ſimpliciter interdicta, illa ſatisfacere debet, & ſic relaxari, vel abſolui: ſicut fit cum excommunicato petente abſolutionem. c. cùm contingat,

de officio Delegati.

Poſtremum, Quando locus eſt interdictus, vel populus, aut vniuerſitas, tunc perſona ſingularis quæ non peccauit, abſolutione non indiget, nec eius ſatisfactio eſt neceſſaria per c. 2. de conſtitution. Sed, qui peccauerunt, debent abſolui, & ſatisfacere. Syluester, Interdictum 3. nu. 12. & ſequentibus.

Quaestio quarta.

Quâ formâ vtendum in abſolutione à caſibus reſeruatis?

QVANDO caſus eſt Epiſcopalis, cui nulla eſt annexa cenſura reſeruata, vt ſunt illi qui Epiſcopo Leodienſi ſpeciali conſtitutione reſeruati ſunt, non eſt opus aliâ formâ, quàm conſueta, quà à peccatis non reſeruatis quotidie abſoluimus, cui præmitti ſolent orationes quædam, & abſolutio ad cautelam ab excommunicatione hoc pacto: *Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimiſſis omnibus peccatis tuis perducat te ad vitam æternam, Amen. Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & miſericors Dominus, Amen. Dominus noster Ieſus Christus dignetur te abſoluere, & ego eius auctoritate abſoluo te imprimis à vinculo excommunicationis in quantum poſſum, & indiges: Deinde eiuſdem auctoritate abſoluo te ab omnibus peccatis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.*

Si verò ſit caſus vnus reſeruatus, vel plures,

cui, vel quibus annexa eſt vna, vel plures cenſuræ reſeruatæ, à quâ, vel quibus Confeſſarius poteſt abſoluere, præmittenda eſt abſolutio ab illis, prout ante dictum eſt.

Difficultas vnica: Quid ſi caſus reſeruatus, vt frequenter fit, ſit publicus, & deductus ad forum contentioſum, & pœnitens petit abſolui in confeſſione ſacramentali, quid obſeruare debet Confeſſarius?

Quia, vbi crimina reſeruata in publicum veniunt, & per teſtes probari poſſunt, fere fit vt per fiſcum contra eorum auctores procedatur, qui vbi conuicti fuerint, antequam abſoluantur in foro exteriori per R. D. Vicarium, aut Archidiaconum, ſolent pro laudabili huius Diœceſis conſuetudine mitti ad aliquem, qui facultatem habet abſoluendi à reſeruatis in foro cōſcientiæ, Confeſſarius illo caſu criminoſum non abſoluet, niſi cum obligatione ſubijciendi ſe in foro exteriori Iudicis ſententiæ, illique abſque mendacio, & dolo parendi.

Porrò, hoc loco multum intereſt ſcire, tum Confeſſarium, tum pœnitentem criminoſum, Quod, licet de crimine occulto, quod nullo modo probari poteſt, nemo ſeipſum teneatur accuſare in foro fori; Imò peccet ſe accuſando; per illa quæ habet Nauar. c. 18. nu. 27. etiā mortaliter, ſecundum Caietanum 2. 2. q. 120. art. 2. & 3. Tenetur tamen quiſque in foro interiori conſcientiæ peccatum quod probari nō poteſt, imò occultiſſimū cordis detegere, ſecūdum communem Theologorum, probatam per Conc. Trid. ſeſſ. 14. de Sacramento pœnit. c. 7.

Nec quiſquam debet hîc reformidare, ne propterea in foro fori grauiùs puniatur; quia obſtat ſigillũ cõfeſſionis, quod vſque adeò Cõfeſſariũ obligat, vt, nec iubente Papâ ſub pœnis quibuſcumque, etiam excommunicationis, quicquam de auditis in confeſſione propalare poſſit, ſecundum communem Theologorum in 4. diſt. 18. Quam clarius reliquis explicat Sotus ibi q. 4. art. 5. Imò nec ipſe Superior, ſi talem contingeret illi Sacramentaliter confiteri, poſſet ideò grauius eum punire in foro exteriori, ſecundum eundem Sotum ſuprà; Imò, quod magis eſt, nec in interiori poſſet talem aſſignare pœnitentiam, per quam veniri poſſet in ſuſpicionem criminis occulti confeſſi; Sicuti docet Nauarrus. c. 8. nu. 10. & latiſſimè in c. Sacerdos, de pœnitentiâ diſt. 6. à nu. 87. vſque ad 109.

Qvaestio qvinta.

Quâ formâ diſpenſatur in irregularitatibus?

QVamuis irregularitas non ſit cenſura, & quia à peccatis abſolui quis poteſt, remanente vinculo irregularitatis: quia tamen clerici in ſacris conſtituti, qui cenſuras incurrunt, ſi in ordine ſacro miniſtrent, irregularitatem incurrere ſolent, in quâ deinceps miniſtrantes mortaliter peccant ſecundum communem; Quæritur obiter, quâ formâ erunt abſoluendi? Nulla quidem eſt à iure determinata; communiter tamen, quando eſt certa irregula-

gularitas, docti vtuntur hâc formâ: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus dignetur tecum diſpenſare, & ego eius auctoritate diſpenſo tecum in irregularitate, quam incurriſti propter talem, vel talem cauſſam, In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs ſancti, Amen.*

Et hâc quidem formâ vtendum, cùm quis diſpenſat auctoritate propriâ: Si verò ex commiſſione Superioris, vtendum hâc, vel ſimili; *Auctoritate omnipotentis Dei, vel Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Beatorum Apoſtolorum eius Petri, & Pauli, & S. D. N. Papæ Clementis Octaui, vel R. & Ill. D. N. Epiſcopi N. tibi conceſſâ, & mihi commiſſâ, diſpenſo tecum in irregularitate, vel irregularitatibus, quam, vel quas, ob talem, vel tales cauſſas incurriſti, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.*

Si irregularitas eſt dubia, vtendum eſt iſtâ: *Diſpenſo tecum in irregularitate, vel irregularitatibus, ſi quam, vel quas incurriſti, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.*

Hoc loco obſeruandum, non ſolùm diſpenſari in irregularitate expreſsè, prout nunc diximus, ſed interdum per Superiorem diſpenſari tacitè: Primò, quando, qui habet poteſtatem diſpenſandi, ordinat eum, quem ſcit eſſe irregularem. Secundò, quando à Superiore habēte poteſtatem diſpenſandi ſcienter mittitur ad ordines ab alio recipiēdos. Tertiò, ſi Superior ſciens irregularitatem dat litteras admiſſoriales. Vide Sylueſtrum verb. Irregularitas, in fine, & Maiolum lib. 5. de irregularitatibus, c. vltimo, & Nauar. c. 27. nu. 74. Diximus ſuprà, *ſi Superior ſcit irregularitatem inferioris*, quia ignorans

 non

Nec quiſquam debet hîc reformidare, ne propterea in foro fori grauiùs puniatur; quia obſtat ſigillũ cõfeſſionis, quod vſque adeò Cõfeſſariũ obligat, vt, nec iubente Papâ ſub pœnis quibuſcumque, etiam excommunicationis, quicquam de auditis in confeſſione propalare poſſit, ſecundum communem Theologorum in 4. diſt. 18. Quam clarius reliquis explicat Sotus ibi q. 4. art. 5. Imò nec ipſe Superior, ſi talem contingeret illi Sacramentaliter confiteri, poſſet ideò grauius eum punire in foro exteriori, ſecundum eundem Sotum ſuprà; Imò, quod magis eſt, nec in interiori poſſet talem aſſignare pœnitentiam, per quam veniri poſſet in ſuſpicionem criminis occulti confeſſi; Sicuti docet Nauarrus. c. 8. nu. 10. & latiſſimè in c. Sacerdos, de pœnitentiâ diſt. 6. à nu. 87. vſque ad 109.

Quaestio quinta.

Quâ formâ diſpenſatur in irregularitatibus?

Qvamuis irregularitas non ſit cenſura, & quia à peccatis abſolui quis poteſt, remanente vinculo irregularitatis: quia tamen clerici in ſacris conſtituti, qui cenſuras incurrunt, ſi in ordine ſacro miniſtrent, irregularitatem incurrere ſolent, in quâ deinceps miniſtrantes mortaliter peccant ſecundum communem; Quæritur obiter, quâ formâ erunt abſoluendi? Nulla quidem eſt à iure determinata; communiter tamen, quando eſt certa irregula-

gularitas, docti vtuntur hâc formâ: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus dignetur tecum diſpenſare, & ego eius auctoritate diſpenſo tecum in irregularitate, quam incurriſti propter talem, vel talem cauſſam, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.*

Et hâc quidem formâ vtendum, cùm quis diſpenſat auctoritate propriâ; Si verò ex commiſſione Superioris, vtendum hâc, vel ſimili; *Auctoritate omnipotentis Dei, vel Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Beatorum Apoſtolorum eius Petri, & Pauli, & S. D. N. Papæ Clementis Octaui, vel R. & Ill. D. N. Epiſcopi N. tibi conceſſâ, & mihi commiſſâ, diſpenſo tecum in irregularitate, vel irregularitatibus, quam, vel quas, ob talem, vel tales cauſſas incurriſti, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.*

Si irregularitas eſt dubia, vtendum eſt iſtâ: *Diſpenſo tecum in irregularitate, vel irregularitatibus, ſi quam, vel quas incurriſti, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.*

Hoc loco obſeruandum, non ſolùm diſpenſari in irregularitate expreſsè, prout nunc diximus, ſed interdum per Superiorem diſpenſari tacitè: Primò, quando, qui habet poteſtatem diſpenſandi, ordinat eum, quem ſcit eſſe irregularem. Secundò, quando à Superiore habēte poteſtatem diſpenſandi ſcienter mittitur ad ordines ab alio recipiēdos. Tertiò, ſi Superior ſciens irregularitatem dat litteras admiſſoriales. Vide Syluestrum verb. Irregularitas, in fine, & Maiolum lib. 5. de irregularitatibus, c. vltimo, & Nauar. c. 27. nu. 74. Diximus ſuprà, *ſi Superior ſcit irregularitatem inferioris*, quia ignorans

non poteſt cenſeri diſpenſare in eo, quod neſcit: tametſi Felinus, c. præterea, de teſtibus cogendis, velit etiam locum habere diſpenſationem in ignorante, vel obliuiſcente.

QVAESTIO SEXTA.

Quâ formâ abſoluendi ſunt, qui habent Confeſſionalia, vt vocant, ſiue Indulgentias?

QVIA multi ſunt, qui habent cõfeſſionalia, aut alias ſimiles gratias per quas Papa non directè concedit indulgẽtiam, ſed eam concedendi facultatem largitur Confeſſario; & ſæpè, quia hoc non aduertitur, contingit vt quis confiteatur, & moriatur Bullis plenus, vt loquitur Nauar. c. 26. nu. 29. & vacuus Indulgentijs; Ideò Confeſſarij munus erit inquirere, an cõfeſſus, ſiue ſanus, ſiue infirmus habeat talia; & habenti illa, poſtquam eum à cenſuris, & peccatis abſoluerit, ſubijcere debet hæc vel ſimilia verba: *Auctoritate Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & Beatorum Apoſtolorum eius Petri & Pauli, & S. D. N. Papæ Clementis octaui, tibi conceſſâ, & mihi commiſſâ, concedo tibi omnem illam indulgentiam peccatorum tuorũ, quam tibi concedere poſſum virtute cuiuſcumque gratiæ tuæ, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.* Si Indulgentia conceditur ſemel tantùm, idque in articulo mortis, debebit Confeſſarius prædictæ abſolutioni apponere hanc clauſulam: *Si tamen hâc vice moriaris, Aliàs pro aliâ vice tibi reſeruo.*

Circa hanc conceſſionem indulgentiarum obſeruandum eſt illas poſſe applicari etiam illis,

lis, qui in extremis poſiti cōfiteri non poſſunt, dummodò oſtenderint ſigna contritionis: Deinde tales cum Indulgentijs recipere poſſe ſacram Euchariſtiam, & demùm extremam vnctionem.

QVAESTIO SEPTIMA.

Quâ formâ abſolutionis vtendum tempore Iubilei, aut plenarum Indulgentiarum?

PRæmiſſis orationibus, *Miſereatur*, *& Indulgentiam*, vt antè; immediatè ſubijciendum: *Auctoritate Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Beatorum Apoſtolorum eius Petri, & Pauli, abſoluo te imprimis à vinculis excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti in quantum poſſum, & indiges, Deinde eadem auctoritate abſoluo ab omnibus peccatis tuis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.*

Deinde diſpenſanda ſunt, vel commutanda vota, & diſpenſandum in irregularitate, vel irregularitatibus iuxta facultates per Iubileum, vel Indulgentias conceſſas.

In materiâ abſolutionis ſacramentalis ſingulariter notandum, in articulo mortis poſſe quē abſolui à cenſuris, & peccatis vno verbo, dicēdo, *Abſoluo te*, modò abſoluens habeat intentionem ab illis abſoluendi. Quod annotauit Sotus in 4. ſent. diſt. 22. q. 1. art. 1.

QVAESTIO OCTAVA ET POSTREMA.

Quæ eſt pœna abſoluentium à caſibus, aut cenſuris reſeruatis ſine iuſtâ poteſtate?

PRIMÒ, Quamuis non ſit aliqua pœna canonica lata in eum, qui abſoluit ab aliquo caſu reſeruato, cui non eſt annexa aliqua cenſura, tamen certum eſt illum peccare mortaliter, ſecundum omnes, atque ita pœnam æternã incurrere, & abſolutionem per eum datam, eſſe nullam.

Secundò, certum eſt quemcumque Confeſſarium, ſiue regularem, ſiue ſæcularem, qui præſumit abſoluere ab aliquo caſu Cœnæ Domini, eſſe ipſo facto excommnnicatum, per ipſamet verba Bullæ Cœnæ Domini, cuius tenorem habes apud Nauarrum c. 27. nu. 57. & ſequentibus.

Hîc tria notanda ſunt; Primum, verbũ, præſumit, in eâ poſitum; ex hoc enim licet colligere Confeſſarium illum, qui obliuione, incogitantiâ, aut ignorantiâ non craſsâ abſoluit ab aliquo caſu Cœnæ Domini, non excommunicari, quia excõmunicatio fertur ſolum in præſumentem; & Pœnæ ſunt formaliter, & ſtrictè interpretandæ. Secundum, Excommunicationem, quam Confeſſarius præſumens abſoluere incurrit, non eſſe reſeruatam Papæ, ſaltem virtute verborum Bullæ emanatæ per Gregorium 13. quia Bulla de illa nullam mentionem facit. Tertium, Religioſos præſumentes abſoluere excom-

excommunicatos à canone, præterquam in caſibus à iure expreſſis, aut ex gratia Sedis Apoſtolicæ conceſſis, vel excommunicatos à ſententijs per ſtatuta prouincialia, aut Synodalia latis; eſſe ipſo facto excommunicatos, & abſolutionem Papæ reſeruatam, per c. religioſi, Clement. 1. de priuilegijs, Quam explicat D. Antoninus 3. p. tit. 24. c. 54. & Caietanus in Summula verb. excommunicatio c. 64.

Dixi primò, *Religioſi*, quia ſi Confeſſarij ſæculares abſoluerent à dictis excommunicationibus præter eas, quæ continentur in Bulla Cœnæ Domini, non eſſent excommunicati, quia dicta Clementina loquitur de religioſis, & non alijs, & pœnæ non ſunt extendendæ.

Dixi ſecundò, *Præſumentes*, vt excuſentur ignorantes, non tamen craſſa ignorantia, & alij qui obliuione, vel ignorantia ab illis abſoluunt.

Dixi tertiò, *Excommunicatos à canone*, quia ſi abſoluant excommunicatos ab homine, etſi peccent mortaliter, & abſolutio ſit nulla, non tamen excommunicationem incurrūt, quia prædicta Clementina de illis excommunicatis non facit mentionem.

Difficultas vnica: Quid agendum illi, qui abſoluit à caſu, vel cenſura, à quâ non habuit facultatem abſoluendi?

Difficultatem facit ſigillū confeſſionis, quod vſque adeò vrget, vt ne illi quidem, qui nobis confeſſus eſt, liceat extra confeſſionem de peccatis confeſſis loqui; Quamobrem varia à doctoribus excogitata ſunt, quibus Confeſſarios docent errorem corrigere in ſimili caſu abſque

reuelatione confeſſionis.

Quidam exiſtimant Confeſſarium debere petere à Superiore facultatem abſoluendi, & pœnitentem poſſe abſolui in abſentiâ ab excõmunicatione quandocumque Confeſſario placuerit, & à caſu reſeruato, quando pœnitens probabiliter exiſtimabitur eſſe in gratiâ. Ita Antoninus, qui dicit multos inſignes Theologos congregatos ſuper hâc quæſtione in quodam Concilio ita reſoluiſſe; Quorum ſententiam non audet referre Nauarrus c.26.nu.14.

Alij dicunt Confeſſarium tali caſu, obtentâ priùs à Superiore facultate abſoluendi, debere ad ſe vocare pœnitentem, & cautè fingere ſe de peccato aliquo iam commiſſo velle interrogare, quo eum inſtruat, & de nonnullis alijs, ſi quæ poſtea commiſit, & ſic ab omnibus abſoluere. Ita directorium lib. 1. tit. 15. §. 143. Hanc praxim meritò reprobat Nauarrus, primò quia ſcandalum generare poſſet. Deinde, Confeſſarius non poteſt ab omnibus abſoluere, niſi pœnitens proponat omnia clauibus ſubijcere tam reſeruata, quàm non reſeruata, quod hîc non fit; quia ſecundum prædictam praxim ignorat pœnitens Confeſſarium velle eum abſoluere ab omnibus; Ideoque dicit Nauarrus Confeſſarium, priùs obtentâ facultate, debere pœnitentem præſentem habere, ſi præſentia eius haberi poſſit, ſin minus, poſſe abſentem abſoluere ab excommunicatione quidem, omni tempore, à caſu verè reſeruato, cùm in gratia eſſe putabitur. Atque ita Nauarrus idem ſentit cum illis,

illis, quos primo loco recenſuimus: Quæ amē reſolutio pro eà parte, qua dicit pœnitentem abſentem poſſe abſolui à caſu reſeruato, cùm in gratiâ eſſe putabitur, pleriſque hodie non placet: Quare cum hâc diſtinctione meliùs reſponderi poſſe videtur: Aut Confeſſarius timet probabiliter ſcandalum oriturum, ſi ad ſe reuocet pœnitentem, vel non timet: Si timet ſcandalum, putà quia ille conqueſturus eſt de reuelatione confeſſionis, illo caſu relinquere poteſt pœnitentem iudicio Dei. Ratio eſt, quia ſi habuit contritionem, erat in gratiâ; ſi non, vi Sacramenti quidem nihil accepit ob defectum poteſtatis in abſoluente, interim ſigillum confeſſionis pluris faciendum eſt, quàm vnius hominis ſalus: Si non timet ſcandalum, & putat pœnitentem, non negaturum ſe tale crimen commiſiſſe poteſt ſine ſcrupulo illum ad ſe vocare, & ſic conuenire, Amice, fuiſti mihi nuper confeſſus, habeo, quod tibi dicam ad ſalutem neceſſarium. Confitere mihi peccata tua, maximè quæ à poſtrema confeſſione commiſiſti, quia nuper eras excommunicatus, vel habebas caſum reſeruatum, à quo tunc non potui te abſoluere, modò poſſum.

CAPVT VNDECIMVM.

De diſpenſatione, commutatione, & irritatione votorum.

Qvaestio vnica.

Quâ formâ diſpenſantur, commutantur, vel irritantur vota?

Dicto *Miſereatur*, & *Indulgentiam*, immediatè ſubijcienda ſunt hæc, vel ſimilia verba.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus dignetur tecum diſpenſare, & ego eius auctoritate diſpenſo, vel commuto votum tuum, putà peregrinationis, vel abſtinentiæ, vel huiuſmodi per te emiſſum in alia opera pietatis tibi ſignificata, decernens te ad illius obſeruationem de cetero non teneri, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.

Et hac quidem forma vtendum, quum quis propria auctoritate diſpenſat, vel commutat: Si verò ex Superioris commiſſione, hac vti poterit, vel ſimili: *Auctoritate Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Beatorum Apoſtolorum eius Petri, & Pauli, & S. D. N. Papæ Clementis Octaui, vel R. & Ill. D. N. Epiſcopi N. tibi in hâc parte conceſſâ, & mihi commiſſâ, diſpenſo, vel commuto votum peregrinationis, vel abſtinentiæ, vel huiuſmodi per te emiſſum in alia opera pietatis tibi ſignificata, decernens te ad ipſius obſeruantiam de cetero non teneri. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.*

In irritandis votis nulla ſeruatur forma verborum,

borum, ſed ſufficit qualitercumque indicet voluntatem ſuam is, qui irritare poteſt.

Circa diſpenſationem, commutationem, & irritationem votorum quædam ſunt obſeruāda.

Primum, Quod quamuis quilibet Confeſſarius communiter poſſit abſoluere à transgreſſione voti, non poteſt tamen votum tollere, ſed neceſſum accedere Summum Pontificem aut Epiſcopum, ad quos pertinet diſpenſatio, vel commutatio votorum, vel ad alium, qui ex eorum commiſſione, aut priuilegio poteſtatem ad id habet.

Secundum, ad diſpenſandum requiri duo, poteſtatem ſpiritualem, & iuſtâm cauſſam. Non omnes tamen, qui ſpiritualem poteſtatem habent, diſpenſare poſſunt, nec ſi in vno poteſtatem habent, in omnibus ſtatim credendum eſt eis eſſe permiſſam.

Hinc eſt, quod diſpenſâtio voti religionis, caſtitatis perpetuæ, voti peregrinationis Hieroſolimitanæ (quando quis illud non ex deuotione ſola, ſed etiam in ſubſidium terræ ſanctæ vouet) aut Compoſtellanæ, aut etiam Romanæ, ad ſolum Papam pertinet, vt conſuetudo Eccleſiæ vniuerſalis, & praxis probat.

Ad Epiſcopos pertinet diſpenſatio, ſiue commutatio reliquorum omnium votorum, quæ illi ſpecialiter non reperiuntur prohibita, vt docent omnes in c. at ſi Clerici §. 1. de Iudicijs. Hinc Epiſcopi poſſunt diſpenſare, & commutare votum continentiæ, ſeu caſtitatis ad tempus ſeruandum, imò perpetuum ſimplex, ſi ſit mag-

magnum periculum incontinentiæ, & Papa adiri non poteſt, ſecundum Nauarrum c. 12. nu. 76. Et Syluestrum verb. diſpenſatio q. 9. Poſſunt etiam diſpenſare in voto non nubendi, quia aliud eſt vouere caſtitatem, & aliud vouere non contrahere matrimonium, quia qui fornicatur peccat contra primum, non contra ſecundum vt patet. Sic docet Syluester verb. votum 4. q. 4. in fine. & Sotus in 4. diſt. 38. q. 2. art. 1. concluſ. 1. Et ita ſeruari Romæ in ſacro pœnitentiariæ prætorio teſtatur Nauar. c. 12. nu. 76. Similiter in voto de non committendo tali, vel tali peccato in genere ſecundum Nauar. ſuprà nu. 85. Quamuis in hoc vltimo ſibi videatur contrarius in dicto c. & nu. Poſtremò & in omnibus alijs ab illis, quæ diximus Summo Põtifici de conſuetudine eſſe reſeruata.

Ad diſpenſandum, ſicut iam diximus, requiritur etiam iuſta cauſſa, aliàs nulla eſt coram Deo diſpenſatio; & ſcienter ſic diſpẽſans peccat mortaliter, etiamſi ſit Papa, qui diſpenſet, quia Papa ad ædificationem poſitus eſt, non ad deſtructionem. Sotus lib. 7. de iuſtitiâ, & iure q. 4. art. vltimo. Syluester verb. iudex 7. nu. 10. & communis. Ratio eſt, quia obligatio voti deſcendit à iure diuino, quam Papa non poteſt abſque cauſſa tollere, ſicut poteſt ſuam legem, aut ſuorum prædeceſſorum.

Sine iuſtâ cauſſâ diſpenſatus, ſi iuſtam ſuæ diſpenſationis cauſſam eſſe arbitratur, ignorantia hæc ſuper auctoritatem Superioris nixa, excuſat eum, vt illâ vti poſſit abſque mortali.

Ita

Ita D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 12. art. 2.

Cauſſæ diſpenſandi in votis ponuntur à D. Thomâ dictâ quæſtione art. 10. & à Syluestro verb. diſpenſatio nu. 3. Prima, ſi materia voti ſit illicita; ſub quâ continetur quælibet cauſſa reddens complementum voti nullum. Secunda, ſi materia voti ſit inutilis, quia vana opera non ſunt Deo grata. Tertia, ſi ſit maioris boni impeditiua: Exemplum in Concionatore, qui vouit die Sabbathi ieiunare, & ſi votum ſeruet, præ debilitate ſtomachi, & laterum, non poterit habere ſermonem ad populũ, erit iuſta diſpenſationis cauſſa. Eſt Soti de iuſt. & iure lib. 7. q. 4. art. 1. Imò ſecundum D. Thomam ſuprà, ſi manifeſtum erit ex redditione voti vnũ ex his ſequuturum, poterit etiam abſque diſpẽſatione eius impletio omitti. Quarta, leuitas in vouendo, de quâ Nauarrus ſuprà c. 12. Quinta, imbecillitas vouentis ad implendum, quod vouit, putà ad ieiunandum, vel peregrinandum, quia nemo obligatur ad impoſſibile. Sexta, neceſſitas, & vtilitas publica, imò etiã priuata, de quibus certa regula dari nõ poteſt. ſubinde definiri poſſunt arbitrio ſuperioris eſſe iuſta cauſſa ad diſpẽſandũ. Naua. c. 12. n. 76. in fine & nu. 77.

Tertium, hoc loco obſeruandum eſt, quod commutatio voti fieri debet, vel in melius, vel in æquale, vel in quaſi æquale.

Si in melius fiat, poterit fieri auctoritatẽ propriâ, nõ enim promiſſum infringere creditur, qui illud in melius commutat. c. peruenit, de iureiurando, & explicat Caietanus 2. 2. q. 88.

art,

art. 12. quidquid dicat Syluester verb. votum 4. §.7. Hinc vota ſimplicia in ſæculo facta, quæcumque illa ſint, extingui cenſentur religionis ingreſſu, ſecundum D. Thomam 2. 2. q. 88. art. 12. Quod vſque adeò verum eſt, vt etiam intra annum probationis liberetur quis non ſolùm à votis perſonalibus, vt ieiunij, orationis; ſed etiam realibus, vt ſoluenda eleëmoſyna, vt aſſerit Couar. de pactis p. 1. §.3. nu. 4. Si commutatio fiat non in ingreſſum religionis, ſed in aliquid aliud, tunc ſi is, qui emiſit votum, certus ſit abſque aliquo dubio illam fieri in aliud melius, nulla quoque erit Prælati auctoritas neceſſaria. Caiet. ſuprà art. 12. Sotus lib. 7. de iuſt. & iure q. 4. art. 3.

Si commutatio fiat in opus æquale, oportet illam fieri ex aliqua cauſſa rationabili cum Superioris auctoritate. c. 1. de voto. Quod etiam dicendum eſt quando opus æqualene ſit, an melius, ambigitur. Sotus ſuprà art. 3.

Dixi ſuprà, *aut quaſi æquale*, quia cùm voti cõmutandi facultas in Iubileo, Indulgentia plenaria, aut priuilegio aliquo conceditur, non eſt neceſſarium, vt commutatio fiat in prorſus æquale, ſed magis pia commutatio fieri poterit. Ratio eſt, quia priuilegium ſic ſemper interpretandum eſt, vt non ſit ſuperfluum. c. 1. de reſcriptis, cùm ibi notatis à Doctoribus, & abſque dubio commutatio in quid melius, aut æquale de iure communi licet. Ergo virtute priuilegij aliquid plus fieri poſſe cenſendum eſt.

In commutationibus, & diſpenſationibus voto-

votorum, quæ fiunt virtute Iubileorum, Indulgentiarum, & ſimilium gratiarum Confeſſarius diligenter notare debet tenorem illorum, vt nimirum vota commutet in vtilitatem illorum, quibus Bullæ mandant; Putà ſi in fauorem alicuius Eccleſiæ detur Iubileum, non poterunt vota in ieiunia, vel orationes, vel eleëmoſynas alijs irrogandas commutari. Nauar. c. 12. nu. 81. verſ. Monemus Confeſſarios.

Quartum obſeruandum eſt, quod Confeſſarius in commutando cautus eſſe debet, perpendendo tempus, locum, laborem, ſumptus in itinere faciendos præter illos, quos vouens domi feciſſet, corporis afflictionem, & omnia alia, vt in æquiualens, quantum fieri poteſt, fiat commutatio: Sic peregrinationis votum ad noſtrã Dominam Loretanam, conſideratis ſumptibus pro itinere, poterit in aliud quid pium commutare. v.g. in quantitatem tantam pecuniæ puellæ matrimonio tradendæ donandam conuertere, quanta opus fuiſſet perficiendæ peregrinationi ad noſtram Dominam de Loreta, & adhuc maiorem conſideratis itineris longi laboribus, & periculis.

Quintum, irritari vota, primo per ſe, defectu conditionis generalis, vel ſpecialis in voto appoſitæ; Exemplum de generali, quæ in omni voto intelligitur; Voueo ire ad noſtram Dominam Loretanam, ſi vixero: De ſpeciali; Voueo ire ad noſtram Dominam, ſi pater conualuerit. Defectu harum conditionum annullatur votum, quia non obligatur quis ad implendum

votum, niſi tales conditiones extiterint; Ideò ſi pater non conualuerit, non teneor votum implere. Irritantur quoque vota, per illos in quorum poteſtate ſunt vouentes, veluti pater, &, eo deficiente, mater ſi eſt tutrix filiorum, ipſi etiam Tutores, vel curatores, Dominus Abbas, vel alius Prælatus Religioſorum; Quamuis non æqualiter, nam Pater, &, eo deficiente, Mater, vel Tutor, & Prælati Religioſorum omnia vota, tam perſonalia, quàm realia, quæ fiunt ab ijs, qui pro ętatis defectu non poſſunt matrimoniũ contrahere, irritare, adeò, vt, quæ ſemel irritauerint, nunquam poſtea conualeſcant, etiamſi irritantes denuò conſentiant, niſi vouentes eadem vota iterum ratificent: imò irritare ea poſſunt etiam poſtquam ad legitimam ætatem peruenerint, dummodò, qui vouerint, illa priùs non ratificauerint. *Caiet. 2. 2. q. 189. art 8* excepto voto ſolenni, quod irritare quidem poſſunt ante legitimam ætatem, non autem poſtea, *c. puella & ibi Cardinalis S. Xixti 2. q 2.* Quod verũ eſt, etiamſi malitia ſuppleuiſſet ætatem. *Nauar. c. 12. nu. 85.* Prælati religionũ omnia vota eorum, qui profeſſi ſunt, irritare poſſunt, quamuis ſint de non peccando tali, vel peccato mortali, vel veniali. *Sotus de iuſt & iure, lib. 7. q. 3. art 1. Nauar. c. 12. nu. 65 & 70. contra Caietanum 2. 2. q. 86. art. 8.* Irritare tamẽ non cęnſetur Superior eo quod inhibeat, niſi certior de votis emiſſis factus, illa ſe habere velle irrita ſignificauerit. *Ita Innocentius communiter receptus in c. ſcripturæ, de voto.* Maritus, & vxor non poſſunt alter alterius vota irritare, niſi in-
quantum

quantum ſibi præiudicium faciunt, *c. nolunt & c. manifeſtum 32. q. 5.* Quo etiam caſu non poſſent, quando alter coniugum notoriam fornicationem ſiue carnalem, ſiue ſpiritualem admiſerit, tunc enim adulter non poteſt irritare votum innocentis. quamuis ſit illi præiudiciabile, ſecundum Panor. *in c. finali de conuerſatione coniugum.* Irritare votum Inferioris, in quod priùs conſenſerat Superior, aliquis ex prædictis non poteſt abſque mortali peccato, ſi id faciat ſine rationabili cauſſa, aut ex merâ malitiâ, vel proprio affectu impulſus, vel fingens illud vergere in maximũ præiudicium, cùm non ita ſit: licet in merâ ipſius voluntate poſitum erat, antequã approbaret, illud irritum facere: Inferiores tamen, & ſubditi non peccant, ſi non adimpleant vota, quæ fuerunt ita perperam irrita facta. *Caiet. 2. 2. q. 88. art. 8. Sylueſter verb. votum. 4. q. 2.*

Et hæc quidem de diſpenſatione, commutatione, & irritatione votornm, quãtum propoſito huic ſeruit, ſufficiunt.

CAPVT DVODECIMVM.

De canonibus pœnitentialibus, qualitate, & quantitate ſatisfactionum in Sacramento pœnitentiæ pro reſeruatis.

votum,niſi tales conditiones extiterint; Ideò ſi pater non conualuerit, non teneor votum implere. Irritantur quoque vota,per illos in quorum poteſtate ſunt vouentes, veluti pater, &, eo deficiente, mater ſi eſt tutrix filiorum, ipſi etiam Tutores, vel curatores, Dominus Abbas, vel alius Prælatus Religioſorum; Quamuis non æqualiter, nam Pater, &, eo deficiente, Mater, vel Tutor,& Prælati Religioſorum omnia vota, tam perſonalia, quàm realia, quæ fiunt ab ijs, qui pro ętatis defectu non poſſunt matrimoniũ contrahere, irritare, adeò, vt, quæ ſemel irritauerint,nunquam poſtea conualeſcant,etiamſi irritantes denuò conſentiant, niſi vouentes eadem vota iterum ratificent:imò irritare ea poſſunt etiam poſtquam ad legitimam ætatem peruenerint, dummodò, qui vouerint, illa priùs non ratificauerint. *Caiet. 2. 2 q.189. art 8* excepto voto ſolenni,quod irritare quidem poſſunt ante legitimam ætatem, non autem poſtea,*c. puella & ibi Cardinalis S. Xixti 2. q 2.* Quod verũ eſt, etiamſi malitia ſuppleuiſſet ætatem. *Nauar. c. 12. nu. 85.* Prælati religionũ omnia vota eorum, qui profeſſi ſunt, irritare poſſunt, quamuis ſint de non peccando tali, vel peccato mortali, vel veniali. *Sotus de iuſt & iure, lib. 7. q. 3. art 1. Nauar. c. 12. nu. 65 & 70. contra Caietanum 2. 2. q. 86. art. 8.* Irritare tamẽ non cęnſetur Superior eo quod inhibeat, niſi certior de votis emiſſis factus,illa ſe habere velle irrita ſignificauerit.*Ita Innocentius communiter receptus in c. ſcripturæ, de voto.* Maritus, & vxor non poſſunt alter alterius vota irritare, niſi in-

quantum

quantum ſibi præiudicium faciunt, *c. nolunt & c. manifeſtum 32. q. 5.* Quo etiam caſu non poſſent, quando alter coniugum notoriam fornicationem ſiue carnalem, ſiue ſpiritualem admiſerit, tunc enim adulter non poteſt irritare votum innocentis. quamuis ſit illi præiudiciabile, ſecundum Panor. *in c. finali de conuerſatione coniugum.* Irritare votum Inferioris, in quod priùs conſenſerat Superior, aliquis ex prædictis non poteſt abſque mortali peccato, ſi id faciat ſine rationabili cauſſa, aut ex merâ malitiâ, vel proprio affectu impulſus, vel fingens illud vergere in maximũ præiudicium, cum non ita ſit: licet in merâ ipſius voluntate poſitum erat, antequã approbaret, illud irritum facere: Inferiores tamen, & ſubditi non peccant, ſi non adimpleant vota, quæ fuerunt ita perperam irrita facta. *Caiet. 2. 2. q. 88. art. 8. Syluester verb. votum. 4. q. 2.*

Et hæc quidem de diſpenſatione, commutatione, & irritatione votorum, quãtum propoſito huic ſeruit, ſufficiunt.

CAPVT DVODECIMVM.

De canonibus pœnitentialibus, qualitate, & quantitate ſatisfactionum in Sacramento pœnitentiæ pro reſeruatis.

QVAESTIO PRIMA.

Qui ſunt canones Pœnitentiales?

INter canones ſunt quidam, quibus, pro certis quibuſdam grauioribus delictis, taxantur certæ pœnitentiæ; qui ideò vocantur pœnitentiales: Colliguntur diligenter ab Hoſtienſi in Summâ de pœnit. & remiſſ. §. quæ pœna. Et ſunt hi.

Primus, Sacerdos, qui fornicatus fuerit, pœnitẽtiam agat annis decem. *c. presbyter diſt. 85.* Quo in capite, præſcribitur pœnitentiæ modus.

Secundus, Qui ſponſam alienam de præſenti accipit, in pœnitentiâ ſit annis ſeptem, & quadraginta diebus in pane, & aquâ. *c. 2. de ſponsâ duorũ.*

Tertius, Monialis, quæ fornicatur, matrimoniumque contrahit, Qui item eam agnoſcit, contrahitve cum eâ, pœnitens ſit decem annis. *c. Deuotam 27. q. 1.*

Quartus, Qui ſacerdos miſſam canit, neque communicat, per annum pœnitentiam agat, nec verò interea celebret. *c. relatum de conſecratione diſt. 2.*

Quintus, Sacerdos, qui pallijs altaris mortuum inuoluit, pœnitens ſit decem annis, & quinque menſibus; Diaconus autem annis tribus, & ſex menſibus. *c. nemo de conſecrat. diſt. 1.*

Sextus, Qui ſcienter contraxerit, coïeritve cum duabus ſororibus, aut commatribus, aut ſorore, cum matre, & filia: Quæve coïerit cum patre, & filio, vel duobus fratribus, pœnitentia ei conſtituitur octo annorum. *c. ſi pater 30. q. 4. &*

c. ſi

c. ſi quis viduam 32. q. 7,
Septimus, Qui ignoranter duas ſorores, vel matrem, & filiam, vel amitam, & neptem cognoſcit, quarum vna ignorat factum alterius, vterque pœnitens ſit annis ſeptem: Si verò ſcienter, perpetuò careat coniugio. *c. vlt. 33. q. vltima, & c ſi quis cum matre 35. q. 3.*
Octauus, Mulieri, quæ partum ſupponit, quæue de alio viro concipit, pœnitentiæ, & ſatisfactionis modus præſcribendus dicitur arbitrio prudentis, & docti ſacerdotis. *c. officij de pœnit. & remiſſ.*
Nonus, Sacrilegus Chriſma, calicémve ſacrum polluens, pœnitens ſit ſeptem annis, & in ſingulis hebdomadibus tribus diebus ieiunus ſit à carne, & vino. *c. de viro 12. q. 2.*
Decimus, Celans ſe cognouiſſe mulierem, quæ contraxit cum fratre eius, pœnitens ſit ſeptem annis. *c. ſi homo fornicatus 35. q. 3*
Vndecimus, Solemniter Pœnitens, ſi poſtea ad vomitum redierit, pœnitẽtiam agat decem annis. *c. Si quis verò de pœnit. diſt. 5.*
Duodecimus, Parentes filiorum ſponſalia dirimẽtes, & filij, ſi conſenſerint, ac poſt rurſus diſſenſerint, communione priuantur annis tribus. *c. voto 31. q, 3.*
Decimus tertius, Qui contraxerit cum eâ, cum quâ adulterium commiſit, pœnitens ſit annis quinque. *c. ſi qua 31. q. 1.*
Decimus-quartus, Cognoſcens vxorem adulteratam ante pœnitentiam peractam pœnitens ſit annis duobus. *c. ſi quis 32. q. 1.*

Decimus quintus, Sacerdos, qui intereſt clandeſtinis diſpenſationibus per triennium ab officij ſui adminiſtratione amouetur. *c. vltimo de clandeſtinâ deſpenſatione.*

Decimus ſextus, Clericus, qui præſtandis horarũ Canonicarum officijs à Metropolitanæ Eccleſiæ more, & ritu diſcrepat, idque præ cõtemptu facit, per ſex menſes communione priuetur. *c. de his diſt. 12.*

Decimus ſeptimus, Qui dominum, vxorémve interfecerit, nunquam equitabit, non vehiculo vehetur, non matrimonium cõtrahet, decem annis carne non veſcetur, neque vinum bibet. *c. admonere. c quicumque 33. q. 2.* Quibus locis hæc crimina patrantibus alia quædam etiam iniunguntur.

Decimus octauus, Qui matrem interfecerit decem annis pœnitentiam agat nummis depoſitis. *c. latorem 32. q. 2.*

Decimus nonus, Qui ſimplex votum violauerit, trium annorum pœnitentia ei conſtituitur. *c. ſi vir. diſt. 27.*

Vigeſimus. Qui blaſphemiam in Deum, & B. Virginem, & ſanctos publice coniecerit, pœnitentiam agat ſeptẽ annis ex formula, quæ præſcripta eſt à Gregorio nono. *c vltimo de maledicis.*

Vigeſimus primus, Qui Eccleſiam incenderit, reſtituat, & pretium det pauperibus, & pœnitens ſit quindecim annis. *c. ſi quis 17 q. 4.*

Vigeſimus ſecundus, Qui domum, areamúe combuſſerit, pœnitentiam agat annis tribus. *c. ſi quis domum, de iniuria, & damno dato.*

Vigeſi-

Vigeſimus tertius, Sacerdos excommunicatus,ſi celebret, tribus annis pœniteat, hebdomadibusque ſingulis feria 2. 4. 6. à carnibus,& vino abſtineat. *c. de illis 11. q 3.* & eſt irregularis *c. 1. de ſententia excommunicationis lib. 6.*

Vigeſimus quartus, Sacerdos ſacerdotij ſui gradu, ordineque in perpetuum amotus, quem degradatum dicunt, ſi celebrare audet, priuatur communione corporis, & ſanguinis Ieſu Chriſti vſque ad vltimum diem, & eſt excommunicatus viaticum tantum in fine vitæ ſumens. *c. accedens, diſt. 50.*

Vigeſimus quintus, Epiſcopus diſſimulans corrigere venditiones miniſteriorum menſibus duobus, Sacerdos hoc agens quatuor, Diaconus annis tribus pœniteat: Subdiaconus, alijque inferiores debitâ excommunicatione afficiuntur iudicis ſui arbitrio. *c. quicquid 1. q. 1.*

Vigeſimus ſextus, Iniuſtè excommunicanti per mēſem vnum ingreſſus Eccleſiæ interdicitur.

Vigeſimus ſeptimus, Sacerdos, ſi fornicatus eſt cum filiâ ſuâ ſpirituali, aut cum eâ, quæ illi confeſſa fuit peccata ſua, pœnitens ſit duodecim annis, & in monaſterio Deo ſeruiat omnibus diebus vitæ ſuæ. Si Epiſcopus hoc admiſerit, pœnitentiam agat annis quindecim, mulier autem in monaſterium trudatur, vbi perpetuò viuat. *c. ſi quis Sacerdos, & c. non debet. 30. q 1.*

Vigeſimus octauus, Scienter rebaptizans, ſi propter hæreſim hoc ſceleris admittit, pœnitentiâ afficiatur ſeptem annorum, quartâ, & feriâ ſextâ ieiunans, & tribus item quadrageſimis

pane, & aquâ. Si verò pro immunditiâ hoc facere putârit, eum pœniteat tribus annis: Quod ignoranter, non peccat. *c. qui de his, de conſec. diſt. 4. c. 2. de apoſtatis.* Si Epiſcopus, Presbyter, Diaconus ſponte eſt rebaptizatus, quamdiu viuit, pœnitens ſit: Alij verò clerici, & religioſi, & moniales ab hæreticis volentes rebaptizari pœnitentiam agant duodecim annis. *c. eos quoque, de conſec. diſt. 4.* Quo in loco eis pœnitentiæ modus præſcribitur.

Vigeſimus-nonus, Qui coactus falſum teſtimonium dicit, nec mors ſequitur, in pœnitentiâ ſit duobus annis, ſi ſponte, annis quinque. *c. 1. de falſis.*

Trigeſimus, Adultero, Fornicatorive, pœnitentia conſtituitur ſeptem annorum. *c. prædicandum. 22. q. 1.*

Trigeſimus-primus, Qui iniuſtè quempiam accuſat ad mortem, quadraginta dies continuè pane, & aquâ ieiunabit, & per ſeptem annos pœnitẽtiam aget, non tamen in aquâ, & pane, ſed arbitrio Sacerdotis. Si verò ob eam accuſationem quis membrum perdiderit, accuſator ieiunabit quadrageſimis tribus pane, & aquâ. *22 q. 1. c. 1.*

Trigeſimus ſecundus, Sortilegus quadraginta dies in pœnitentiâ ſit. *c. 1. de Sortilegis.*

Trigeſimus tertius, Reſpiciens furta in aſtrolabio ænnis duobus. *c. 2. de ſortilegis.*

Trigeſimus-quartus, Qui ædes magicis cantionibus luſtrat, aliúdve tale admittit, & qui ei conſentit, & conſulit, pœnitens ſit annis quinque. *c. qui diuinationes, 26. q. 5.*

Trigeſimus quintus, Patronus, qui res Eccleſiæ abſumit,

ſumit, per annum excommunicatur. *c. falſis 16. q. 7.*
Trigeſimus ſextus, Iurans ad pacem non redire per annum pœnitens ſit. *c. qui Sacramento, 22. q. 4.*
Trigeſimus ſeptimus, Qui filiam, ſororémve ſpiritualem in matrimonium ducit, qui item conſentit, pœnitens ſit ſeptem annis. *c. non oportet, 30. q. 3.*
Trigeſimus octauus, Si gutta ſanguinis Chriſti in terram cadit, Sacerdos in pœnitentia ſit quadraginta diebus: Si ſuper Altare, & ad pannum vnum tranſit, diebus duobus: Si vſque ad pannos duos, diebus quatuor: Si vſque ad tres, diebus nouem; Si vſque ad quatuor, diebus viginti. *c. ſi per negligentiam, de conſec. diſt. 2.* Quo loco alia ad hoc genus pœnitentiæ pertinentia, tradũtur.
Trigeſimus nonus, Qui incautè dimiſerit Euchariſtiam, quamuis nil nefandi acciderit, tribus menſibus à ſui muneris adminiſtratione amoueatur. *c. 1. de cuſtodiâ Euchariſtia.*
Quadrageſimus, Epiſcopus, qui cædem fecerit, in pœnitentia ſit quindecim annis, deponatur, & perpetuò peregrinetur; Presbyter annis duodecim, quorum tres ieiunet pane, & aquâ, & deponatur: Diaconus annis decem, & tribus in pane, & aquâ. *c. ſi quis homicidium, diſt. 50.*
Quadrageſimus primus, Qui ſponte cædem fecerit, ſeptem annis pœnitens ſit. *c. maior diſt. 50.* Qui verò caſu, annis quinque. *c. eos, eadem diſt.*
Quadrageſimus tertius, Qui Clericum, Diaconum, vel Subdiaconum occiderit, perpetuò in Monaſterio recludatur, & publicam agat pœniten-

tiam ſeptem annis. *c. qui occiderit 17. q. 4* Qui preſbyterum, duodecim annis. *c. 2. de pœnit. & remiſſ.*
Quadrageſimus quartus, Qui coïerit contra naturam, aut cum brutis; qui item inceſtum fecerit, pœnitens ſit ampliùs, quàm annis ſeptem; Si Clericus eſt, deponatur; Laicus, excommunicetur. *22. q. 1. c. hoc ipſum, & c. Clerici, de exceſſ. Prælatorum.*
Quadrageſimus quintus, Qui matrimonium contraxerit contra interdictum Eccleſiæ, per menſem pœnitens ſit, aut pro arbitrio Confeſſoris, *c. 1. de Matrim. contracto contra interdictum Eccleſiæ.*
Quadrageſimus ſextus, Confeſſarius, qui pœnitentis peccatum patefacit, in Monaſterium detrudatur ad agendam pœnitentiam. *c. omnis, de pœnit. & remiſſ.*
Quadrageſimus ſeptimus, Qui per ebrietatem Euchariſtiam euomit, ſi Laicus eſt, quadraginta diebus; ſi Clericus, ſexaginta; ſi Epiſcopus, nonaginta diebus; ſi infirmus, pœnitentiam agat diebus ſeptem. *c. ſi quis per ebrietatem, de conſec. diſt. 2.*
Quadrageſimus octauus, Qui periurium ſciens admiſerit, quadraginta dies in pane, & aquâ, & ſeptem ſequentes annos pœnitens ſit, & nunquam ſit ſine pœnitentiâ. *c. cuicumque 6. q. 1.*
Quadrageſimus nonus, Qui coactus peierat, ſi liber ſit, quadraginta dies, & ſeptem annos ſequentes; ſi ſeruus, tres quadrageſimas, & legitimas ferias pœnitens ſit. *c. qui compulſus 22. q. 5.*
Quinquageſimus, Qui compellit aliũ, vt falſum iuret, quadraginta dies in pane, & aquâ, & ſeptẽ annos pœnitere debet. *c. ſi quis conuictus 22. q. 5.*
Quin-

Quinquageſimus primus, Qui peierat in manu Epiſcopi, vel in cruce conſecratâ tribus annis; ſi verò in cruce non conſecratâ anno; ſi ignorãter, & coactus tribus quadrageſimis. *c.2.22 q.5.*
Quinquageſimus ſecundus, Qui menſuras adulterat, triginta diebus ieiunet. *c. 1 de empt. & vend.*
Quinquageſimus tertius, Ignoranter Communionẽ dans hæretico, vel ab eo accipiens, anno; ſi ſcienter, annis quinque: Quod ſi neſciens permittit eum in Eccleſiâ celebrare, diebus quadraginta; ſi reuerentiæ cauſsâ anno vno; ſi ad euertendam fidem annis decem. *c. ſi quis dederit 24 q.1.*
Quinquageſimus quartus, Clerico furi annorum ſeptem; Laico quinque annorum pœnitentia conſtituitur; ſin autem vilis eſt res vnius anni. *c. ſi quis Clericus 17. q. 4.*
Quinquageſimus quintus, & poſtremus, Qui in Epiſcopum, presbyterúmve manus inijcit, in monaſterio recludi iubetur ad agendam pœnitẽtiam perpetuam. *c. quiſquis.*

Circa hos Canones pro eorum intelligentiâ quædam annotanda ſunt.

Primùm, vbi in canone aliquo præſcribitur pœnitentia aliquot menſium, quadrageſimarũ, annorum nec additur, quomodo quis debeat pœnitere, cenſendum eſt hoc relinqui iudicis arbitrio, qui, perſpectâ pœnitentis qualitate, ac diſpoſitione, pœnitentiam ipſam prudentiâ, ſcientiâ, iuſtitiâ, ac bonitate tanto tempore ferendam moderari debet.

Secundum, per legitimas ferias intelligi debere feriam 2. 4 6 quamuis quidam pro feriâ ſecundâ ponant ſabbatum. *De conſec. diſt. 3. §. inju-*

ria. Quare, quando in canone aliquo iniungitur pœnitentia agenda per legitimas ferias, intelligendum per 2. 4. 6. ferias.

Tertium, per ieiunium trium quadrageſimarum, quod ſubinde in canonibus præſcribitur, intelligi ieiunium, quod imponebatur ſeruandum in tribus quadrageſimis, quæ olim ſeruari ſolebant, nimirum ante natalia Domini, ante Paſcha, & ante feſtum ſancti Ioannis Baptiſtæ. Sic catecheſis Placentiæ impreſſa. Et de Graſſijs lib. 1. deciſionum aurearum c. 33.

Poſtremum, canones Pœnitentiales, & rigorem Patrum in ijs præſcribendis, & feruorem, ac deuotionem pœnitentium in ijs implendis maxime floruiſſe tempore D. Cypriani, & D. Auguſtini, perduraſſeque in Eccleſiâ vſque ad tempora Innocentij primi; Poſtea verò paulatim à ſeptingentis annis cœperunt languere, & quantum canones pœnitentiales obſoleuerũt, tantum Indulgentiæ Pontificis, & Epiſcoporũ creuerunt.

Difficultas prima: An canones pœnitentiales concernãt forum conſcientiæ, an verò forum externum?

Communis opinio hactenus habuit prædictos canones fuiſſe ſeruatos in foro conſcientiæ, vt videri poteſt ex Anton. Palud. & reliquis ferè Summiſtis, & Scholaſticis Doctoribus; Nihilominus Nauarrus *in c. falſas de pœnit. diſt. 5. & 22. Enchiridij c. 26. nu. 17.* probabilius putat fuiſſe taxatos tantum pro foro exteriori; Cuius ſententia pleriſque Doctoribus neotericis hodie arridet. Ratio potiſſima eius eſt, quia pleræque pœnitentiæ

tentiæ per canones præſcriptæ à Confeſſario imponi non poſſent ſine reuelatione confeſſionis ſaltem in genere; clarum etenim eſt pleraſque illarum non poſſe imponi niſi pro grauiſſimis peccatis: Quod ex primo canone pœnitentiali facilè probari poteſt, qui ſic habet. *c. presbyter diſt. 82.* Presbyter ſi fornicationem fecerit, quanquam ſecundum canones Apoſtolorum deberet deponi, tamen iuxta auctoritatem B. Syluestri, ſi in vitio non perdurauerit, ſi ſuâ ſponte confeſſus adiecerit, vt reſurgat, decem annis in hunc modum pœniteat: Tribus quidem menſibus à ceteris remotus, pane, & aquâ à veſperâ in veſperam vtatur, diebus Dominicis, & præcipuis feſtis piſciculis, atque leguminibus, ouis, & caſeo, non verò carne, aut ſanguine vtatur, vino modico recreetur; Interea ſacco indutus humi iaceat die, ac nocte miſericordiam omnipotentis Dei implorans. Elapſis, & ſic finitis tribus menſibus, exibit de carcere, non tamen procedet in publicum, ne grex fidelis in eo ſcandalum patiatur; Poſthæc, reſumptis aliquantulum viribus, anno vno, & dimidio in pane, & aquâ pœniteat, exceptis Dominicis, & alijs præcipuis feſtis, in quibus vino, & ſanguine, ouis, & caſeo reficietur. Finito ſic anno, & dimidio, particeps fiet ſanguinis Domini, & ad pacem, & ad pſalmos cũ aliis fratribus cantandos in choro admittetur: tamen an cornu altaris non accedet, ſed minorum tantum ordinum officia geret: Deinde vſque ad expletionem ſeptimi anni, tres dies ſci-

licet 2. 4. & 6. feriam, exceptis diebus paſcalibus, qui ſunt quinquaginta, in pane, & aquâ ieiunet, tamen ſecundam feriam vno pſalterio, vel vno denario poterit redimere. Si ſic ſeptimum annum compleuerit, poteſt eum Epiſcopus ad gradum priſtinum reuocare, ita tamen quod in tribus annis ſubſequẽtibus omni ſextâ feriâ, nullâ interueniẽte miſericordiâ, in pane, & aquâ ieiunet. Quis auderet dicere (*inquit Nauarr. ſuprà*) pœnitentiã talẽ imponi ſolitã fuiſſe in confeſſione Sacramentali? Hoc enim nihil aliud eſſet facere, quàm confeſſionem reuelare.

Non obſtat dictis *c. quæ ipſis. diſt. 38.* quod habet, vix pro Sacerdotibus habendos, qui canones pœnitentiales ignorant.

Non obſtat ſecundò, antiqua forma indulgẽtiarum tot dies, tot quadragenas, tot annos de pœnitentijs iniunctis relaxandi;

Quoniam, ſecundum eundem Nauarrum ad primum reſponderi poteſt, non ideò in Confeſſarijs canonum pœnitentialium ſcientiam requiri, quod pœnitentias in illis contentas oporteat eos in foro pœnitentiæ imponere, ſed vt ex illis diſcere poſſint, quæ pœnitentiæ qualitas, & quantitas cuique peccato maximè conueniat. Inſtar enim illarum à iure pro foro exteriori præfixarum debent ſuas temperare Cõfeſſarij.

Ad ſecundum negari poteſt ex illâ Indulgentiarum formâ concludi canonum illorum pœnitentias imponi ſolitas in confeſſione Sacramentali fatendum tamen eſſe, quod priſca illa indul-

indulgentiarum conſuetudo arguat multò maiores olim à Confeſſarijs pœnitentias imponi ſolere, & à pœnitentibus accipi ſolitum eſſe, quàm hodie à Confeſſarijs imponi, aut à pœnitentibus ſubiri ſoleant.

Difficultas ſecunda: An in pœnitentijs iniungendis neceſſum ſit ſequi canones pœnitentiales?

Certum eſt hodie omnes pœnitentias eſſe arbitrarias, *per c. menſuram, de pœnit. diſt. 1.* & alia plura; Expedit nihilominus canones pœnitentiales ſcire, & illos in imponendis pœnitentijs pro grauioribus peccatis, & maxime reſeruatis ſemper præ oculis habere propter duo; Primũ, vt ex ijs oſtendatur pœnitenti, quàm graui pœnitentia dignus ſit, vtque id intelligens, libenti animo amplectatur pœnitentiam qualemcumque ſibi impoſitam, eamque diligenter impleat, detque operam, ne in eadem peccata recidat, quando intelligit abolenda eſſe tam graui pœnitentia. Secundum, vt Confeſſarius facilius, & certius ſcire poſſit, quæ pœnitentiæ qualitas, & quantitas cuicumque peccato maximè conueniat, vt ſtatim dictum eſt.

QVAESTIO SECVNDA.

Quales iniungendæ pœnitentiæ pro reſeruatis?

CONC. Trid. ſeſſ. 24. c. 8. dicit pœnitentias pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate debere eſſe ſalutares, & conuenientes.

Pœnitentiæ ſalutares, & conuenientes illæ viden-

videntur, quæ non ſolùm peccatis caſtigandis, ſed etiam pœnitentibus ſanandis congruunt.

Vnde fit, vt bene à Doctoribus tria genera ſatisfactionum, ſiue pœnitentiarum aſſignentur, tribus nimirum peccatorum radicibus cõtraria; Ieiunium, quod contrariatur concupiſcentiæ carnis; Oratio, ſuperbiæ vitæ; & Eleëmoſyna, concupiſcentiæ oculorum. Hinc inceſtuoſis, & ſimilibus carnalibus peccatis deditis conuenienter ieiunia, & abſtinentiæ imponuntur: Sacrilegis, falſarijs, periuris, Eleëmoſynæ: Hæreticis, Apoſtatis, & ſimilibus Orationes.

Niſi pœnitentis qualitas obſiſtat; Nam incongrue, & ineptè pauperi periuro eleëmoſynæ iniungerentur, & pauperi inceſtuoſo Ieiunia: Quamuis orationes ferè omnibus, & ſemper rite imponi poſſint.

QVAESTIO TERTIA.

Quantæ ſunt imponendæ pœnitentiæ in foro conſcientiæ pro caſibus reſeruatis?

DIcendum primò, Quantitatem pœnæ peccato debitæ ſoli Deo cognitam eſſe, ille enim ſolus nouit quanta pœna remaneat perſoluenda peccato mortali per cõtritionem, & confeſſionem remiſſo; quia ſolus nouit grauitatem peccati, & vim contritionis, & partem, quam abſolutio Sacramentalis tollit, meritum item operis tum ſatisfactorij, tum Sacramentalis, quod pro magnitudine, vel paruitate gra-

gratiæ, & deuotionis magis, vel minùs ſatisfacit. *Nauarrus cap. 26. nu 16.*

Secundò, ſicut in alijs peccatis, ſic etiam in reſeruatis, omnes pœnitentias, quoad quantitatem, eſſe arbitrarias; hoc eſt, relinqui iudicio prudentis cōfeſſarij, vt tantas imponat, quantas magis in Domino ad pœnitētium ſalutem promouendam nouerit expedire. Ita omnes ex *c. menſura de pœnit. diſt. 1. & c. Deus, de pœnit. & remiſſ. & c. tempora 26. q. 7* quæ capitula non diſtinguunt inter peccata reſeruata, & non reſeruata.

Tertiò, quamuis in arbitrandâ pœnitentiæ quantitate Confeſſarius attendere debeat ad peccati grauitatem, putà an ſit immediate contra Deum, vt hæreſis, blaſphemia; an contra proximum, vt homicidium, inceſtus magis tamen attendere debet ad qualitatē pœnitentis, putà an ſit aſſuetus grauioribus pœnitentijs, an non; An ſenex, an iuuenis; robuſtus, an valetudinarius; pauper, an diues. *Directorium Polanci c. 3. §. Quomodo pœnitens in ſatisfactione adiuuetur.*

Ex quibus ſequitur primò, quod ſi pœnitens ſit ſenex, aut valetudinarius, delicatus, melancholicus, aut grauioribus pœnitentijs minimè aſſuetus, aut aliàs talis, qui nolit acceptare tam magnam pœnitentiam, quam iuſtam arbitratur Cōfeſſarius, etiamſi forte pluribus grauioribus peccatis, & caſibus reſeruatis ſit onuſtus, poteſt, imò debet Confeſſarius minorem iuſtâ imponere. *Ita maior in 4. ſent. diſt. 20. q. 1.*

Sequitur ſecundò, quod ſi pœnitens ſit iuuenis, & robuſtus, & aſſuetus pœnitētijs feren-

dis, ſitque paratus iuſtam pœnitentiam ſubire, nullumque timeatur reuelandæ confeſſionis, aut ſimilis incommodi periculum, debebit Cõfeſſarius illam imponere, quæ iuſta illi videbitur, habito maximè reſpectu ad illas, quæ canonibus pœnitentialibus conſtituuntur. *Ita Conc. Colon. de ſatisfactione §. ex prædictis.* vbi ſic dicit; *Etiamſi ſperandum non ſit, vt communiter ab hominibus ſuſcipiantur pœnitentiæ antiquæ, bonum eſt tamen vt aliqui ad illas reuocentur.*

Quartò, dicendum Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 8. omnia prædicta breuiter, & grauiter complecti his verbis; *Debent Sacerdotes Domini, quantum Spiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate ſalutares, & conuenientes ſatisfactiones iniungere; ne ſi fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leuiſſima quadam opera pro grauiſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorũ participes efficiantur.*

Poſtremò, dicendum, quod in dubio inter maiorem, & minorem pœnitentiam imponendam, potiùs eligendum eſt periculum errandi in minore imponendâ, quàm maiore, quia meliùs eſt reddere rationẽ de nimiâ miſericordiâ, quàm de nimiâ ſeueritate. *16. q. 7. ex D. Ambroſio.*

QVAESTIO QVARTA.

An in foro conſcientiæ poßit imponi pœnitentia publica?

COmmunis opinio hactenus habuit, quod pro graui aliquo, & publico crimine non

ſolùm

ſolùm poſſet, ſed etiam debeat imponi pœnitentia publica, vt teſtantur, *Guilhelmus, Gofredus, Hoſtienſis, relati à Sylueſtro verb. pœnitentia nu. 1. D Thomas in 4. diſt. 14. Et Sotus in 4. diſt. 19. q. 2. art. 5.* Pro qua opinione videtur facere *c. 1. de pœnit. & remiſſ.* & nouiſſimè *Cont. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 8.* Verùm *Nauarrus in c. Sacerdòs de pœnit. diſt. 6. à nu. 87. vſque ad 109. & in Enchiridio c. 8. nu. 10.* probabilius putat pœnitentiæ publicæ iniunctionem pertinere ad forum externum, & contentioſum, non autem ad forum internum conſciẽtiæ. Rationes eius ſunt.

Prima, quia Confeſſàrius, neque directè, neque indirectè, neque in ſpecie, neque in genere poteſt reuelare peccatum mortale in confeſſione auditum, quod proculdubio fieret ſi Confeſſarius pro peccato in confeſſione Sacramentali audito iniungeret pœnitentiam publicam.

Secunda, ſi pro peccato publico imponi deberet pœnitentia publica, ſequeretur errâſſe, & errare quotidie prudentes, & doctos Confeſſarios, quos quotidie videmus pro publicis peccatis iniungere ſecretas pœnitentias.

Poſtrema, quia in pluribus locis aliud habet conſuetudo, in quibus publicæ pœnitentiæ non niſi in foro exteriori imponuntur; Quod aduertit & notauit Sylueſter *verb. pœnitentia nu. 1.* Et ita vſitatum eſt in noſtra Diœceſi Leodienſi, in quâ non vidi, nec vnquam audiui datam ab aliquo confeſſario in Sacramento pœnitentiæ publicam pœnitentiam.

Ad c. 1. de pœnit. & remiſſ. Nauarrus præcitato capite *Sacerdos*, reſpondet agi ibi de pœnitentiâ, quæ inuito imponitur, qualis non eſt ſacramentalis.

Ad locum Conc. Trid. reſpondet c.8. Enchiridij, nu. 10. poſſe illud intelligi de pœnitentiâ, quæ in foro exteriori imponitur, ſicut & prædictum *c. 1. de pœnit. & remiſſ.* Quod ſignificare videtur ipſum Conc. quando tribuit Epiſcopis poteſtatem mutandi pœnitentiam publicam, de qua loquitur ibi.

Ex quibus duo inferuntur: Primum, non expedire iniungere pœnitentias graues à confeſſione Sacramentali ſtatim peragendas, maximè ſi huiuſmodi ſunt, quæ impleri non poſſint niſi ab aliquibus videātur, quia per illas naſceretur iuſta ſuſpicio pœnitentem pro illo tempore cōfeſſum eſſe graue aliquod peccatum, quod eſſet reuelare confeſſionem ſaltem indirectè, vel in genere.

Secundum, quod licet Confeſſarius propter peccatum qualecumque non debeat iuxta prædicta imponere in confeſſione pœnitētiam publicam, non poterit tamen abſoluere illum, qui vocatus in ius propter ſuum delictum publicum, non eſt paratus ſubire pœnitentiam publicam, quam Vicarius, Officialis, aut Archidiaconus, coram quo citatus eſt, ſtatuit illi imponere.

QVAE-

QVAESTIO QVINTA.

An pœnitētiam à Superiore putà Epiſcopo, Vicario, aut Pœnitentiario in foro conſcientiæ impoſitam Parochus, aut alius ſimplex Confeſſarius mutare, aut relaxare poſſit?

NOTA hîc non fieri quæſtionem de pœnitētiâ, quā Vicarius, Officialis, aut Archidiaconus imponit in foro exteriori: certum eſt enim Parochum aliquem, aut alium Confeſſarium circa illam nihil poſſe, cùm nullam iuriſdictionem habeant in foro exteriori; Sed quæſtio eſt: An inferior Confeſſarius poſſit mutare pœnitentiam, quam impoſuit Superior in foro conſcientiæ? Dicendum; ſi pœnitens bonâ fide putat ſe pœnitentiam à Superiore iniunctā implere nō poſſe, aut nō ſine graui difficultate, vel periculo ſalutis animæ, vel corporis, non ſolùm is, qui illam impoſuit, ſed etiam alius illo inferior, præſertim ſi Superior facilè adiri non poſſit, mutare poteſt. Pro quo eſt Gloſſa ſingularis communiter à Theologis, & Canoniſtis recepta, *in c, tempora pœnitudinis 26 q. 7.* Quam refert Nauarrus *c. 26. Enchiridij nu. 22.*

Quod quidem verum eſt, etiamſi pœnitentia, quam iniungit Superior, fuerit per eum impoſita ob peccata ipſi reſeruata. *Syluester verb. Confeſſio 1. §. 27.* Ratio eius eſt; quia quando neceſſitas vrget, aut ſuadet vtilitas, pium eſt interpretari Superiorem facultatem commutandi, imò etiam relaxandi pœnitentiā impoſſibilem, aut nimis difficilem] concedere; Debebit tamen

men talis commutans grauitatem peccatorum, propter quæ pœnitentia fuit impoſita, cognoſcere, ſiue in confeſſione, ſiue extra confeſſionem, quia aliàs non poſſet iuſtè iudicare cauſsâ incognitâ.

Non obſtat dictis Inferiorem non habere poteſtatem in Superiorem, ſicut nec parem in parem. *c. cum Inferior de maioritate, & obedientiâ*; quia fallit regula cùm iuſta ſubeſt cauſſa, qualis eſſe in hoc caſu præſupponitur. *arg. textus l. hominem, ff. manum.* Vbi procurator poteſt mādare contrarium eius, quod Dominus mandauit; Quæ tamen maxime vera ſunt, vt antè diximus, quando Superior facilè adiri non poteſt.

CAPVT DECIMVM-TERTIVM, ET POSTREMVM.

De modis loquendi, quibus violatur, vel non violatur ſigillum confeſsionis Sacramentalis, quando conſultandum, vel reſcribendum eſt ſuper aliquo caſu reſeruato.

QVAESTIO VNICA.

Quibus modis loquendi, conſultandi, reſcribendi violatur, vel non violatur ſigillum confeſsionis?

QVI

Qvia ſumma ſeruandi ſigilli cõfeſſionis neceſſitas Confeſſarijs impoſita eſt, & tamen ſubinde occurrunt graues, & difficiles caſus, quos ſine aliorum cõſilio reſoluere non poſſunt, & vbi eos reſoluerunt, & ab illis abſoluerunt, ſubinde etiam neceſſum eſt abſolutionis impenſæ dare litteras teſtimoniales; Meritò hoc loco quæritur: Quomodo poterit ſeruari ſecretum confeſſionis, quando conſultandum eſt de aliquo caſu in confeſſione detecto, vel quãdo reſcribendũ eſt, vel dandæ ſunt litteræ teſtimoniales? Doctores quidam non inutiliter annotârũt modos quoſdam loquendi, & agendi, quibus Confeſſarij loqui, conſultare, reſcribere poſſunt abſque reuelatione confeſſionis: E contra plures alios quibus frequenter contingit ſigillum cõfeſſionis violari.

Modi loquendi, quibus vt frequentius violatur ſigillum confeſſionis.

Primus, Violat ſigillum confeſſionis ille Confeſſarius, qui, confeſſione pœnitẽtis auditâ, ſtatim conſulit virum doctum præſentem, à quo quid agendum ſit in caſu quærit, & accepto conſilio iterum redit ad pœnitentem, vt illum abſoluat; ingerit enim probabilem ſuſpicionem pœnitẽtem ibi præſentem incurriſſe caſum de quo cõſultatur. *Nauar. c. 8. nu. 9.*

Secundus, Frangit & ille, qui ſuo Parochiano publicè

publice conquerenti, quod ſibi Euchariſtiæ Sacramentum deneget, publice etiam in hunc modum reſpondet: ne queraris, amice; quod tibi denegem Sacramentum, quia habes caſum reſeruatum, à quo te non poſſum abſoluere: nam perinde eſt, ac ſi diceret, ille mihi confeſſus eſt aliquod peccatum mortale. *Nauarrus c. Sacerdos, nu. 93. & ſuprà nu. 13.*

Tertius, Violat & ille, qui dicit, talis mihi confeſſus eſt multa, & grauia peccata. *Palud. in 4. diſt. 12. q. 2.*

Quartus, Reuelat & ille confeſſionem, qui ſic loquitur: Ille mihi confeſſus eſt, ſed ego eum non abſolui; conſtat enim eum, qui huiuſmodi verba audierit, coniecturum pœnitētem cōfeſſum eſſe aliquod peccatum mortale, quicquid contradicat Caietanus, cuius argumentis reſpondet Nauar. *in c Sacerd. nu. 64.*

Quintus, Violat quoque ſigillum confeſſionis ille, qui de homicidis, & alijs publicis peccatoribus aſſeuerat illos peccata illa publica fuiſſe ſibi confeſſos; quamuis enim non reuelet ſimpliciter, peccata ſiquidem iam publica erant, eâ tamen ratione videtur reuelare, quia dicit illos peccata in confeſſione explicâſſe. *Nauar. ſupra nu. 62.*

Sextus, Frangit quoque ſigillum confeſſionis ille, qui interrogatus quid egerit circa pœnitentem, quem non abſoluit; reſpondet, Ego eum non abſolui: nam probabilem ingerit ſuſpicionem aliquod graue peccatum confeſſum eſſe pœnitentem, vel aliquam excommunicationē,

vel caſum reſeruatum.

Modi loquendi, vel ſcribendi de auditis in confeßione abſque violatione ſigilli confeßionis.

Primus Non violat ſigillum confeſſionis Confeſſarius ille, qui circa peccatum, quod audiuit in confeſſione conſilio indigens, eo modo poſtulat illud ſibi dari, vt ex eius verbis nullo modo poſſit intelligi, quis fuerit auctor ſceleris. *c. officij, de pœnit. & remiſſ.*

Secundus, Quando Parochus, vel alius inferior ex commiſſione Superioris abſoluit à caſu reſeruato, & teſtimoniales litteras abſolutionis per ipſum impenſæ ad R. D. Vicarium generalem, vel Archidiaconum remittere debet, non frangit ſigillum, ſi rogatus à pœnitente, vt fieri ſolet, hâc, vel ſimili formâ reſcribat. *Reuerende Domine Vicarie, Datorem præſentis ſchedulæ N. virtute commißionis mihi per R. V. traditæ, in confeßione ſacramentali audiui, eiq; iniunctâ Sacramentali Pœnitentiâ, beneficium abſolutionis impendi. Datum anno 1595. vigiliâ omnium Sanctorum.* Simili modo non frangit ſigillum Superior, qui quempiam à caſu ſibi reſeruato abſoluit; ſi Parochum de abſolutione per eum impenſâ certiorem faciat hoc pacto; *Venerabilis Domine Paſtor, lator præſentis ſchedulæ N. ſubditus veſter mihi ſubſcripto confeſſus eſt, eiq; beneficium abſolutionis impendi. Datum, &c.* Neque parochus à pœnitente magis ſpecificam atteſtationem exigere poteſt, ſed pœnitenti dicenti ſe ab illo, vel illo caſu reſeruato abſolutum credere debet,

quia in confeſſione Sacramẽtali vnicuique pro ſe, & contra ſe credi debet, *ſecundum omnes.* Aliud tamen dicendum eſſet, ſi caſus eſſet publicus, aut pœnitens innodatus eſſet aliquâ cenſurâ; illis enim caſibus Paſtor non tenetur pœnitenti credere, quare pœnitens debebit magis ſpecifice docere ſe abſolutum eſſe. His caſibus Superior, petitâ, & obtentâ à pœnitente licentiâ, abſque violatione ſigilli hac, vel ſimili formâ reſcribere poterit: *Venerabilis Domine Paſtor, lator præſentis ſchedulæ N. ſubditus veſter mihi infraſcripto confeſſus eſt homicidium pèr eum nuper in tuâ parochiâ perpetratum, eiq; beneficium abſolutionis impendi, Datum, &c.*

Tertius, Si Superiori non vacat audire totam cõfeſſionem, ſed ſolum vult audire caſum reſeruatum, vt pœnitenti poſtmodum abſoluendo per ſuum Parochum præſcribat iuſtam pœnitentiam, non franget ſigillum, ſi, petitâ prius licentiâ, & obtentâ, reſcribat Parocho in hunc modum: *Venerabilis Domine Paſtor, non vacauit præſentis ſchedulæ latoris ſubditi tui integram confeſſionem audire, ideò facultatem tibi concedo vt eum audias, & abſoluas à quibuſcumque caſibus Epiſcopò reſeruatis, & ſpecialiter ab homicidio, quod nuper in tuâ parochiâ commiſit, iniunctâ tamen illi hac ſalutari pœnitentiâ, videlicet, vt vbi eum vxori, liberis, & parentibus defuncti, & medico iuxta arbitrium virorum bonorum ſatisfeciſſe, aut certè eorum animos captâſſe, aut quo minus captârit per ſe non ſtare cognoueris, toto proximo ſeptennio, ſi eum tamdiu viuere contigerit, ſingulis hebdomadibus feriâ ſextâ pro refrigerio animæ defuncti, & parentum eius ſeptem Pſalmos pœnitentiales,*

tiales, aut, ſi legere non nouerit, totidem roſaria attentè, & deuotè perſoluat. Datum, &c.

Difficultas vnica: An Superior per notitiam, quam habet ex confeſsione, poſsit ſuper caſibus, & criminibus in eâ auditis inquirere, & ſubditos ſuos caſtigare?

Non poteſt Superior ex tali notitia ſpecialem inquiſitionem in ſubditos inſtituere: Ratio eſt; nam ius inquirendi, quod habet; naſcitur ſolùm vel ex delicti infamiâ, vel ex ſemiplenâ probàtione; Quod autem ex ſolâ confeſſione notum eſt, nullius horum rationem habet.

Poterit nihilominus Superior ſciens talia crimina in ſuâ Diœceſi graſſari ſolito eſſe, ſuper ſubditos attentior, & vigilantior, maxime ſi crimina talia ſint, quæ in graue Reipublicæ detrimentum vergant, qualia ferè ſunt, quæ illi reſeruari ſolent; nihil enim vetat, quo minus quis audiendis confeſſionibus quotidie fiat prudentior. *Vide Sotum in 4. ſent. diſt. 18. q. 4. art. 5.*

FINIS PRIORIS PARTIS.

Ad maiorem Dei gloriam, & peccatorum noſtrorum indulgentiam.

CASVS EPISCOPO LEODIENSI,
SEV EIVS VICARIO IN SPIRITVALIBVS, AC Pœnitentiario reſeruati; iuxta Parochiale Leodieſe de Sacramēto pœnit. rubrica. De caſibus Epiſcopo, &c.

1. *Hæreſis.*

2. *Apoſtaſia.*

3. *Homicidiū volūtariū.*

4. *Iniectio manuum in parentes.*

5. *Machinatio in mortem coniugis.*

6. *Veneficium.*

7. *Maleficium.*

8. *Incantatio.*

9. *Procuratio aborſus.*

10. *Prolis oppreſſio.*

11. *Stuprum, ſiue violenta virginis defloratio.*

12. *Raptus.*

13. *Matrimonium contractum poſt votum caſtitatis, aut in gradu prohibito ſcienter, vel priore vxore adhuc viuente.*

14. *Inceſtus cum conſanguineis, aut cum virgine ſacrâ, ſeu moniali profeſſâ.*

15. *Concubitus contra naturā, putà Sodomia, & eius generis grauiora crimina.*

16. *Falſitas circa monetā.*

17. *Falſitas circa literas alicuius Prælati inferioris Papâ.*

18. *Solenne periurium.*

19. *Publica enormis blaſphemia in Deū, aut Sanctos.*

20. *Inſignis contumelia illata ſacroſanctæ Eucharistiæ, aut ſacris Sanctorum reliquijs.*

21. *Abuſus ſacroſanctæ Eucharistiæ, aut ſacrarum reliquiarum, vel etiā ſacræ ſcripturæ ad exercitium artium magicarum.*

22. *Omnes caſus occulti S. Sedi Apoſtolicæ reſeruati; item, excommunicatio, ſuſpenſio & irregularitas ex his prouenientes; demptâ tamē irregularitate ex homicidio voluntario proueniente; nam hi caſus Epiſcopo ſunt conceſſi per S. Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 6. liceat Epiſcopis.*

POSTERIORIS PARTIS TRACTATVS

DE CASIBVS RESERVATIS,

In quâ ſpeciatim examinantur, & diſſoluuntur omnes penè quæſtiones, & difficultates, quæ oriri poſſunt circa ſacras confeßiones illorum, qui inciderunt in caſus Epiſcopo Leodienſi reſeruatos.

CAPVT PRIMVM.

De hæreſi primo caſu Epiſcopo Leodienſi reſeruato.

QVAESTIO PRIMA.

Quid hæreſis, & Quotuplex.

HÆRESIS eſt error intellectus Fidei Catholicæ contrarius ab eo, qui Chriſti religionem profitetur, cum pertinaciâ aſſertus. Colligitur ex D. Thoma 2. 2. q. 11. art. 2. Prima definitionis pars, *eſt error intellectus*, hoc eſt falſi pro vero exiſtimatio, vel contrà, veri pro falſo. Hinc ſequitur, quod quantumcumque crimen aliquod ſit graue, & enorme, non eſt hæreſis, neque facit hæreticum, niſi adſit

error

error intellectus. v. G. Si quis furore percitus conculcet ſacramentum Euchariſtiæ, non quod non credat ibi Chriſtum eſſe, ſed quia præ nimiâ irâ ſibi non temperauit, eſt magnum, & enorme peccatum mortale, non tamen eſt hæreſis, quia deeſt error intellectus. atque ita, qui hoc eâ mente ageret, non eſſet dicendus hæreticus. Secunda pars eſt, *fidei Catholicæ contrarius*: non enim quicumque error contra quamcumque veritatem eſt hæreſis, ſed ſolùm contra veritatem fidei Catholicæ. Hinc ſi quis non credat Solem maiorem eſſe tota terra, etſi erret ſecũdum communem opinionem Philoſophorum, non propterea dicendus eſt hæreticus.

Quicumque Catholicus, quamuis rudis, credere debet duas veritates in genere; Prima eſt, vera eſſe, quæ habet ſacra ſcriptura, hoc ſenſu ſcilicet, vt quãdocumque legitimè illi dicitur aliquid eſſe in ſacrâ ſcripturâ expreſſum, illud credat, licet non teneatur ſcire omnia, quæ ſunt in ſacrâ ſcripturâ. Secunda eſt, vera eſſe quæcumque Eccleſia Catholica credit. Doctiores inſuper tenentur credere ſequentes veritates; Prima eſt, vera eſſe quæcumque docent Apoſtolicæ traditiones, licet non ſint ſcriptæ. Secunda, quicquid generalia concilia, & particularia approbata, per ſummum Pontificem dictant. Tertia, quicquid Papa ſolus iudicialiter determinat de fide: vt cùm Papa decernit eſſe hæreſim credere animas, ſtatim ac exeunt de Purgatorio, non videre Deum. Dixi *iudicialiter*, quia quamuis Papa, vt Papa errare non poſſit,

poteſt

poteſt tamen errare vt homo. Quarta, quicquid tenent ſacri doctores vnanimiter in aliquo dogmate fidei. Quinta, & poſtrema, omnes propoſitiones, quæ deducuntur ex aliquo eorum, quæ habentur in ſacrâ ſcripturâ; vt quod Chriſtus habet duas naturas, & duas voluntates, deducitur ex hac ſcripturâ, *non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*: Quare ſi hoc non eſſet determinatum ab Eccleſiâ, nihilominus eſſet veritas fidei, quia per bonam conſequentiam poteſt deduci ex ſacrâ ſcripturâ.

Tertia pars definitionis, *ab eo qui Chriſti religionem profitetur*, additur, vt diſtinguatur hæreſis à Iudaïſmo, & paganiſmo, qui etiam ſunt ſpecies infidelitatis; non enim Iudæi, & Pagani, ſi negent Chriſtum eſſe filium Dei naturalem, propterea debebunt dici hæretici.

Poſtrema pars definitionis, *cum pertinacia aſſertus*; Ille dicitur hoc loco pertinaciter aſſerere errorem, qui ſciens illum eſſe contra fidem Eccleſiæ Catholicæ, nihilominus ei aſſentitur, aut de illo dubitat.

Non requiritur ad pertinaciam. vt quis ſit ita in errore obſtinatus, vt ab illo deduci non poſſit, ſicut erroneè docet Gloſſa *in Clem. 1. §. porrò, de ſummâ Trinitate, & fide Catholicâ*, quæ multis Iuriſperitis anſam erroris tribuit; Neque requiritur, vt quis diu in errore perſiſtat, vt velle videtur Syluest. *verb. hæreſ. 1. q. 2.* ſecutus Antoninum *2. p, tit. 12. c. 4.* Quia ſicuti quando quis propoſitioni de fide ſibi legitimè propoſitæ vult aſſentiri, dicitur crede-

re,

re, & fidelis eſſe; Ita ſtatim vbi non vult credere, dicitur infidelis, & pertinax.

Ad pertinaciam igitur nihil aliud requiritur, quam conſenſus deliberatus in errorem, quem quis ſcit Fidei Catholicæ contrarium: Quod ſuo more bene & ſubtiliter explicat Caietanus apud D. Thom. *2. 2. q. 11. art. 2.*

Quantum ad propoſitum attinet duplex eſt hæreſis; Interna, & mentalis tantum, vt cùm quis hæreſim, quam mente tenet, nullo ſigno exteriori manifeſtat: Et interna, & externa ſimul, vt cùm quis non credit Chriſtum eſſe in Sacramento, & ideò Sacramentum non adorat exteriori cultu.

Hæreſis, quæ externa tantum à quibuſdam appellatur, vt cùm quis dicit, aut facit aliquid contra fidem, & in mente non habet errorem. v. G. Cùm quis interrogatus an ſit Papiſta, timore mortis reſpondet ſe non ſequi Papam, nó eſt proprie hæreſis, cùm non ſit error intellectus; Quod diligenter notandum eſt, quia hoc tempore maximum vſum habet, vt ex ſequentibus fiet manifeſtum.

Difficultas vnica: An conuenienter enumeretur hæreſis inter caſus Epiſcopo Leodienſi reſeruatos?

Videtur primâ facie quod non, quia hæretici per Bullam Cœnæ Domini excommunicantur, excommunicatione ſummo Pontifici reſeruatâ, debet igitur ſolum inter caſus ſummo Pontifici reſeruatos numerari.

Pro reſolutione notandum, excommunicationem in hæreticos latam eſſe omnium antiquiſſi-

quiſſimã. *argumẽto c. Archatius, & c. audiuimus 24. q. 1.* ſed olim ante Bullam Cœnæ Domini nemini reſeruatam fuiſſe, vt aſſerit *Nauarrus c. 27. nu. 55:* & ante indicauit *Syluester verb. hæreſis nu. 20.* Quare longò tempore potuerunt hæretici per ſimplicem Sacerdotem habentem qualemcumque iuriſdictionem in foro conſciẽtiæ abſolui: ſucceſſu temporis, pullulãtibus hæreſibus, cœpiſſe Epiſcopos eam reſeruare; Sed cùm Epiſcopalis reſeruatio parum proficeret, cœpiſſe & ipſos ſummos Pontifices circa annum Domini 1420. quo tempore Bohemorum hæreſes fuerunt dãnatæ, ſibi eius quoque abſolutionem reſeruare, vt annotârunt *Sotus in 4. diſt. 22. q. 2. art. 3. Et de Graſſis deciſionum aurearum lib. 4. c. 18. nu. 3.*

Hoc prænotato, patet hæreſim non malè numerari inter caſus Epiſcopo Leodienſi reſeruatos, quia antiquitus, antequam Bulla Cœnæ Domini emanâſſet, Epiſcopi Leodienſes ſibi eam reſeruârant, vt patet ex antiquis ſtatutis Synodalibus Diœceſis Leodienſis, *c. de pœnit. & remiſſ. §. Presbyteri reſeruent Epiſcopo.*

Neque debuit poſt reſeruationem Summo Pontifici factam in Bullâ Cœnæ Domini expungi de numero caſuum Epiſcopo Leodienſi reſeruatorum; Primò, quia non obſtante illâ reſeruatione Papali, Conc. Trid. *ſeſſ. 24. c. 8. de reformatione* concedit Epiſcopis poteſtatem abſoluendi ab hæreſi; Deinde quia his in locis tot hæreſibus hodie infectis non videbatur expedire dicere hæreſim ſummo Pontifici tãtum eſſe reſeruatam, ne hæretici à reconciliatione tar-

diores, & alieniores redderentur.

QVAESTIO SECVNDA.
Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum?

EX dictis ſequitur; Primò, non incidere in hunc caſum illos, qui deprehenduntur propoſitiones hæreticas effutiuiſſe, ſi non ex errore, ſed ex ſola leuitate, ira, timore, aut ſimili paſſione hoc fecerint; quia hæreſis externa tantùm non eſt vere hæreſis, cùm hæreſis ſit error intellectus, qualis hic non eſt: quare neque tales à iure excommunicantur. *Nauarrus c. 11. nu. 24. & Syluest. verb. apoſtaſia §. 4.* Quicquid dicat *Caietanus 2 2. q. 24. art. 1.* quia canones excommunicant hæreticos: iſti autem non ſunt hæretici, vt patet, & pœnæ non ſunt ampliandæ, ſed reſtringendæ. *per regulam iuris, Odia, de regulis iuris in 6.*

Porrò quamuis in foro interiori conſcientiæ (in quo ſola veritas attenditur) dicenti ſe hæreſim protuliſſe ex leuitate animi, ioco, timore credi debeat ſecundum omnes: in foro contentioſo tamen, in quo præſumptiones locum habent, non debet facilè credi, ſed examinari debent diligenter qualitates perſonarum proferentium huiuſmodi propoſitiones, modus proferendi, ſcandalum datum; Ex quibus, & alijs ſimilibus iudicari ſolent in illo vel hæretici, vel de hæreſi ſuſpecti, vel leuiter, vel vehementer, & conſequenter excommunicati. Vide Directorium Inquiſitorum Eimerici *3. p. titul. De forma*

ma examinationis teſtium, & eius commentatorem Franciſcum Pegnam, commentario 17.

Secundò ſequitur; Neque incidere in hunc caſum illos, qui ſpe lucri, aut ſimili paſſione victi, ſacras imagines confringunt, ſacro-ſanctum Euchariſtiæ ſacramentum in terram deijciunt, aut conculcant, oleum ſacrum in terram profundunt. Sacramento matrimonij per verba de præſenti coram Parocho, & teſtibus legitime contracto, viuente priore vxore, rurſus cõtrahunt, aut egreſſi de monaſterijs palàm vxores ducunt, per vſuras illos, quibus mutuârunt, inhumaniter tractant, quia (*ſicut antè diximus*) crimen quantumcumque graue, & enorme, non eſt hæreſis, niſi coniunctum habeat errorem intellectus.

Vnde conſequenter fit, nec illos incurrere hunc caſum, qui nefariè dæmones adorant, aut imagines aſtronomicas baqtizant, volentes hoc pacto dæmonibus placere, & allicere eos ad ea, quæ petunt, faciliùs conſequenda; Incurrerent verò, ſi crederent diuinitatem dæmoni ineſſe, aut illum poſſe liberum arbitrium hominis putà mulieris neceſſitare, vel poſſe præſtare, quæ cupit etiam à Deo non permiſſus, vel ſcire determinatè alteram partem futuri contingentis, putà euentum belli, concilia, & cogitationes Principum, & ſimilia.

Quare non peccauit Paſtor ille, qui nullâ fultus Papali, aut Epiſcopali poteſtate, nuper abſoluit quoſdam ſuos ſubditos, qui capti ab hæreticis timore ſupplicij adacti fuerant geſtare

arma contra catholicos, propter eandem rationem, quia illi verè hæretici non erant, atque ita neque in excommunicationem, neque in caſus reſeruationem inciderant.

Tertiò, neque illos, qui præ ſimplicitate aut ignorantiâ probabili habent in mente errores contra fidem, putà, quia credunt Patrem in Trinitate diuinarum perſonarum eſſe ſeniorem Filio, aut Patrem, & Spiritum Sanctum, & Angelos corpora habere, aut aſſentiuntur aliquibus hæreſibus Lutheri, aut Caluini, neſcientes illas eſſe contra ſcripturas, aut fidem Eccleſiæ Catholicæ. Ratio eſt, quia non ſunt hæretici per prædicta; etſi enim error ſit in intellectu, non eſt tamen pertinacia in voluntate, quæ etiam ad conſtituendam hæreſim requiritur: ſi enim, vt præſupponimus, ſcirent eſſe contra ſcripturam, aut Eccleſiam, illis non aſſentirentur.

Quartò, neque ruſticos illos, qui, Paſtoribus docentibus dogmata per eos credita, eſſe contra apoſtolicas traditiones, aut contra Concilium aliquod prouinciale à Papâ confirmatum, aut contra communem opinionem Doctorum, illis tamen non volunt credere, ſed voluntariè in erroribus perſeuerant. Ratio eſt, quia Ruſtici non ſtatim tenentur credere, quod, quæ habent apoſtolicæ traditiones, aut Concilia prouincialia, ſint de fide: Incurrerent verò hunc caſum, ſi Paſtores legitimè oſtenderent eſſe contra ſcripturam, aut fidem Eccleſiæ catholicæ, & nollent audire; Quia omnes tenentur explicitè credere hæc duo poſtrema eſſe de fide,

quando legitimè illis proponuntur, non autem priora, Iuxta prædicta in defitinione hæreſis.

Quintò ſequitur quoque neque incurrere hunc caſum, qui animo hæreſibus Lutheri, & Caluini hactenus àdhæſerunt; ſi hæreſim nullo ſigno exteriori manifeſtârunt, quia reſeruatio intelligitur de actibus exterioribus; Sicut enim Eccleſia non cognoſcit, neque iudicat de occultis cordium, ſed illa iudicio Dei relinquit, qui eſt cordium, & renum ſcrutator; ita etiam occulta cordium non punit.

Sextò. Neque illos, qui Hæreticorum conciones audiuerunt, etiamſi ſæpius audiuerint, modò fidem mente retinuerint, quia non fuerunt hæretici, per prædicta; quamuis fatendum ſit grauiter peccâſſe, propter periculum, cui ſe expoſuerunt: & qui exponit ſe periculo peccandi mortaliter, peccat mortaliter ſecundum omnes.

Imò neque videntur incurriſſe illi, qui domum hæreticis ad prædicandum locarunt, quo ſe ſuſtentare poſſent, libentiùs catholicis locaturi, ſi locare voluiſſent per eandem rationem.

Neque obſtat, quod receptatores hæreticorum excommunicentur per Bullam cœnæ Domini, ſicut & ipſi Hæretici, quia termini in pœnalibus ſunt ſtrictè, & formaliter interpretandi; Igitur in hoc caſu non ſunt iudicandi receptatores hæreticorum, qui non receptant hæreticos, vt hæreticos, ſed vt homines, à quibus viuendi ſubſidium accipiant.

Septimò, E contrario ſequitur incidere in

hunc caſum omnes illos, qui hæreſim, quam latentem in corde habent, quocumque ſigno, vel etiam ſolo nutu alijs, imò etiam ſibi ſolis, exteriùs manifeſtant ſecundum omnes.

Octauò, & illos, qui hæreticis credunt, hoc eſt, qui quamuis explicitè non adhæreant alicui hæreſi, adhærent tamen implicitè, credendo nimirùm pertinaciter eſſe verum, quod hæretici credunt, neſcientes tamen in ſpecie quid illi credant. Ratio eſt, quia tales verè ſunt hæretici, *ſecundum Paludanum in 4. diſt. 23. q 3. concluſ. 2.*

Nonò, & dubios in fide; dubius enim in fide infidelis eſt, *c. 1. de hæret.* Ergo cùm non ſit Iudæus, vel Paganus, ſequitur vt ſit hæreticus, cùm ſint tantùm tres ſpecies infidelitatis, *ſecundum omnes.*

Neque valet obiectio ſi dicas dubitantem in fide nullum habere poſitiuum errorem intellectus contra fidem, quod requiritur ad hæreſim; quia negari poteſt, quod aſſumitur: nam qui dubitat, ſaltem implicitè putat ea, quæ Eccleſia proponit, non eſſe credenda; vel dici poteſt, quod dubitans in fide non habent aſſenſum firmum, quem fides ex ſuâ formali ratione requirit; nam fides elicit firmum aſſenſum circa res à Deo reuelatas. Vide ſuper hac quęſtione Melchiorem Canum *de locis Theologicis lib. 12. c. 9.*

Non incidit tamen in hunc caſum, qui dubitat ex ignorantiâ, eo quod ignoret rem eſſe definitam ab Eccleſiâ: vel ex infirmitate, eo quod ortam dubitationem ab imaginatione, vel phantaſiâ non poteſt repellere, licet verum ſit, quod

quod talis poſſit peccare mortaliter, vel venialiter per negligentiam, non remouendo ignorantiam, vel dubitationem,

Quare, ad hoc vt dubius in fide ſit hæreticus, & hunc caſum incurrat, duo requiruntur. Primum, pertinacia, hoc eſt, vt ſciat rem, de quâ dubitat, eſſe de fide, & Eccleſiam ita tenere. Secundum, vt dubium ſit voluntarium, hoc eſt, à voluntate, non à phantaſiâ, aut imaginatione profectum.

QVAESTIO TERTIA.

Quæ ſunt obſeruanda circa confeſsionem, & abſolutionem hæretici pœnitentis?

CIRCA confeſſionem ſingulariter notandum Confeſſarium debere probè cognoſcere peccata Hæreticis propria: De quibus tractant *Franciſcus Pegnas circa tertiam partem Directorij Inquiſitorum Eimerici commentario 7. Viguerius inſtitutionum Theologicarum c. 10. §. 5. verſic. 10. Et diligentiſsimè Franciſcus Coſterus in præfatione Enchiridij præcipuarum controuerſiarum de religione noſtri temporis*, Et ferè ſunt ſequentia; Primum, quod Chriſto, & Deiparæ Virgini Matri, reliquiſque Sanctis in cœlo regnantibus ſunt iniurij. Secundum, quòd in Pontificem maximum, Chriſti in terris Vicarium, ſunt calumnioſi. Tertium, quòd Epiſcopos, Presbyteros, & quoſcũque alios ex clero, primò verbis iniurioſis, deinde verberibus, vinculis, exilijs, & demùm ex-

tremis ſupplicijs, cùm poſſunt, afficiunt. Quartum, quòd vitia pro virtutibus docent, puta, virginitatem damnant, fornicationem, adulterium, inceſtum concedunt: obedientiam maioribus debitam è medio tollunt, ſeditiones, cædes quamuis iniuſtiſſimas laudant, rapinasque bonorum tanquam licitas permittunt. Quintum, quòd Sacramenta, ſacrificia, ſacraque omnia Eccleſiæ rident, imagines Sanctorum confringunt, templa demoliuntur, vaſaque Deo ſacrata, & alia pretioſa ſacrilegè rapiũt. Sextum, quòd reliquias Sanctorum ſuffurantur, & in cineres redigunt, imò ſubinde illis ad artes magicas abutuntur. Septimum, quòd fidem, & religionem etiam iuramentis frequenter promiſſam mutant, & remutant. Poſtremum, quòd vniuerſum orbem Chriſtianum grauiſſimorum ſcelerum damnant, infidelitatis ſcilicet, blaſphemiæ, idololatriæ. Hæc, & ſi quæ ſunt alia, præ oculis habere debet Confeſſarius; ſine horum enim cognitione, hæreticum pœnitentem hæc, & ſimilia, quæ patrauit (vt frequentiùs fieri ſolet) tacentem, non poterit adiuuare ad integram confeſſionem faciendam. Deinde nō poterit legitimè talem pœnitentem abſoluere, neque rationabilia mandata præſcribere, vt ex ſequentibus fiet manifeſtum.

Circa abſolutionem duo obſeruanda ſunt, Primum, Quis poſſit ab hæreſi abſoluere. Secũdum, quis ſit modus abſoluendi.

Quod ad primum attinet, Dicendum primò, ab hæreſi mentali, quæ non eſt manifeſta verbo,

bo, aut ſigno aliquo exteriori, quemlibet Confeſſarium poſſe abſoluere. Secundò, quod ſimiliter ab hæreſi externâ tantùm quilibet Confeſſarius abſoluit. *Nauarrus c. 11. nu. 24. & Syluest. verb. apoſtaſia §. 4. Quicquid dicat Caietanus ſuprà allegatus.* Quod diligenter notandum eſt, quia hodie maximum, & frequentiſſimum vſum habet. Tertiò, quod ab hæreſi completâ, quæ eſt aſſenſus pertinax cum ſigno exteriori ſufficienter expreſſiuo, potuit olim etiam quilibet Confeſſarius abſoluere, quia nemini reſeruabatur per ſupradicta. Quartò, quod ab hæreſi completâ poteſt hodie abſoluere Epiſcopus vigore Conc. Trid. *ſeſſ. 24. c. 6. liceat Epiſcopis.* Neque eſt verũ, quod quidam dicunt, inter quos videtur eſſe noſter Nauar. *c. 27. nu. 260. & 275.* facultatem abſoluendi ab hæreſi Epiſcopis conceſſam per Conc. Trid. ſuprà, eſſe reuocatam per Bullam Cœnæ Domini, & ſpecialiter emanatam ſub Gregorio 13. quâ dicitur, quod nullus à ſententijs in illâ contentis per alium, quàm per Romanum Pontificem abſolui poſſit, etiam prætextu quorumcumque priuilegiorum per Summum Pontificem, aut cuiuſuis Concilij decreta conceſſorum; Primò, quia quando Papa derogat in lege alicuius Concilij, oportet vt ſpecificè explicet ſe derogare decreto talis Concilij, præſertim ſi recens illud fuerit, quale eſt Conc. Trid. Deinde, quia ſi Gregorius 13. abſolutè reuocâſſet talem facultatẽ, motum proprium ſuper hac re edidiſſet, & omnibus Prælatis ſuam intentionem declaraſſet, vt in hac re

tremis ſupplicijs, cùm poſſunt, afficiunt. Quartum, quòd vitia pro virtutibus docent, putà, virginitatem damnant, fornicationem, adulterium, inceſtum concedunt: obedientiam maioribus debitam è medio tollunt, ſeditiones, cædes quamuis iniuſtiſſimas laudant, rapinasque bonorum tanquam licitas permittunt. Quintum, quòd Sacramenta, ſacrificia, ſacraque omnia Eccleſiæ rident, imagines Sanctorum confringunt, templa demoliuntur, vaſaque Deo ſacrata, & alia pretioſa ſacrilegè rapiũt. Sextum, quòd reliquias Sanctorum ſuffurantur, & in cineres redigunt, imò ſubinde illis ad artes magicas abutuntur. Septimum, quòd fidem, & religionem etiam iuramentis frequenter promiſſam mutant, & remutant. Poſtremum, quòd vniuerſum orbem Chriſtianum grauiſſimorum ſcelerum damnant, infidelitatis ſcilicet, blaſphemiæ, idololatriæ. Hæc, & ſi quæ ſunt alia, præ oculis habere debet Confeſſarius; ſine horum enim cognitione, hæreticum pœnitentem hæc, & ſimilia, quæ patrauit (vt frequentiùs fieri ſolet,) tacentem, non poterit adiuuare ad integram confeſſionem faciendam. Deinde nõ poterit legitimè talem pœnitentem abſoluere, neque rationabilia mandata præſcribere, vt ex ſequentibus fiet manifeſtum.

Circa abſolutionem duo obſeruanda ſunt. Primum, Quis poſſit ab hæreſi abſoluere. Secũdum, quis ſit modus abſoluendi.

Quod ad primum attinet, Dicendum primò, ab hæreſi mentali, quæ non eſt manifeſta verbo,

bo, aut ſigno aliquo exteriori, quemlibet Confeſſarium poſſe abſoluere. Secundò, quod ſimiliter ab hæreſi externâ tantùm quilibet Confeſſarius abſoluit. *Nauarrus c. 11. nu. 24. & Syluest. verb. apoſtaſia §. 4. Quicquid dicat Caietanus ſuprà allegatus.* Quod diligenter notandum eſt, quia hodie maximum, & frequentiſſimum vſum habet. Tertiò, quod ab hæreſi completâ, quæ eſt aſſenſus pertinax cùm ſigno exteriori ſufficienter expreſſiuo, potuit olim etiam quilibet Confeſſarius abſoluere, quia nemini reſeruabatur per ſupradicta. Quartò, quod ab hæreſi completâ poteſt hodie abſoluere Epiſcopus vigore Conc. Trid. *ſeſſ. 24. c. 6. liceat Epiſcopis.* Neque eſt verū, quod quidam dicunt, inter quos videtur eſſe noſter Nauar. *c. 27. nu. 260. & 275.* facultatem abſoluendi ab hæreſi Epiſcopis conceſſam per Conc. Trid. ſuprà, eſſe reuocatam per Bullam Cœnæ Domini, & ſpecialiter emanatam ſub Gregorio 13. quâ dicitur, quod nullus à ſententijs in illâ contentis per alium, quàm per Romanum Pontificem abſolui poſſit, etiam prætextu quorumcumque priuilegiorum per Summum Pontificem, aut cuiuſuis Concilij decreta conceſſorum; Primò, quia quando Papa derogat in lege alicuius Concilij, oportet vt ſpecificè explicet ſe derogare decreto talis Concilij, præſertim ſi recens illud fuerit, quale eſt Conc. Trid. Deinde, quia ſi Gregorius 13. abſolutè reuocâſſet talem facultatē, motum proprium ſuper hac re edidiſſet, & omnibus Prælatis ſuam intentionem declaraſſet, vt in hac re

tam graui debet fieri, quod ipſe non fecit. Præterea Nauarrus ſupra non dicit ſe vidiſſe aliquã Bullam reuocationis, ſed, vt audio, inquit, S. D. N. non permittit, vt Epiſcopi abſoluant. Poſtremò, quia multi Doctiſſimi, & grauiſſimi Epiſcopi, non ſolùm in Germaniâ, & Galliâ, verumetiam in ipsâmet Italiâ vtuntur facultate illis per Conc. Trid. attributâ, vt teſtis eſt *de Graſſis, lib. 2. deciſionum aurearum c. 13.*

Quintò, quod ab hæreſi qualicumque poteſt abſoluere inquiſitor, etiam abſque conſenſu ſociorum, *Simancas c. 3. de inſtitut. Catholicis, & Conar. reg. peccatum p. 1. nu. 7.*

Poſtremò, licet verum ſit Pontificem Summum, quando in Iubileis plenarijs concedit facultatem abſoluendi à caſibus etiam in Bulla Cœnæ Domini reſeruatis, non cenſeri ordinariè concedere facultatem abſoluendi ab hæreſi, vt in priore parte ex Nauar. docuimus. Sanctiſſimus tamen D. N. Clemens VIII. in Iubileo, quod initio ſui Pontificatus anno 1592. 15. Calendas Martij promulgauit, tacitè conceſſit facultatem abſoluendi ab hæreſi illorum, qui nõ ſunt denunciati, aut declarati tales; Vbi enim conceſſit facultatem abſoluẽdi ab omnibus caſibus etiam in Bullâ Cœnæ Domini reſeruatis, ſtatim excipit hæreticos, & ſchiſmaticos declaratos, & denunciatos, ſatis, vt apparet, innuens hæreticum non denunciatum, nec declaratum potuiſſe per quemcumque Cõfeſſarium approbatum virtute præfati Iubilei abſolui.

Quod ad alterum attinet, Modum videlicet

abſoluendi, aut quæſtio eſt de abſolutione impendendâ in foro interiori, aut exteriori, aut de hæreſi mentali tantùm, aut mentali, & exteriori ſimul.

Hæreticus mentalis, qui nullo ſigno hęreſim ſuam manifeſtauit, non eget abſolutione in foro exteriori, vt patet. Modus abſoluendi huiuſmodi hæreticum in foro interiori, ſimpliciſſimus eſt, nimirum, vt contritione, & confeſſione præuijs abſoluatur per quemcumque Confeſſarium approbatum, iniungaturque pœnitẽtia, quæ videtur maximè apta ſanando morbo infidelitatis.

Non debet talis neceſſariò abiurare hæreſim verbo, vel ſcripto, neque iurare de parendo mãdatis Eccleſiæ, neque abſolui ab excommunicatione, neque diſpenſari cum illo in irregularitate. Ratio iſtorum omnium vna eſt, quia hæc omnia ſunt iuris poſitiui Eccleſiaſtici, cui hæreticus mentalis non ſubeſt, vt iam aliquoties obiter diximus. Debet neceſſariò deteſtari hæreſim, in quâ fuit, ſicut & omnia alia peccata mortalia, quamuis hoc fieri poſſit vnica contritione, modo per Nauarrum explicato, *c. 1. Enchi. & alios alibi.* quia aliàs non eſſet capax abſolutionis. Debet etiã animo paratus eſſe ad ſubeundam rationabilem pœnitentiã ſibi à Cõfeſſario iniungendam, *ſecundum probabiliorem opinionem.*

Modus abſoluendi hæreticum hæreſi completâ, hoc eſt, interiori, & exteriori ſimul, in foro interiori eſt, vt primò abiuret hæreſim, in quâ fuit, & iuret quod fidem Catholicam tenebit

nebit poſtmodum. Ita olim ſtatutum fuit in Conc. Nicæno c. 8. vt habetur *c. ſi qui voluerint 1. q. 7.* & forma abſolutionis traditur ibidem *c. quoties.* Secundò, vt abſoluatur ab excommunicatione, quod tamen fieri poteſt etiam extra confeſſionem Sacramentalem, etiam per procuratorem. Tertiò, vt poſt abſolutionem ab excommunicatione, & peccatis diſpenſetur cum illo in irregularitate, & rehabilitetur ad beneficia, officia, dignitates ſiue Eccleſiaſticas, ſiue ſæculares, quia per abſolutionem ab excommunicatione, & peccatis hæc impedimenta non tolluntur. De his vide Alphon. à Caſtro, *de punitione hæreticorum.*

In foro exteriori, in quo non ſolùm Deo, ſed etiam hominibus ſatisfieri oportet, plures ſolemnitates requiruntur; Primò enim ad Epiſcopi, vel Inquiſitoris arbitrium debet hæreſim abiurare, vel ſimpliciter, vel ſaltem illam, de qua conuictus eſt, vel ſuſpectus, & promittere in ſcripto, ſi ſcit ſcribere, quod tenebit Catholicam fidem. *De conſecratione diſt. 2. c. ego Berengarius*, & hoc publicè in aula Epiſcopi in præſentia plurium; aut priuatim in domo Inquiſitoris coram Notario, & teſtibus, ſecundum quod crimen fuerit pluribus, vel paucioribus notum. *Syluest. verb. hæreſis 1. nu. 19.*

Secundò, debet iureiurando promittere ſe ſubiturum pœnitentiam, quam Eccleſia, hoc eſt, iudex nomine Eccleſiæ illi iniunxerit. Poteſt autem hoc iuramẽtum bifariam ei præſcribi. Primò vt dicat, Iuro me pariturum manda-

tis Eccleſiæ; vel ita, Iuro, quod ſtabo, & obediam mandatis tuis: Quod apertè colligitur ex textu *c. ex tenore de ſententia excommunicationis*, ibi; *Mandamus itaque quatenus recepto ab eo iuramento, quod tuo debeat mandato parere, ipſum vice noſtrâ à ſententiâ, qua tenetur, abſoluas.* Non debet pertimeſcere pœnitens, qui abſoluendus eſt, iurare parere mandatis iudicis, quia ille non poteſt iniungere iniqua mandata, nec pœnitens eſt obligàtus niſi ad mandata iuſta, rationabilia, poſſibilia, & honeſta; vt tradit *Hoſtienſis dicto c. ex tenore.*

Tertiò, iniungitur pœnitentia publica, maximè ſi hæreſis fuerit pluribus manifeſta, quæ iuxta arbitrium Epiſcopi, vel Inquiſitoris præſcribenda eſt, conſideratis prudenter omnibus circumſtantijs perſonæ, loci, temporis, & pleriſque ſimilibus, quæ his perturbatis temporibus meritò veniunt conſideranda.

Quartò, his ita præmiſſis, abſoluitur à ſententia excommunicationis, quam incurrit, *per prædicta*; & hoc ſecundum formam Eccleſiæ, *de quâ priore parte egimus*; Valebit tamen abſolutio ſi ſolennitates, de quibus ibi, omittantur, *vt ibidem annotauimus.*

Quintò, & poſtremò, ſi poſt abiurationem, vel poſtquam ad arbitrium Epiſcopi ſe purgauerit, deprehenſus fuerit reincidiſſe, in hóc foro non amplius impenditur abſolutio, ſed iudicio ſæculari relinquitur. *c. ad abolēdam, de hæreticis*: Et pro criminis ratione, & regionis more, vel bonorum publicatione, vel exilio, vel carcere perpetuo, vel ad extremum, quando res ita

fert,

fert, mortis ſupplicio punitur. Vide practicam Theologiam Molani *tract.2.c.3 à nu.20. vſque ad 23.* Quæ intelligenda ſunt, Si per euidentiam facti, aut propriam confeſſionem iuridicam, aut per legitimos teſtes deprehendatur reincidiſſe; quia ſi occultè relapſus fuerit, & ſponte ad Eccleſiã pro abſolutione redierit, ſæpiùs abſolui poteſt. *Syluester verb. hæreſis 1. nu. 19.*

Tria hîc annotanda ſunt; Primùm, Quòd Confeſſor habens poteſtatem abſoluendi hæreticum in foro interiori tantùm, bene faceret, ſi illi ſuaderet, vt Inquiſitorem vltroneè, & ſpontaneè accederet, pro conſequendâ abſolutione in foro exteriori. *Ita directorium Inquiſitorum 2. p. & eius Commentator Pegnas commentario 25.* Ratio eſt, quia mitiùs agitur cum illo, qui ſponte confitetur peccatum ſuum in foro exteriori, quàm cum eo, qui ordine iuris conuincitur, *iuxta doctrinam Abbatis, & ceterorum in c. at ſi clerici, de iudiciis.*

Secundum, quòd & in reliquis omnibus caſibus conſiderandum venit; Quod abſolutus in foro interiori conſcientiæ, ſolùm intelligitur abſolutus quoad illud. Ita ſingulariter declarauit S. D. N. Gregorius 13. in Bullâ quâdam Iubilei anno 1572. Nam cùm primùm in illâ conceſſiſſet facultatem Confeſſoribus approbatis, vt virtute præfati Iubilei pœnitẽtes poſſent abſoluere à quibuſcumque peccatis etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, exceptis tamen quibuſuis hæreticis, & libros dãnatos ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ ſcienter quoquo modo legentibus,

bus, aut in domibus ſuis tenentibus, vel imprimentibus, vel importantibus, ſeu diſſeminantibns, vel officium S. Inquiſitionis ſub quorumque prętextu, vel colore impedientibus; His inquam conceſſis primum, & exceptis, ſubdit deinde ſingularem, & notatu dignam clauſulam in hęc verba: *Declaramus tamen tam per præſentes, quàm per alias quaſcumque ſuper conceſſione ſimilium, vel diſsimilium indulgentiarum à nobis, & prædeceſſoribus noſtris hactenus emanatas, & in futurũ quomodolibet emanandas literas, Chriſti fidelibus niſi in foro conſcientiæ, & pœnitentiali tantùm, non autem in foro fori, & cõtentioſo, niſi ſatisfecerint his, propter quæ cenſuræ huiuſmodi in eos latæ fuerunt, vllatenus ſuffragari, eoſdemq́; Chriſti fideles, illis iuxta huius noſtræ declarationis formam, & tenorẽ, & non aliter, nec alio modo, vti, aut eis ſe iuuare poſſe, aut potuiſſe. Quinimo eos in eaſdem cenſuras reincidiſſe, & in poſterũ reincidere, ſicq́; ab omnibus quâuis auctoritate fulgẽtibus cẽſeri, & iudicari debere, irritumq́;, & inane quicquid ſecus à quoquam quouis prætextu, aut colore ſcienter, vel ignoranter attentatum forſitan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari: Non obſtantibus quibuſcumque, &c*

Tertium, quòd pœnitentia impoſita per Confeſſorem in foro pœnitentiali, quantumcumque ſit magna, non tollit, aut minuit aliquo modo pœnam imponendam in foro iudiciali, & cõtentioſo, canonico, vel ciuili, *per Gloſſam ſingularem c gaudemus, de diuortijs verb. poterit*: vbi communiter hoc notant, & docent Doctores. Et potiſſima ratio eorum videtur eſſe, quia pœna in foro interiori impoſita tendit ad aliam finem, videlicet vt per eam pœnitens

ſatisfaciat Deo, & animæ ſuæ; Alia verò pœna ſpectat ad punitionem corporis, & pro vindicta publica, vt ita etiam Reipublicæ ſatisfaciat, qui malo exemplo delinquendo eam offendit.

Difficultas vnica: An ſigillum confeßionis obliget Confeſſarium in caſu hæreſeos.

Hæretici dicunt Catholicos docere ſigillum confeſſionis poſſe reuelari in caſu hæreſeos, iuxta illum vulgatum, & antiquum verſiculum, *Hæreſis eſt crimen, quod nec confeßio celat*; Verùm apertam eſſe calumniam teſtantur ad vnum omnes Theologi *ſup. 4. ſent. diſt. 21.* Quo loco docēt, nullo caſu, abſque pœnitentis expreſſa licentia, poſſe confeſſionem reuelari, neque ad ſeruandam vitam cuiuſcumque hominis etiam Regis, vel Papæ, neque ad conſeruandam rempublicam. Ratio eſt, quia nullum malum adeò graue occurrere poteſt, quo non ſit grauius, & peius Eccleſiæ Chriſtianæ, confeſſionem Chriſtianis exoſam fieri; At ſi concederemus confeſſionē contra confitentis voluntatem, vel in vno ſolo caſu reuelari poſſe, ſuſpicio eſſet quod illa etiā in alijs detegi poſſet.

Ad antiquum illum verſum dicendum, cuiuſcumque ille ſit, nunquam fuiſſe à Theologis probatum, ſed potiùs tanquam peſtilentem ab illis, & nominatim Doctoribus Pariſienſibus, damnatum, *vt teſtatur Nauar. c. Sacerdos, de pœnit. diſt. 6.*

Si dicas, quid igitur faciet Confeſſarius ſi per confeſſionem intelligat multa ab hæreticis moliri in perniciem fidei, & Eccleſiæ? Dico non poſſe

poſſe his malis remedium adhiberi reuelatione confeſſionis; Verùm hoc caſu Confeſſarium monere debere Epiſcopum, Inquiſitorem, vel alium, cui ea res curæ fuerit, vt inuigilet ſuper gregem ſuum. Nunquam aliter conſuluerunt Catholici Doctores; vt videre poteſt apud Sotum *in 4. diſt. 18. q. 4. art. 5.* & fuſiſſimè, & doctiſſimè apud Nauar. *in dictum c. Sacerdos, de pœnit. diſt. 6.*

Si rurſus petas, quid ſi hæreticus doctus, hæreſim ſuam Confeſſario indocto perſuadere velit, tenebitúrne etiam illo caſu Confeſſarius ſigillo confeſſionis? Dico non teneri. Ratio eſt, quia non eſt cenſendus talis confiteri Sacramentaliter, ſed potius diabolicâ aſtutiâ vti ad Confeſſarium peruertendum.

Aliter tamen iudicandum eſſet, ſi ad confeſſionem accederet animo ſubijciendi ſe clauibus Eccleſiæ, & accuſandi ſe coram Deo de peccatis, & interim deprehenderetur animo adhærere hæreſi, à qua dum vellet eum auocare Confeſſarius, ipſe contrà defenderet ſuam hæreſim, conareturque errorem ſuum Confeſſario perſuadere: Aliter inquam in hoc caſu iudicandum eſſet, quia talis confeſſio eſſet Sacramẽtalis, quamuis imperfecta, & inualida propter defectum contritionis; ſicut baptiſmus fictè ſuſceptus eſt Sacramentum ſecundum omnes: & conſequenter ſub ſigillo Sacramenti confeſſionis, quæ in ea dicta ſunt, celanda eſſent. Vide Sotum *ſupra diſt. 18. q. 5. art. 5.*

CAPVT SECVNDVM.

De Apoſtaſia, ſecundo caſu reſeruato.

QVAESTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex Apoſtaſia?

APoſtaſia, vox eſt Græca, Latinè defectionem ſignificat: A Theologis, & Canoniſtis vſurpatur ad ſignificandam non quamcumque defectionem, ſed illam ſolùm, quâ quis deficit à Deo; de quâ Apoſtaſiâ hic caſus intelligendus eſt.

Quia verò homo ſpeciali quâdam ratione Deo coniungi poteſt per fidem, profeſſionem religionis approbatæ, & ordinem ſacrum; Apoſtaſia dicitur eſſe triplex, à fide, à religione, & ab ordine. Colliguntur iſta ex D. Thoma *2. 2. q. 12. art. 1.*

Apoſtaſia à fide dicitur, per quam quis à fide, quam ante in baptiſmo profeſſus eſt, ex toto deficit.

Dicitur *ex toto*; Dupliciter enim poteſt quis à fide deficere; Primò, partem eius aliquam negando, qualis defectio dicitur hæreſis. Secundò, negando Chriſtum, qui eſt auctor fidei, & omnium credendorum: Hæc defectio apoſtaſia à fide appellatur. *D. Thomas ſuprà.*

Dicitur ſecundò, *quam quis in baptiſmo profeſſus eſt*; quia Iudæus, aut Paganus negans Chriſtum

non

non dicitur Apoſtata; ſed is ſolùm, qui, cùm profeſſus ſit Chriſtum, eum negat, vt fecit Iulianus Imperator, qui idcircò Iulianus apoſtata vulgo nominatur.

Ex his manifeſtè apparet peccatum apoſtaſiæ longè grauius eſſe hæreſi, ſicuti grauius eſt hominem occidere, quàm aliquâ ſui parte mutilare, aut vulnerare.

Diſputatur hodie à pleriſque, & adhuc ſub iudice lis eſt, An apoſtaſia ſit diuerſa ſpecies ab hæreſi; Quidam dicunt diuerſam eſſe, *vt Melchior Canus, de locis Theologicis lib. 12. c. 9. Simancas in institutionibus catholicis. titul. 7. nu. 5. Et ante illos Cardinalis de Turre crematâ lib. 4. de Eccleſiâ p. c. 13.* Probabilior eſt aliorum ſententia, non eſſe, quæ videtur eſſe. *D. Thomæ 2. 2. q. 12. art. 1. ad 3. argumentum.* Ratio eſt, quia ſiue quis erret circa fidem vniuerſam nihil pœnitus de eâ credendo, ſicut facit Apoſtata, ſiue circa aliquos tantùm articulos nomen Chriſtiani retinendo, vt facit hæreticus, nihil apparet, quod ſpeciem infidelitatis mutare poſſit, cùm magis, & minùs non mutent ſpeciem. Non deeſt alijs, quod ad hoc argumentum reſpondeant; Verum quæſtio hęc non eſt præſentis ſpeculationis; ſufficit enim Confeſſarium ſcire apoſtatam, & hæreticum eaſdem pœnas, & cenſuras à iure incurrere, & ſimili modo cum vtroque in foro conſcientiæ procedi debere; vt ex ſequentibus fiet manifeſtum.

Apoſtaſia à fide eſt triplex; Interna tantùm, vt dum quis mente Chriſtum, & eius fidem negat,

gat, quamuis exteriùs nihil tale demonſtret: Externa tantùm, vt dum quis facit, quod faciunt deficientes penitus à fide, putà migrat ad Sarracenos, defert eorum habitum, adorat ſepulchrum Mahometi, incenſum, & alia offert Idolis, & tamen fidem chriſtianam integram mente retinet, ſicut legitur feciſſe Marcellinus Papa qui timore mortis thurificauit Idolis; Talis mortaliter peccat contra confeſſionem fidei, non eſt tamen verè Apoſtata, neque excõmunicatus, ſicut in præcedente caſu diximus contra Caietanum: licet verum ſit, quod in fore exteriori appelletur, & præſumatur apoſtata, & pro tali puniatur. Interna, & externa ſimul, quæ eſt completa apoſtaſia, vt dum quis mente Chriſtum negat, & propterea fidem eius exteriùs deteſtatur: Hic mortaliter peccat, & eſt excommunicatus. *c. ad abolendam de hæreticis, vt refert D. Thomas 2. 2. q. 2. art. 2.* necnon omnibus alijs pœnis hæreticorum ſubiacet.

Apoſtaſia à religione dicitur, per quam profeſſus quocumque modo aliquam religionem approbatam, ſine licentiâ relinquit religionem intentione non ampliùs redeundi ad illam, vel aliam, ſed viuendi laïcaliter, aut etiam clericaliter in ſæculo. *Colligitur ex D. Thoma ſuprà, & Syluestro verb. Apoſtaſia, nu. 9. & alijs ſummiſtis eodem verbo.* Dicitur *profeſſus*, quia apoſtaſia non habet locum in nouitio, poteſt enim egredi è monaſterio etiam ſine peccato. *Syluester verb. regio 5. §. 8.* Dicitur, *quocumque modo*, propter religioſos Societatis Ieſu, quorum plerique non faciunt ſolennem

ſolemnem profeſſionem, ſed finito nouitiatu, tantùm emittunt tria vota religionis ſimplicia; Et tamen Gregorius 13. per extrauagantem, quæ incipit, Aſcendente, declarauit apoſtatas, & excommunicatos latâ ſententiâ, ſi à Societate deficiant, ac irritum eſſe matrimonium, & excommunicatos latâ ſententiâ, ſi vxores ducant, priuſquam ab excommunicatione abſoluantur, & è Societate dimittantur.

Dicitur, *cum intentione non redeundi*; quia religioſus profeſſus, ſi egrediatur monaſterio etiam ſine licentiâ, animo ingrediendi aliud monaſterium, licet peccet, & ſit excommunicatus ex aliquo ordine mēdicantium exiſtens, ſi ingrediatur laxiùs, *iuxta ſtatutum Martini 5. quod citat Caietanus 2. 2. q. 12. art. 1.* Non tamen cenſeri debet Apoſtata.

Ex quo ſequitur, quod fugitiuus monachus, & apoſtata habent ſe ſicut magis, & minùs commune apud Dialectos: omnis enim Apoſtata completus, eſt fugitiuus, ſed non omnis fugitiuus eſt apoſtata.

Apoſtaſia à religione eſt etiam triplex; Interna ſatum, vt cùm religioſus in monaſterio corpore viuit, ſed alienato animo à religione, hoc eſt, animo non manendi in religione, ſed eam deſerendi: Hic, licet verè ſit Apoſtata, pœnas tamen iuris non incurrit, propter cauſſas, quas in præcedenti capite in ſimili adduximus. Externa tantùm, vt cum religioſus ex libidine per mundum vagatur, animo tamen viuendi religioſè, & redeundi: Hic verè non eſt

 apoſtata,

apoſtata; quamuis vt talis in foro fori præſumatur, & puniatur. Interna, & externa ſimul, vt dum religioſus animo, & corpore monaſteriū deſerit, ad illud, aut aliud non rediturus. Hic, eſt completus apoſtata, eſtque in ſtatu damnationis, donec ad monaſterium redeat, & ,ſi habitum abijcit, eſt excommunicatus. *c. 2. ne Clerici, vel Monachi, in 6.* & poteſt detrudi in carcerē, & alijs pœnis affligi, donec reſipiſcat, *iuxta c. à nobis de apoſtatis.* Si habitum non abijcit, non eſt quidem excommunicatus, non poteſt tamen admitti ad vllum officium Eccleſiaſticum, & olim imponebatur talis pœnitentia publica. *c. legi 15. q. 1.* Si talis quoque extra religionem ſacrum ordinem ſuſcipit, non poteſt in ordine ſuſcepto miniſtrare ſine diſpenſatione Papæ. *c. finali de apoſtatis.* Vltra has pœnas, quæ in iure communi habentur, incurrunt etiam alias, quę pro diuerſitate religionum aliæ atque aliæ per eorum ſtatuta infliguntur.

Apoſtaſia ab ordine dicitur, per quam clericus in ſacris conſtitutus deſerit habitum clericalem, vt laïcaliter viuat, aut conſtitutus in minoribus cum beneficio non defert inſignia clericatus animo viuendi laïcaliter. *Colligitur ex Syluestro verb. apoſtaſia, & alijs Summiſtis.*

Dicitur, *in ſacris conſtitutus*; quia conſtitutus in minoribus, ſi beneficiū nō habet, poteſt habitū clericalem dimittere, & laïcaliter viuere abſque notâ apoſtaſiæ: Imo abſque peccato, ſi ſubſit aliqua cauſſa rationabilis, *iuxta Caietanum in ſummulâ verb. apoſtaſia.*

Dicitur, *vt ſæculariter viuat*; quia clericus

etiam in ſacris conſtitutus, ſi habitum dimittat ſine cauſsâ, etſi peccet mortaliter modò, quo exponit Syluester *verb. clericus 2. nu. 3.* imò ſit priuatus beneficio ipſo facto abſque aliâ ſententiâ declaratoriâ *iuxta nouam conſtitutionem Sixti 5. quæ incipit, cùm ſacro-ſanctam*, quæ vtinam apud nos vſu recepta eſſet, non debebit tamen cenſeri apoſtata, quamdiu habet animum habitum clericalem reſumendi; Imò ſi ad tempus ex cauſsâ habitum clericalem dimittat, non peccabit, vt patet.

Dicitur, *in minoribus conſtitutus cum beneficio*, quia ſi cum habitu etiam beneficium dimittat, & laïcaliter viuat, non cenſebitur Apoſtata; Imò nec peccabit, ſi id iuſta ex cauſſa faciat, *iuxta illa, quæ habet Caietanus in ſummulá verb. apoſtaſia, & latius D. Thom. in 2. 2. q. 12. art. 1.* Qui tamen ſibi per omnia in hac quæſtione non conſtat, vt patet loca iam allegata diligenter conſiderantibus.

Apoſtaſia ab ordine eſt etiam triplex; Interna, vt ſi clericus in ſacris conſtitutus, aut minoribus cum beneficio gerat quidem habitum, & tonſuram, ſed animo dimittendi, & laïcaliter viuendi cum beneficio. Hic quidem verè eſt apoſtata, & mortaliter peccat, non incurrit tamen pœnas à iure contra Apoſtatas latas, vt ex ſuperioribus manifeſtum eſt: Externa tantum, vt ſi clericus in ſacris, aut in minoribus cum beneficio habitum deſerat; & laïcaliter viuat, animo reſumendi habitum, & permanendi in ordine. Hic quidem peccat, non tamen eſt verè apoſtata, quamuis in foro exteriori, in quo ha-

apoſtata, quamuis vt talis in foro fori præſumatur, & puniatur. Interna, & externa ſimul, vt dum religioſus animo, & corpore monaſteriũ deſerit, ad illud, aut aliud non rediturus. Hic eſt completus apoſtata, eſtque in ſtatu damnationis, donec ad monaſterium redeat, & ſi habitum abijcit, eſt excommunicatus. *c. 2. ne Clerici, vel Monachi, in 6.* & poteſt detrudi in carcerẽ, & alijs pœnis affligi, donec reſipiſcat, *iuxta c. à nobis de apoſtatis.* Si habitum non abijcit, non eſt quidem excommunicatus, non poteſt tamen admitti ad vllum officium Eccleſiaſticum, & olim imponebatur talis pœnitentia publica. *c. legi 15. q. 1.* Si talis quoque extra religionem ſacrum ordinem ſuſcipit, non poteſt in ordine ſuſcepto miniſtrare ſine diſpenſatione Papæ. *c. finali de apoſtatis.* Vltra has pœnas, quæ in iure communi habentur, incurrunt etiam alias, quę pro diuerſitate religionum aliæ atque aliæ per eorum ſtatuta infliguntur.

Apoſtaſia ab ordine dicitur, per quam clericus in ſacris conſtitutus deſerit habitum clericalem, vt laïcaliter viuat, aut conſtitutus in minoribus cum beneficio non defert inſignia clericatus animo viuendi laïcaliter. *Colligitur ex Syluestro verb. apoſtaſia, & alijs Summiſtis.*

Dicitur, *in ſacris conſtitutus*; quia conſtitutus in minoribus, ſi beneficiũ nõ habet, poteſt habitũ clericalem dimittere, & laïcaliter viuere abſque notâ apoſtaſiæ: Imo abſque peccato, ſi ſubſit aliqua cauſſa rationabilis, *iuxta Caietanum in ſummulâ verb. apoſtaſia.*

Dicitur, *vt ſæculariter viuat*; quia clericus

etiam in ſacris conſtitutus, ſi habitum dimittat ſine cauſsâ, etſi peccet mortaliter modo, quo exponit Syluester *verb. clericus 2. nu. 3.* imò ſit priuatus beneficio ipſo facto abſque aliâ ſententiâ declaratoriâ *iuxta nouam conſtitutionem Sixti 5. quæ incipit, cum ſacro-ſanctam*, quæ vtinam apud nos vſu recepta eſſet, non debebit tamen cenſeri apoſtata, quamdiu habet animum habitum clericalem reſumendi; Imò ſi ad tempus ex cauſsâ habitum clericalem dimittat, non peccabit, vt patet.

Dicitur, *in minoribus conſtitutus cum beneficio*, quia ſi cum habitu etiam beneficium dimittat, & laïcaliter viuat, non cenſebitur Apoſtata; Imò nec peccabit, ſi id iuſta ex cauſſa faciat, *iuxta illa, quæ habet Caietanus in ſummulá verb. apoſtaſia, & latius D. Thom. in 2. 2. q. 12. art. 1.* Qui tamen ſibi per omnia in hac quæſtione non conſtat, vt patet loca iam allegata diligenter conſiderantibus.

Apoſtaſia ab ordine eſt etiam triplex; Interna, vt ſi clericus in ſacris conſtitutus, aut minoribus cum beneficio gerat quidem habitum, & tonſuram, ſed animo dimittendi, & laïcaliter viuendi cum beneficio. Hic quidem verè eſt apoſtata, & mortaliter peccat, non incurrit tamen pœnas à iure contra Apoſtatas latas, vt ex ſuperioribus manifeſtum eſt: Externa tantum, vt ſi clericus in ſacris, aut in minoribus cum beneficio habitum deſerat, & laïcaliter viuat, animo reſumendi habitum, & permanendi in ordine. Hic quidem peccat, non tamen eſt verè apoſtata, quamuis in foro exteriori, in quo ha-

bent locum præſumptiones, vt talis præſumatur, & puniatur: Interna, & externa ſimul, vt ſi quis in ſacris, aut in minoribus cum beneficio animo, & actionibus exterioribus laicè viuat; Hic eſt completus Apoſtata, eſtque in ſtatu damnationis, & pœnas à iure ſtatutas incurrit. Nam ab accuſatione, & teſtimonio ferendo repellitur tanquam infamis. *2. q. 7. c. non alieni.* Et, ſi admonitus ſe emendârit, deponi debet. *21. q. 4. c. fine.* Et interim caret priuilegio clericali; ita quod verberans illum non incidit in canonem, *Si quis ſuadente Diabolo*, neque poteſt ad ſuperiorem ordinem, aut dignitatem promoueri. *16. q. 1. c. legi.*

Difficultas vnica. Quis cenſetur habitus clericalis?

Habitus clericis ordinariè ferendus eſt, vt veſtes ſint nigræ, & talares interiùs, & exteriùs. *c. non liceat 23. diſt.*

Deinde vt ſint eiuſmodi, in quibus neque exquiſitæ ſordes, nec exquiſitæ delitiæ notentur, quia in vtrâque poteſt eſſe ambitio, *vt explicat D. Tho. 2. 2. q. 169. art. 3.* Præterea vt tonſuram deferat clericalem. *c. clerici de vita, & honeſtate clericorum.*

Tonſura ſecundum eundem Thomam *in 4. diſt. 14.* ſignificat regiam dignitatem, quam adipiſcitur, qui diuinis miniſterijs applicatur; Deinde perfectionem virtutis, quàm Deo familiares habere debent; *Sed hæc ſunt alterius inſtituti.*

Qvaes-

QVAESTIO SECVNDA.

Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum.

EX his, quæ diximus, euidenter conſequitur; Primò, non incurrere hunc caſum Apoſtatam mentalem tãtùm cuiuſcumque ſpeciei, *quia iuxta regulam* priori parte per nos adductam ex Paludano apud Syluestrum *verb. caſus q. 5.* Reſeruatió non intelligitur niſi de actibus exterioribus; cùm actiones mentales iudicio Eccleſiæ non ſubiaceant, ſecundum omnes.

Secundò, neque exteriorem tantùm cuiuſcumque etiam ſpeciei. Ratio eſt, quia reſeruatio debet intelligi de verâ apoſtaſiâ, qualis non eſt illius, qui exteriori habitu ſolùm præſumitur talis, vt patet ex antedictis.

Tertiò, & poſtremò, ſequitur incurrere hunc caſum Apoſtatam completum cuiuſcumque generis, vt patet; Quamuis dicere poſſimus ſolum incurrere hunc caſum Apoſtatam completum à religione, & ordine; quia apoſtata à fide, *ſecundum dicta in primo caſu,* incurrit primum caſum, cùm ſecundum probabiliorem opinionem D. Thomæ, quam præcedente quæſtione ſecuti ſumus, apoſtaſia à fide non differat ſpecie ab hæreſi, quæ eſt primus caſus.

Qvaestio tertia.

Quæ obſeruanda circa confeßionem, & abſolutionem Apoſtatæ pœnitentis?

QVod ad confeſſionem attinet, debet Confeſſario notum eſſe ingenium Apoſtatarũ, & in quæ peccata ſoleant frequentiùs incidere.

Vtrumque graphicè depingit Sapiens *prouerb. c. 6. Homo* (inquit) *apoſtata vir inutilis graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia ſeminat.*

Apoſtata à fide eſt inutilis ſecundum expoſitionem D. Thomæ *2. 2. q. 12. art. 1. ad 2.* Quia, cùm fides ſit primum fundamẽtum rerum ſperandarum, & ſine fide impoſſibile ſit placere Deo; ſublatâ fide nihil remanet in homine, quod illi poſſit eſſe vtile ad vitam æternam conſequendam.

Apoſtata à religione, & ordine eſt etiam inutilis; quia actiones ſuo ſtatui congruas legitimè exercere non poteſt, & actiones illi contrarias exercere non permittitur.

Apoſtata graditur ore peruerſo; quia omni Apoſtatæ hoc proprium eſt malè loqui de ſtatu, quem deſerit, vt iuſtam deſertionis cauſſam habere videatur.

Annuit oculis; quia, ſi quãdo apertè calumniari ſtatum ſuum non audet, putà fidem catholicam, religionem approbatam, aut ordinẽ ſacrum ſuſceptum, alijs hoc agentibus, adnuit, & fa-

& fauet.

Terit pede; quia Apoſtatis hoc etiam proprium eſſe experientia rerum magiſtra plus ſatis hodie nos docet vagari per mundum, & nullo loco ſubſiſtere, quòd multorum ſcandalorum, & peccatorum, vt furtorum, ſacrilegiorum, adulteriorum, & aliorum infinitorum occaſionem illis miſeris præbere ſolet.

Digito loquitur; quia ſic calumnias ſuas cõponere ſolet, vt non rarò viris doctis, & prudẽtibus, ſuis etiam ſuperioribus, imò & ipſi Summo Pontifici, eiuſque officiatis imponat extorquens diſpenſationes, quæ, vt ferè ſemper, in foro conſcientiæ nihil valent.

Prauo corde machinatur malum; quia quãuis Apoſtatæ ore tenus negotium ſuæ ſalutis ſe agere prætexant, ferè tamen ideò ſtatum deſerunt, vt libidini, & alijs ſuis prauis affectibus liberiùs vacare poſſint; Hinc videmus illos, quotquot prouincias, aut regiones accedant, ferè tot vxores, aut potiùs ſcorta ducere, & innumera alia mala patrare.

Poſtremò, omni tempore iurgia ſeminat hoc ſcilicet fine; vt quamplurimus ſecum apoſtatare faciat, *vt dicit D. Thomas ſuprà.*

Circa abſolutionem duo obſeruanda ſunt; Quis poſſit abſoluere; Et quis modus ſeruãdus in abſoluendo.

De eo, qui poteſt abſoluere Apoſtatam à fide, dictum eſt caſu primo, cùm de eo, qui poteſt abſoluere hæreticum, ageretur.

Quis poſſit abſoluere Apoſtatam à religione?

Dicen-

Dicendum, quod Apoſtata talis apoſtaſiâ internâ tantùm, aut externâ tantùm poteſt abſolui per quemcumque Confeſſarium, per ea, quæ in ſimili de hæretico hæreſi internâ tantùm, vel externâ tantùm præcedente capite diximus: Quòd verum eſt, etiamſi religioſus apoſtata apoſtaſiâ externâ tantùm dimiſerit habitum.

Neque obſtat, quod talis ſit excommunicatus, *per c. Clerici, vel Monachi in 6.* Quia illa excommunicatio nemini reſeruatur.

De apoſtata apoſtaſiâ completâ diſtinguendum eſt; vel enim eſt exemptus, vel non exemptus: Si eſt exemptus, non poteſt ordinariè abſolui per Epiſcopum, aut eius Delegatum, quia exempti non ſubſunt iuriſdictioni Epiſcopi. *c. ſi Papa de priuilegio lib. 6.* Sed debet abſolui per Summum Pontificem, cui immediatè ſubijcitur, vel ex priuilegio per Superiorem, putà Generalem, Prouincialem, Abbatem, Priorem, pro ratione priuilegiorum cuiuſque ordinis: His tamen deficientibus, & maximè, ſi propter multitudinem, & difficultatem caſuum, quibus onuſti eſſe ſolēt Apoſtatæ, ſuperior exiſtimet ſe non ſufficere ad abſoluendum, Epiſcopus, aut ab eo facultatem habens poterit abſoluere in foro conſcientiæ per illa, quæ habet *Syluester verb. abſolutio 5. per totum, præcipuè nu. 3.* Si non eſt exemptus, non eſt difficultas, abſolui debet per Epiſcopum, aut eius vices gerentem, cùm ſibi caſum iſtum reſeruârit.

Modus abſoluendi non difficulter colligitur ex prædictis; Primò enim ſi habitum dimiſit, debet

debet abſolui ab excommunicatione ideò incurſâ. Secundò, ſi vxorem, aut vxores duxit, à tot excommunicationibus debet abſolui; aut ſaltem debet Confeſſarius intendere abſoluere ſimul ab omnibus excommunicationibus, quas potuit incurriſſe: quia religioſus vxorem ducens eſt excommunicatus per prædicta. Tertiò, ſi incendiarius fuit, aut ſacrilegus, aut fortè multos ſecum apoſtatare fecit, & multa alia damna forſan multis intulit, non debet abſolui niſi præmiſſa ſatisfactione, aut, ſi facultas deſit, datâ ſaltem cautione tali, quam præſtare poteſt, ad minus iuratoriâ de ſatisfaciendo, ſi, & quando ſatisfacere poterit.

Quis poſſit abſoluere Apoſtatam ab ordine, & quis modus abſoluendi, ex prædictis clarum eſt, nec eget maiori explicatione.

CAPVT TERTIVM.

De homicidio voluntario tertio caſu reſeruato.

QVAESTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex homicidium, & quæ hominis occiſio eſt licita, vel illicita?

TRES ſunt huius quæſtionis partes.

Ad primam dicendum, quod generaliter loquendo, Homicidium eſt quæuis hominis occiſio: Propriè, & vt hoc loco ſumitur,

tur, eſt hominis occiſio voluntaria, & illicita.

Homo conſtat animâ rationali, & corpore tanquam materiâ, & formâ. Corpus ſine animâ rationali non eſt homo, ſicut nec anima rationalis ſine corpore: Quicquid dicat Magiſter ſententiarum *libro 3. diſt. 21.*

Hinc ſequitur primò, quòd, qui perfodit, aut caput abſcindit homini mortuô, non eſt homicida; vt notauit Couar. *relectione de homicidio, p. 2. ſub initium*; Similiter nec qui aborſum procurat, ſi fœtus non eſt animatus animâ rationali.

Sequitur ſecundò, quod, qui alterius animã occidit, (eo modo occidi poteſt, dando illi occaſionem peccati mortalis, quod priuat animam gratiâ Dei, quæ eſt vita ſpiritualis animæ) non eſt propriè homicida, vt bene notauit *Nauarrus c. 15. nu. 1. poſt Concil. Colonienſ.*

Ad ſecundam quæſtionis partem, dicendum, Homicidium tripliciter diuidi poſſe, iuxta tria, quæ in ipſo reperiuntur; Primum eſt, qui occidit. Secundũ, qui occiditur. Tertiũ, ipſa occiſio.

Ratione primi, homicidium eſt duplex: Voluntarium, & caſuale.

Voluntarium à voluntate dicitur; Et eſt duplex, voluntarium in ſe, & in ſuâ cauſsâ: In ſe voluntarium dicitur, cùm voluntas occidentis fertur in ipſum homicidiũ: In ſua cauſſa, cùm voluntas quidem non fertur in ipſum homicidium, ſed in aliud quippiã, quod tamẽ eſt homicidij cauſſa propinqua; vt ſi quis intẽdit verberare mulierẽ prægnantem, & interim illã occidat. Colliguntur hæc ex *D. Thomâ 2. 2. q. 30. art. 1.*

Caſua-

Caſuale à caſu dicitur: Caſus ſecundum Philoſophos eſt cauſſa agens præter intentionem: Et quia caſus circa homicidium dupliciter ſe habere poteſt; Primò, vt caſus reſpiciat & actũ homicidij, & cauſſam illius: Secundò, vt reſpiciat homicidij actum tantùm, & non cauſſam. Homicidium caſuale dicitur etiam duplex: Merè caſuale reſpectu nimirum homicidij, & cauſſæ illius: partim caſuale, & partim voluntariũ: in ſe caſuale, & in ſua cauſſa voluntarium. Ita *D. Thom. 2. 2. q. 64. art. 8.*

Ratione ſecundi, Homicidium rurſus eſt duplex ſui, & alterius. Quæ diuiſio ſatis patet ex ſolâ terminorum cognitione.

Ratione tertij eſt quoque duplex mediatum, & immediatum: Mediatum, vt ſi quis veneno porrecto alium occidat: Immediatum, vt ſi quis manu armatâ, enſe, bombardâ, alteri vitam eripiat.

Inſinuatur quarta diuiſio à Chriſto, *Mathai 5. c.* his verbis; *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, nõ occides, qui autem occiderit, reus erit iudicio: Ego autem dico vobis, quod omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: Qui autem dixerit fratri ſuo Racha, reus erit conſilio; Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehenna ignis.* Quæ verba explicans D. Auguſtinus dicit, Homicidium lege veterum putabatur aliud non eſſe, niſi corporis peremptio; Aperuit ergo Dominus omnem iniquum motum ad nocendum fratri in genere homicidij computari.

Homicidium igitur ex ſententia Chriſti, aliud eſt cordis, aliud oris, aliud operis; Quæ diui-

diuiſio non eſt generis in ſpecies, ſed eiuſdem peccati in diuerſos gradus; Nam in homicidio, ſicut & in alijs peccatis, reperiuntur tres gradus; Primus Homicidium cordis ſine quo homicidium peccatum eſſe non poteſt, cùm peccatum ſit vſque adeò voluntarium, vt ſi non ſit voluntarium, non ſit peccatum. Secundus oris, vt ſi quis voluntatem occidendi verbis manifeſtet. Tertius operis, quo peccatum homicidij conſummatur.

Huic non eſt abſimilis diuiſio illorum, qui dicunt, Homicidiorum aliud internum tãtùm, aliud externum tantùm, aliud externum, & internum ſimul; Cuius diuiſionis membra ex præcedẽtibus quæſtionibus ſunt ſatis manifeſta.

Ex quibus omnibus non obſcurè intelligi poteſt, quod à quibuſdam hoc loco traditur, & non paruum vſum habet, ad intelligendum id, quod maximè quærimus; nimirum, homicidium committi quinque modis; Primò, facto, vt cùm quis actione propriâ, mediatâ, vel immediatâ alium occidit. Secundò, præcepto, vt cùm præcipit alteri, vt alterum occidat. Tertiò, conſilio, vt cùm quis conſulit alteri mortem inferri. Quartò, auxilio, vt cùm quis occidentem adiuuat. Quintò, & poſtremò, permiſſione, vt cùm quis poteſt, & debet impedire mortem alterius, & non facit.

Ad tertiam quæſtionis partem; Quæ nimirũ hominis occiſio ſit licita, vel illicita, dicendum quæſtionem difficilem eſſe, & cui à pluribus inſufficienter reſpondetur.

Primò

Primò non bene reſpondet Scotus, qui docet *in 4. ſent. diſt. 15. q. 3. art. 3.* licitam eſſe hominis occiſionem illam, quæ caſibus veteri lege expreſſis conceditur, *Exod. 22.* Illicitam verò omnem illam, quæ illis non conceditur. Probatur primò, quia inuaſorem ſemper licuit occidere, ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ, *vt poſtea oſtendemus*, & tamen hic caſus non exprimitur in veteri lege. Deinde ante legem ſcriptam reſpublicæ gentium ſcelera capitis ſupplicio meritò puniebant, ſed hoc non faciebant, quod legiſſent illos caſus diuinâ lege expreſſos, cùm lex diuina ſcripta adhuc non eſſet; Ergo, &c. Præterea tam naturale eſt, vt homines nocentes, & in rempublicam peſtilentes è medio tollantur, quàm vt non occidantur innocentes; Ergo poteſtas hominem occidendi non pendet ex illâ conceſſione legis antiquæ, ſed potiùs iure naturæ conceditur. Poſtremò, ſi reſpublica ciuilis non haberet facultatem alios malefactores interficiendi, quàm eos, qui veteri lege exprimuntur, non liceret hodie furem virgis cædere, aut ſuſpendere, neque incendiarium capitis pœnâ damnare, neque hæreticos, & alios criminis læſæ maieſtatis manifeſtos reos vltimo ſupplicio afficere, conſequens eſt abſurdiſſimum, & contra tenorem *l. c. de pœnis*. vbi incendiarijs, & alijs capitis pœna decernitur, & hæretici exuruntur, & læſores maieſtatis meritò dilaniari iubentur; Alij vapulant flagellis, & alij in exilium relegantur, quæ tamen crimina, & pœnarum genera in veteri lege non ſunt

 ex-

expreſſa.

Non obſtat, quod Scotus dicit, non poſſe in iure naturæ diſpenſari; atque ita non poſſe humano aliquo iure ſtatui, vt homo quantumuis peccator occidatur; Quia ex iam dictis ſatis apparet falſum eſſe, quod ipſe tanquam principiũ præſupponit, Omnem hominis occiſionem iure naturæ prohibitam eſſe.

Secundò, nec illi bene reſpondent, qui putant omnem occiſionem proximi eſſe illicitam, licitam verò ſui ipſius: quia ſubindè licitè occiditur proximus, & nullo caſu ſe occidere licet. Horum errorem refutat D. Auguſtinus *lib. 1. de ciuitate Dei c. 2.* & nos infrà aliquid de eo dicimus.

Tertiò, neque illi ſatisfaciunt, qui dicunt omnem illam occiſionem eſſe licitam, quâ nocens occiditur, illicitam, qua innocens; Quia poteſt dari inſtantia de illâ occiſione, quâ innocens probatus in iudicio nocens occiditur; Deinde poteſt dari nocens, etiam talis probatus, qui non poteſt priuatâ auctoritate occidi.

Quartò nec ſufficienter reſpondent, qui dicunt omnem illam occiſionem eſſe illicitam, quæ fit priuatâ auctoritate, licitam verò, quæ fit publica: Quia poteſt dari inſtantia de eo, qui inuaditur ab alio, & vim vi repellendo priuatâ auctoritate occidit inuaſorem, quem ſtatim oſtendemus non peccare; Deinde, publica poteſtas, ſi innocentem damnet, vel ſi peccatorem quidem, ſed alijs non nocentem, vel nocentem quidem, ſed contra iuris ordinem, peccat,

cat, *ſicut poſtmodum probabimus*; Ergo &c.

Omiſſis igitur his inſufficientibu, & erroneis reſponſionibus, ſi quis quærat; Quæ occiſio ſit licita, & quæ illicita hoc loco reſeruata, Breuiter videtur reſponderi poſſe, occiſionem omnẽ illicitam, vel licitam eſſe illam, quæ lumine naturali iudicatur eſſe talis. Inſinuat hanc reſponſionem D. [Thomas *1. 2. q. 100. art. 8. ad 3.*

Neque hoc eſt, quod cuidam videri poſſet, explicare idem per ſeipſum, aut ignotum per æquè ignotum], quia homicidium non ideò malum eſt, quia prohibitum, ſed ideò prohibitum, quia eſt malum: Interroganti ergo, Quæ occiſio licita, vel illicita? videtur reſponderi per cauſſam, quando dicitur, quod omnis illa, quæ lumine naturali deprehendi poteſt eſſe talis. v. g. dico: quod licita eſt alicuius hominis Reipublicæ nocuui occiſio, putà furis, etiam ſi de illo nulla fiat mentio in veteri, aut nouâ lege, quia lumine naturali notum eſt, licere bonum publicum præferre priuato, & membrum putridum, & nociuum reſcindere, ne totum corpus pereat: Dico nihilominus talem hominis occiſionem eſſe illicitam priuatæ perſonæ, quia lumine naturali etiam manifeſtum eſt, curam membrorũ Reipublicæ commiſſam eſſe publicis magiſtratibus, & principibus, qui capita ſunt Reipublicę, & ſic in alijs.

Verùm quia doctrina generalis in moralibus parum eſt vtilis, ſpeciatim magis inueſtigãdum eſt, quæ hominum occiſiones ſint licitæ, & quæ illicitæ, & hoc loco reſeruatæ. Quam rem

alioquin ampliſſimam, & apud Doctores multum confuſam, vt facili, & conſueta methodo expediamus, mouebimus plures difficultates, quæ ad duo genera reduci poſſunt. Primi generis erunt de occiſione ſui ipſius. Secundi de occiſione proximi priuatâ, & publicâ, voluntariâ, & caſuali. *Difficultates plures, quæ ad duo genera iuxta prædicta reducuntur.*

Difficultas prima prioris generis: An licitum ſit ſeipſum occidere?

Non eſt licitum, neque vllo bono fine fieri poteſt.

Prima pars probatur; quia eſt contra naturalem inclinationem; naturaliter enim quælibet res ſeipſam amat; Hinc eſt, quod quælibet res naturaliter conſeruat ſe in eſſe, & corrumpentibus reſiſtit quantum poteſt. Eſt D. Thom. *2. 2. q. 64. art. 5.* Deinde patet hoc ipſum aliâ viâ ex lumine quoque naturali petitâ. Quælibet pars id quod eſt, eſt totius, quilibet autẽ homo pars eſt Reipublicæ, Ergo, qui ſe interimit, iniuriam facit Reipublicæ, ergo peccat. Patet & aliâ ratione: Vita eſt quoddam donum diuinitus homini attributum, & eius poteſtati ſubditum, qui occidit, & viuere facit, Ergo, qui ſeipſum vita priuat, Deo iniuriam facit, ſicut qui alienum ſeruum interficit, peccat in dominum, cuius eſt ipſe ſeruus.

Hinc eſt, quod interficere ſeipſum omni iure reperitur prohibitum; Diuino non occides. ſ. hominem ergo nec teipſum, vt argumentatur D. Auguſtinus *lib. 1. de ciuitate Dei c. 20.* Humano

nò Eccleſiaſtico. *In Concil. Braccarenſi 1. c. 34.* Vbi ſui ipſius occiſor eccleſiaſticâ priuatur ſepulturâ, & publicis Eccleſiæ ſuffragijs. Iure ciuili. *l. liber homo ff. ad l. aquileiam.*

Secunda pars probatur; quia ſui occiſio non poteſt eſſe rectũ medium ad maiora bona aſſequẽda, aut maiora mala vitãda: Primum patet, quia neque ad virtutes acquirendas, aut gratiam conſequendam in hac vitâ, quia illæ poſitæ ſunt in poteſtate liberi arbitrij; Ergo, ſi homo velit laborare, & honeſtè viuere, poteſt illas adipiſci, nec eſt neceſſe propter illas ſe enecare: Neque etiam ad gloriam, ſiue fœlicitatem conſequendam in futurâ vîtâ, Sicut D. Auguſtinus, *de ciuitate Dei, lib. 1.* dicit feciſſe quendam philoſophum nomine Theobutum, lecto libro Platonis de animæ immortalitate; quia tranſitus ex hac vitâ ad aliam fœliciorem non ſubiacet libero hominis arbitrio, ſed poteſtati diuinæ, D. *Thom. 2. 2. q. 64.* Secundum, quod nec ad maiora mala vitanda, probatur; quia ſumma mala vitæ ſunt mala culpæ, ſiue peccata, quæ ſimiliter poſita ſunt in poteſtate liberi arbitrij, atque ita poteſt homo diuinâ adiutus gratiâ illa vitare, nec propterea neceſſe eſt ſe enecare. Si replices cum Donatiſtis nos eſſe infirmos, & pronos ad peccandum, & ideò per mortem, tanquam compendio quodam, velle omnia pericula, & occaſiones ſimul vitare; Reſpondet D. Auguſtinus dupliciter; Primò, Deum fidelem eſſe, & non permittere, vt tentemur ſupra vires, *lib. 2. contra epiſtolas Gaudentij. c. 23.* Secundò, non eſſe

faciēdum peccatum certum, vt vites incertum, *lib. 1. de ciuitate Dei c. 27.* Similiter non licet ſe occidere propter aliquod peccatum commiſſum, ſicut fecit Iudas, *Mathæi 17. c.* Quia malefactorem occidere non licet, niſi per iudicium publicæ poteſtatis, *vt ſuprà obiter dictum eſt, & infrà latiùs oſtendemus.* Deinde quis ſe interficiens ſibiipſi maximè nocet adimens ſibi tempus pœnitentiæ. Nec etiam ad euitandum alterius peccatum; quia nemo debet in ſe admittere crimen maius, videlicet homicidium, vt vitet alienum minus, putà fornicationem, aut ſimile. Nec poſtremò ad euitanda mala pœnæ, qualia ſunt miſeriæ vitæ præſentis, ſicut fecit Achitophe *2. Reg. c. 17.* Et Cato Vticenſis, auditâ victoriâ Iulij Cæſaris, ſecundum D. Auguſtinum *lib. 2. de ciuitate Dei*; Quia vltimum, & ſummum malorum pœnalium huius vitæ eſt mors ſecundum Philoſophorum *3. Ethicorum c. 8.* Stultum verò eſt maius malum aſſumere ad euitandum minus.

Quærunt hîc aliqui, An ab hoc peccato ſaltē quis excuſari poſſit per ignorantiam inuincibilem? Dicendum eſt primò, Non poſſe excuſari illos, qui ſine cauſſa ſe occiderunt, quia etiam Ethnici viderunt hoc non licere, *Plato in phædone, Ariſtoteles lib. 3. Ethicorum c. 7. Cicero in ſomnium Scipionis.*

Secundò, probabile eſſe excuſari potuiſſe illos, qui id honeſtâ aliquâ, & graui de cauſsâ fecerunt, vt pro patriâ defendendâ, vel pro vitandâ aliquâ graui ignominiâ, & maximè pro tuendâ pudicitiâ. Ratio eſt; quia non ſolum gentiles

les philoſophi hoc putauerunt, vt Cato Vticenſis, Curtius *apud D. Aug. l.1.de ciuit. Dei c. 9.* Lucretia nobilis Romana: Sed etiam Iudæi, vt Ioſephus *lib. 1.de bello Iudaïco c. 18.* Imò quidam Patres Eccleſiæ pro tuendâ ſaltem caſtitate, vt D. Ambroſius *lib.3.de virginibus.* D. Hieronymus *in c.1.Ioſue.* Euſebius *in vitâ Conſtantini lib. 1. c. 28.* Vbi narrat exemplum de quadã nobili Romanâ Chriſtiana vxore cuiuſdam Senatorij ordinis, quæ cùm à Valentino Imperatore tyranno ſe violandam, conſentiente marito, intelligeret, exiguo temporis ſpatio poſtulato, quo corpus conſueto apparatu decenter ornaret, in cubiculum ingreſſa, gladio ſibi pectus transfixit, propter quod Euſebius eam laudans; *Atque ita*(inquit) *ſe talem, & tam illuſtrem oſtendit.* Idem exemplum refert Nicephorus *lib. 7. c. 28.* Quam mulierem, & ſimiles aliter à peccato excuſare non poſſumus, quàm vel propter ignorantiam inuincibilem; Sicut Sotus *lib. 5. de iuſt. & iure q. 1. art. 5.* D. Appolloniam excuſat, quæ in rogum ardentem ſponte ſe conjecit; vel propter Dei reuelationem, Sicut D. Auguſtinus excuſat Sampſonem *lib. 1. de ciuitate Dei c. 21.*

Poſtremò, hoc tempore non eſt probabile quenquam poſſe excuſari per ignorantiam inuincibilem, ſi ſeipſum occidat quacumque ex cauſſa; ratio eſt, quia ex quo hæretici docuerũt licitum eſſe ſe occidere, & de facto ſeipſos cœperunt interimere, vt docet *D. Auguſt. de hæreſibus c. 69.* Eccleſia rem hanc totam ſatis diligenter, & apertè declarauit priuans ſuffragijs Eccleſia-

ſticis, & ſepulturâ eos, qui ſeipſos occidiſſent. Vide de hac quæſtione *Caiet. 2. 2. q. 124. art. 1. ad 2.*

Difficultas ſecunda; An liceat alicui interficere ſeipſum intentione ſaltem ſecundariâ? v. g. eſt aliquis, qui vult interficere hoſtem patriæ, hoc non poteſt facere, niſi interimat ſeipſum, ſicut fecit Sampſon *Iud. 16. c.*

Dicendum, primò, certum eſſe quem non peccare, ſi præter intentionem ſe interficiat, ſicut fecit quædam mulier, quæ cùm fugeret illum, à quo ad ſtuprum ſollicitabatur, de ponte cadens ſubmerſa fuit, *vt refertur c. ex parte, de ſepulturis.*

Secundò, dubium eſſe, an id liceat facere ex intentione ſecũdariâ, de quâ quærit difficultas; Nam, quamuis graues Doctores putent non licere, ſolúmque excuſent Sampſonem, & ſimiles, qui ſeipſos occiderunt propter inſtinctum Spiritus ſancti, quò ad id moti fuerunt; Non minùs tamen probabilis eſt aliorum opinio, qui dicunt ſine Dei inſpiratione ſpeciali in tali caſu poſſe quem ſibi vitam eripere. Ita Franciſcus à Victoriâ vir acutiſſimi ingenij, *relect. de homicidio nu. 37.* Videtur enim eſſe quædam fortitudo pro patria vitam ſuam hoc pacto exponere.

Difficultas tertia: An liceat bibere venenum, quando à Iudice quis damnatus eſt, vt venenum bibat, vel in ignem ingredi, vel ex ſcalâ, aut monte exilire, quando quis morti ſic adiudicatus eſt.

Dicendum, probabiliter licere; Quia in actu iuſtitiæ vindicatiuæ, quæ non poſſunt fieri niſi ab ipſo reo, licitè poſſunt fieri; vt aſcendere

ſcalam

ſcalam ad ſuſpendendum, porrigere collum ferienti carnifici, ita & venenum bibere. Deinde, qui cooperando mandato Iudicis aliquid agit, non tam agit, quàm patitur. Præterea, qui metu maiorum tormentorum cogitur aliquid facere, non videtur eſſe in culpâ ſi mors ſequatur, quia non eſt tam actio illius, quàm cogentis.

Hoc modo putamus excuſari illos, qui noſtro tempore coacti fuerũt ab hæreticis ex altiſſimis locis ſe præcipites dare, ne grauiora paterẽtur. Huius ſententiæ eſt Franciſcus à Victoriâ *relect. De homicidio, nu.* 30. Quamuis Caietanus *2.2.q.9.art. 4. ad 7.* contrarium doceat.

Difficultas quarta: An licitum ſit permittere ſe occidi?

Qui permittit ſe occidi, peccat, niſi rationabili ex cauſsâ excuſetur. Huius ratio eſt manifeſta, quia, cùm homo cuſtos ſit vitæ ſuæ, debet illam conſeruare.

Hinc ſi quis temerè ſe conijciat in hoſtes, peccat mortaliter, ſi occidatur.

Dixi, *rationabili de cauſſâ excuſetur*; quia quis multis de cauſſis excuſari poteſt: Prima, Si quis à Iudice condemnatus permittit ſe occidi; Imò peccat mortaliter, qui conuertit ſe contra carnificem, aut ſatellites, ſecundum D. Thomam *2. 2. q. 69. art. 4.* Secunda, ob fidei defenſionem; vt ſi Tyrannus vellet te negare fidem, debes potiùs te permittere occidi, *ſecundum omnes.* Tertia, ob vitandum quodcumque peccatum etiam veniale; vt femina debet potiùs permittere ſe occidi, quàm peccato conſentire: Et, ſi hoc caſu occidatur, erit martyr, *ſecundum omnes.* Quarta,

propter defenſionem Reipublicæ. Hæc aſſignatur à Soto *lib. 5. de iuſtitiâ, & iure q. 1. art. 3.* V. G. Si ciuitas obſideretur ab hoſtibus, ita vt opprimeretur, ſi vnus, tradendo ſe illis occidendum, liberaturus eſſet eam, poſſet licitè facere, etiam ſi innocens eſſet: Imò ſecundum communem, ſi hoſtes illum tantùm vellent occiſum, & ob id malum tantum afferrent ciuitati, ipſe, licet eſſet innocens, teneretur ſe illis tradere; Non tamen poteſt ciuitas eum cogere: Imò potiùs tota deberet perire, quàm innocentem morti tradere. Vnde ſequitur erraſſe Caïpham, quãdo dixit, *Expedit, vt vnus moriatur pro populo, ne tota gens pereat.* Non deſunt tamen, qui tenent illum non teneri ſe offerre, ſi innocẽs ſit. Sexta, propter amici defenſionem, *Ioannis 15. Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Multò magis ob defenſionem parentum, filiorum, vxoris, & eorum, quibus quis maiori vinculo charitatis eſt aſtrictus. Septima, etiam propter defenſionem proximi non amici. In quâ re ſingulariter notandum eſt, quod in inuaſione, ſi inuadens eſt perſona priuata, & inuaſus publica, tunc inuaſus, ſi iniuſtè inuaditur, tenetur vſque ad mortem ſe defendere: Quando verò inuaſus eſt perſona priuata, & inuadens publica, tũc tenetur inuaſus, cæteris paribus, potiùs permittere ſe occidi, quàm alium occidere. Ratio vtriuſque eſt, quia, ſecundum ordinem charitatis, bonũ publicum debet priuato anteponi. Quando verò neuter eſt perſona publica, tunc integrum eſt inuaſo & ſe defẽdere,

dere, & ex charitate etiã permittere ſe occidi. Quod notauit Sotus *l. de iuſt. & iure. l. 5. q. 1. art. 8.*

Difficultas quinta: An liceat aggredi illa, in quibus imminet probabile periculum mortis?

Peccatum eſt mortale ſimilia aggredi. v. g. ſumere venenum, expectare taurum, & huiuſmodi.

In tribus tamen caſibus poteſt quis excuſari à peccato: Primò, cùm id facit à iuſtitiâ damnatus, *vt antè dictum eſt.* Secundò, quando ceſſat mortis futuræ probabilitas, *ſecundum Nauarrum c. 15. nu. 21.* Sic agiles expectãtes taurum excuſantur, quia licet ipſi aliquando occidantur, tamen vt frequentiùs taurum occidunt. Similiter funambuli, ſi ſunt experti, quia quamuis aliquãdo decidant, & moriantur, hoc illis eſt per accidens; quia vt frequentiùs neque decidunt, neque moriuntur. Tertiò, quando fit ex inanimaduertentiâ, *vt habet D. Thomas 2. 2. q. 14. art. 2.* Exemplum eſt de his, qui immodicis vigilijs, & inedijs macerant corpus, qui ſe occidere videntur; iſti enim actus paulatim inducũt mortem. Hos dicit D. Thomas, quod ſi animo ſe occidendi id faciant, peccare mortaliter, ſed ſi non aduertãt, nec eſt tam manifeſtum mortis periculum, ſed potiùs quodam ſpiritu deuotionis ducuntur ad id, non modò peccare, ſed potiùs plurimùm mereri, ſi illud ordinent ad bonum finem.

Hanc quæſtionem ſuo more ſubtiliter explicat Franciſcus à Victoriâ, *in relect. de temperantiâ à nu. 8. vſque ad finem, & de homicidio nu. 33. & 34.*

Difficultas prima ſecundi generis: An priuatâ auctori-

tate

tare liceat occidere peccatorem?

Non licet priuatæ perſonæ alterum occidere, quantumuis Reipublicæ nociuum. Ratio eſt, quia hoc ad publicos magiſtratus, & principes pertinet, quibus cura Reipublicæ demãdata eſt. *Rom. 13. c. Princeps non ſine causâ gladium portat.*

Deinde non licet quemquam occidere niſi propter bonum commune, cuius cura pertinet ad perſonam publicam.

Difficultas ſecunda: An priuatæ perſonæ liceat occidere tyrannum?

Nota duplici modo ſumi tyrannum; Primò, ex parte dominij, quod non habet, ſed iniuſtè vſurpat. Secundò, ex parte vſus, quia abutitur iure veri dominij.

Tyrannum primi generis licet priuatę perſonæ occidere. Sic Bruto licuit opprimere Cæſarem. *Ita D. Thomas in opuſculo de regimine principum c. 6. Et in 4 ſent. diſt. 44. q. 2. art. 2.* Quem Sylueſter, & alij Summiſtæ ſequuntur, *verb. Tyrannus.* Ratio eſt, quia tali caſu homo priuatus gerit perſonam Reipublicæ.

Tyrannum ſecundi generis non licet priuatæ perſonæ occidere; Cuius contrarium definitũ eſt eſſe hæreticum *in Conc. Conſtantienſi ſeſſ. 15.*

Difficultas tertia: An liceat marito vxorem in adulterio deprehenſam occidere?

Auget difficultatem, quod leges ciuiles non ſolùm hoc videantur permittere, verùm etiam ius, & legitimam poteſtatem occidendi tradere. *l. Patri; & tribus ſequentibus. ff. ad l. Iuliam de adulterijs.*

Dicen-

Dicendum, Ante ſententiam Iudicis maritũ vxorem adulterantem non poſſe occidere ſine peccato, poſt ſententiam, poſſe, putà ſi Iudex, vt in quibuſdam locis fit, adulteram marito puniendam etiam morte tradiderit. *Ita omnes Theologi in 4. diſt. 35.*

Ratio prioris partis eſt, quia punire malefactorem ad publicam perſonam pertinet.

Quod ad leges ciuiles allegatas, illæ ſunt iure canonico abrogatæ, *can. inter hæc, & can. admonere 33. q. 2.* vt refert Sylueſter *verb. lex q. 10.* Quo loco recenſet plures leges iuris ciuilis, quæ ſunt iure canonico abrogatæ.

Ratio poſterioris partis eſt, quia in tali caſu maritus fit miniſter publicæ iuſtitiæ ſaltem voluntarius, & liber.

Porrò, tres ſunt caſus iure ciuili expreſſi, quibus priuatæ perſonæ licet aliũ occidere abſque iudice. Primus, Quiſque poteſt occidere nocturnum agrorum depopulatorem. Secũdus, publicum latronem. Tertius, militiæ deſertorem, ſiue transfugam. Quibus tamen caſibus tria obſeruari debent; Primum, vt hoc fiat rectâ intentione, ſiue zelo iuſtitiæ. Secundum, vt certo conſtet de crimine. Tertium, vt ſit neceſſitas, quia aliâ viâ non poſſit è medio tolli.

Difficultas quarta: An liceat cuicumque proſcriptos, ſiue bannitos, aut diffidatos, quos vocant, interficere?

Nota quibuſdam in locis ſolere ſceleratos quoſdam citari ad iudicium, &, ſi non comparuerint edicto publico dari poteſtatem cuilibet eos occidendi, etiam ſub inde præmio interfi-

cientibus propoſito.

Dicendum eſt ex præcedenti difficultate ſatis conſtare licitum eſſe. Hoc expreſsè affirmat Syluester *verb. Aſſaſini q. 3. & verb. homicidium 1. q. 3.* Et latiùs Couar. *de ſponſalibus p. 2. c. 7. §. 7. nu. 18.*

Verùm vt huiuſmodi edicta, ſiue ſtatuta ſint licita, præter tria, quæ præcedente difficultate diximus, hæc etiam ſunt obſeruanda; Primùm, vt hoc non fiat niſi pro graui ſcelere, nam pro ſolis debitis non videtur poſſe hoc cōcedi. Secundum, vt bannitus non occidatur extra dominium illius loci, vbi hoc ſtatutum fuit. Tertium, vt bannitus impune per aliquos annos toleratus non fuerit, quia illo caſu non cenſetur amplius bannitus, vel diffidatus. Quartum, vt non ſit pater occidentis, quia filius non poteſt occidere patrem bannitum, vel contrà. Quintum, vt primùm fuerit ſeruata forma iuris in ipſo citando, aut audiendo ante condemnationem, niſi crimen ſit notorium.

Difficultas quinta: An priuatæ perſonæ liceat occidere alium pro neceſſariâ ſuæ vitæ defenſione?

Dicendum ſimpliciter licitū eſſe cuicumque perſonæ ob defenſionem vitæ propriæ occidere iniuſtum inuaſorem, adhibito moderamine inculpatæ tutelæ. Eſt communis reſolutio nō ſolùm Iuriſperitorum, ſed & Theologorum, *D. Thomæ 2. 2. q. 64. art. 7. Et Caietani ibidem. Soti etiam de iuſt. & iure lib. 3. q. 1. art. 8. Et aliorum Scholaſticorū circa 3. ſent. diſt. 32.* Ratio omnium vna eſt, quia omni iure licitum eſt vim vi repellere. *can. dilecto, de ſent. excommunicationis in 6. & c. ſi perfodiens, de*

homi-

homicidio. l. vt vim. ff. de iuſt. & iure.

Tria igitur requirũtur vt liceat priuatæ perſonæ alterũ occidere pro defendẽda vita propria.

Primum, vt occiſio fiat defendendo ſe cõtra violentiam inuaſoris, non contra calumnias, vel quid ſimile.

Secundum, vt inuaſor occidatur in ipſo actu inuaſionis; non ante, vel poſt, quia alioquin non eſſet defenſio, ſed vindicta.

Non eſt opus tamen expectare omnimodam inuaſionem ad ſui defenſionem, quia ſubinde nimis ſera eſſet defenſio; Hinc ſi quis incluſiſſet inimicum ſuum in cubiculo, vt eum occideret, & iſte non poſſet ſe aliter liberare niſi eum occidendo, poterit eum occidere antequam gladium eximat, quia ipſa incluſio videtur ſufficiens eſſe inuaſio. Quando tamen nulla eſt inuaſio, non licet occidere. Hinc videtur errare Maior *in 4. ſent. diſt. 15. q. 22.* cùm dicit, Quod ſi quatuor eſſent in vnâ naui, & iſta eſſet ſubmergenda niſi duo proijcerentur in mare, tunc debere ſortem mitti, vt de Ionâ factum eſt, & ſuper quem caderet ſors, ille deberet permittere ſe occidi, & proijci in mare; Quod ſi nollent ſortem mittere, tunc licitũ eſſe viribus certare, & qui vincere poſſet, licitè poſſe alios in mare proijcere. Ratio eſt, quia hîc nulla eſt inuaſio: Regula autem occidendi alterum ad propriam vitam ſeruandam, valet tantùm de inuaſore, eoque iniuſto. Ita Cardinalis Toletus, *in libro de inſtitutione ſacerdotum, circa præceptum, Non occides.*

Tertium, vt ſeruetur moderamen inculpatæ tute-

tutelæ; hoc eſt, vt ea moderatio adhibeatur in defendenda vita propria, quam æquitas naturalis dictat adhibendam, nimirùm, vt abſtineatur ab occiſione proximi, quantum fieri poteſt. *c. ſignificaſti, de homicidio & c. ſi verò, de ſententiâ excommunicationis.*

Non videtur tamen eſſe neceſſarium, quod quidam volunt, illum, qui inuaditur, ſummum debere adhibere iudiciũ, ân poſſit aliter; quàm per illatam mortem ſe defendere, nempe vel fugiendo, vel pacem deprecando, vel leuiter hoſtem cedendo. Ratio eſt, quia videtur nimis graue, & difficile obligare inuaſum, & in periculo mortis agonizantem ad tantam circumſpectionem adhibendam; Nam in tali periculo metus non ſinit iudicium eſſe tam promptum; Et ira, quæ tunc naturaliter exurgit, perturbat animum, vt nõ poſſit tam facilè omnia videre.

Habent hæc locum non ſolùm in laïcis ſe defendentibus, verùm in omnibus omnino perſonis, clericis, religioſis; Nec ſolùm contra inuaſores iniuſtos, ſed contra quoſcumque, maximè ſi cætera ſunt paria; Idque non ſolùm aliquo loco, & tempore, ſed omni tempore, & loco.

Dixi, *ſi cætera ſint paria*; Quia licet quis pro neceſſaria vitæ ſuæ defenſione Papam, vel Imperatorem occidens non peccet contra iuſtitiam, *ſecundum Caiet. opuſc. 1. de poteſtate Papæ, c. 27. & Franciſcum à Victoriâ in fine relectionis primæ de poteſtate Eccleſiæ*: peccat tamen mortaliter contra charitatem; Quia vita aggreſſoris hoc caſu vtilior

eſt

eſt Reipublicæ, quàm aggreſſi, & ſic cætera non ſunt paria.

Dixi ſecundò, *omni loco, & omni tempore*; quia licita eſt etiam occiſio pro neceſſariâ vitæ defenſione, quando quis dat operam rei illicitæ, & ſuâ culpâ incidit in neceſſitatem vitam ſuam defendendi. v. g. Si quis deprehenſus ſit in adulterio cum vxore alicuius, & maritus velit illum interficere, poteſt licitè ſe defendere. Quod notauit Sotus *lib. 5, de iuſt. & iure. q. 1 art. 9.* Vbi ait Clericum in tali caſu alium occidentem non eſſe irregularem. Ratio eius eſt, quia in tali caſu defenſionis non peccauit, *per Clem. vnicam de homicidio.* Et maritus vxorem, vel alterum occidendo in hoc caſu peccat, *vt antè oſtendimus*: Ergo contra ipſum alter poteſt ſe iuſtè defendere, licet contrarium dicat Nauarrus *c. 25. nu. 7.*

Non obſtat dictis ſcriptura ad Rom. *12. Non vos defendentes, chariſſimi*; Qua abutuntur moderni Anabaptiſtæ ad ſuum errorem, quia pro *defendentes*, græcus textus habet *vindicantes*, vt linguarum periti annotârunt, & certè ſequentia hanc annotationem prorſus exigunt, ſubiungitur enim pro ratione, *Mihi vindictam, & ego retribuam, Dicit Dominus.*

Non obſtat ſecundò D. Auguſtinus *lib. 1. de libero arbitrio c. 8. & epiſtola 154.* Vbi ſic loquitur; *De occidendis hominibus, ne ab eis quis occidatur, non mihi placet conſilium, niſi fortè ſit miles, aut publicâ functione teneatur, vt non pro ſe hoc faciat, ſed pro aliis acceptâ legitimâ poteſtate*; Quia reſponderi poteſt Auguſti-

num loqui de ijs, qui præueniunt inuaſionem, Sicut exponit Sotus *lib. 3. de inſt. & iure q. 1.* vel de ijs, qui intendunt mortem inuaſoris, Sicut D. Thomas. *2. 2. q. 6. art. 7.* ſed quam benè, poſtea dicemus. Meliùs dicendum videtur Auguſtinum ſic loqui, quia homo admodum rarò ſe defendit ſine aliquo peccato vel odij, vel iræ, vel exceſſu moderaminis inculpatæ tutelæ.

Non obſtat poſtremò, quòd ſalus animæ proximi præferenda eſt ſaluti corporis noſtri, quod non videtur fieri, quando iniuſtus inuaſor occiditur, qui non ſolũ corpore, ſed vt frequentiùs animâ in æternum perit; Non, inquam, obſtat, quia ſecundum ordinem charitatis tunc ſolùm tenemur vitam proximi ſpiritualem præferre vitæ noſtræ corporali, quando eſt neceſſitas, hoc eſt, quando aliter ſaluari non poteſt, niſi opem feramus, quæ neceſſitas in hoc caſu non inuenitur; nam inuaſor, ſi velit, poteſt deſiſtere, & ſe ſaluare; Si ergo in peccato mortali moriatur, ſibi imputabit.

Difficultas ſexta: An liceat præueniendo occidere inſidiatorem?

Diſtinguendum eſt: vel eſt apertus inſidiator, vel occultus.

Apertum inſidiatorem, putà qui te bombardâ parat traijcere, aut pugione incluſum cubiculo perfodere, licet præueniendo occidere. Ratio eſt, quia talis inſidiator eſt iniuſtus inuaſor, de quo antè dixi. *Eſt Gloſſ. in c. 3. de homicidio, verb. de ſæcularibus.*

Occultum inſidiatorem, hoc eſt, qui fraude

de conatur occidere, ordinariè non licet præueniendo occidere, licet tamen contra illum aſtutijs, non tamen mendacijs ſe defendere.

Dixi *ordinariè*, quia ſubinde licebit etiam talem inſidiatorem præueniendo occidere, tribus nimirum ſubſiſtentibus conditionibus; Prima, ſi certò conſtet innocenti de inſidijs, & aliter non poſſit euadere. Secunda, ſi certus ſit, ſe hâc ratione poſſe euadere. Tertia, ſi abſit ſcandalum. Ratio eſt, quia licet inuaſorem occidere, quando homo non poteſt aliter euadere. *Clemen. vnica de homicidio.* Sed inſidiator his conditionibus poſitis, cenſetur iniuſtus inuaſor; Ergo licet, &c.

Hinc ſequitur, quod mulier incluſa cubiculo, ſi ſciat parari ſibi mortem à marito, poſito ſub ceruicali pugione, poſſit præuenire maritũ, & illum occidere, ſi non ſit alius modus euadēdi, vt annotauit Sotus *lib. 5. de iuſt. & iure q. 1. art. 8.* Verùm, vt bene idem Doctor monet, ſeruit hæc doctrina, vt conſulatur conſcientiæ poſt factum, non vt in publico prædicetur, ne rude vulgus doctrinam ſubtilem, quam ſufficienter capere non poteſt, per abuſum amplificet.

Difficultas ſeptima: An in defenſione liceat intendere mortem inuaſoris?

Hæc difficultas mouetur propter communē, & hactenus in ſcholis celebratam doctrinā D. Thomæ, qui *2. 2. q. 64. art. 7.* docet non licere intendere mortem inuaſoris.

Dicendum probabiliùs videri cum Nauarro *c. 15. nu. 3.* Et Soto *de iuſt. & iure lib. 5. q. 1. art. 8.* Li-

8. licere. Ratio eſt, quia quod licet facere, licet intendere; Nam docet Ariſtoteles *6. Ethicorum*, ad efficacem voluntatem finis, ſequi electionem medij, quod ad illum iudicatur neceſſarium: Cùm ergo, vt præſupponimus, non ſit alius modus euadendi manus inuaſoris, quàm illum occidendo, licebit mortem eius intendere.

Hinc ſequitur. eum, qui videt hoſtem in ſe rectâ euaginato gladio tendere, & timet ſe non poſſe cõſertis manibus defendere, poſſe directo ſpiculo, aut ſagittâ eminus iactâ, aut bombardâ exploſâ iugulum hoſtis inuadere, vt illum priùs proſternat. *Ita Sotus ſuprà.*

Et confirmatur; quia reuera quomodo fieri poteſt, vt quis non intendat mortem inuadentis, cùm videt actum eſſe de vitâ ſuâ, ſi non occidat inuadentem?

Difficultas octaua: An liceat alium occidere pro neceſſariâ defenſione vitæ proximi?

Dicendum non ſolùm eſſe licitum, ſed etiam ſubinde eſſe neceſſarium.

Quod ſit licitum patet *ex ca. fortitudo 23. q. 5. & c. dilecto, de ſententiâ excommunicationis in 6. Et eſt communis ſententia Theologorum.* Ratio eorum eſt, quia debemus alijs facere, quod vellemus nobis fieri. Quod ſubinde teneamur, probat Nauarrus *in c. non inferenda nu. 10. & ſequentibus*: Quod verum eſt, ſiue quis ſit Laicus, ſiue Clericus, ſiue proximi, quos defendimus, ſint conſanguinei, ſiue extranei. Quam doctrinam explicat Caietanus *2. 2. q. 62. art. 17.*

Tenetur verò quis defendere vitam proxi-

mi

mi ex duplici capite; Primò, lege iuſtitiæ: Hâc tenentur iudices, & alij miniſtri iuſtitiæ. Secundò, lege charitatis; quâ tenentur omnes, quando proximus eſt in periculo, & non eſt alius, qui promptiùs ſuccurrere poſſit.

In vtroque caſu peccatum eſt mortale proximum non defendere, quamuis diuerſimodè; Nam qui ex iuſtitiâ tenetur, ſi non fecerit, tenetur ad reſtitutionem damnorum: Qui verò ſolùm ex charitate tenetur, ſi non fecerit, non eſt obnoxius reſtitutioni.

Hinc ſequitur peccare mortaliter ciues illos, qui conciuem inuaſum miſerè trucidari permittunt, cùm nemo ſit illis paratior, qui ſuccurrere poſſit; & abſque vitæ periculo facilè ſaluare, & eripere poſſent ex manibus inuadentis.

Sequitur ſecundò peccare mortaliter, & teneri ad reſtitutionem omnium damnorum Reges, Principes, Magiſtratus, Iudices, & alios iuſtitiæ miniſtros, qui ciues, & alios iniurijs affectos non defendunt, cùm poſſint.

Difficultas nona: An liceat alium occidere pro neceſſariâ rerum temporalium defenſione?

Eſt communis Theologorum licere. *Caiet. 2. 2 q. 64. art. 7, Sylueſtri verb. bellum 2. q. 7 Et ante vtrumque Antonini p. 3. tit. 4. c. 3. Quos ſequitur Nauarrus c. 15. nu. 5.* licet Canoniſtæ illis contradicant, *vt Innocentius in c. Si verò de ſententiâ excommunicationis, & Panor. in c. Interfeciſti, de homicidio:* ſed malè.

Probatur primò auctoritate iuris Canonici. *c. Olim. de reſtitutione ſpoliatorum, & c. Dilecto, de ſen-*

tentiâ excommunicationis in 6.

Deinde, ratione; licet enim publicè bellum gerere propter res temporales, in quo ſubinde plurimi occiduntur; Ergo & priuatim licet alium occidere, res ſuas temporales defendēdo, maximè ſi ſint neceſſariæ ad ſuſtentationem vitæ, ſtatus, & honoris.

Poſtremò; Si hoc non liceret, daretur furibus, & latronibus paſſim anſa quoſuis bonis ſuis ſpoliandi.

Non obſtat *c. Interfeciſti*, quod à Panor. contrà obijcitur; Vbi dicitur laïcum non peccâſſe, qui ſe, ſuaque defendēdo alium occidit, quaſi dicat peccâſſe, ſi ſua tantùm defendendo alium occiderit; Nam ſecundum communem expoſitionem illa verba, *ſe ſuaq;*, non ſunt copulatiuè exponenda, ſed diſiunctiuè.

Non obſtat ſecundò, quod iure canonico fur nocturnus occidi poſſit, diurnus verò non poſſit, niſi telo ſe defendat. *Per c. ſi perfodiens de homicidio*; Quia reſponderi poteſt, id ita legibus cautum eſſe, quia, vt plurimùm fur potiùs comprehendi debet, quàm occidi: Non tamen inde ſequitur furem nunquam occidi poſſe pro neceſſariâ rerum defenſione.

Non obſtat poſtremò, quod lege charitatis vita temporalis proximi præferenda ſit rebus noſtris temporalibus; Illud enim ſolùm verum eſt in extremâ neceſſitate, *ſicut antè in ſimili oſtendimus*; potiùs enim debemus res noſtras exponere, quā permittere vt proximus fame moriatur. Sed in caſu, de quo nunc agitur, fur non eſt

in eâ neceſſitate, quia, ſi velit, poteſt à furto deſiſtere, & aliter vitæ neceſſaria conquirere.

Ne tamen hæc doctrina æquo largius accipiatur, nonnullas requirit limitationes.

Prima; vt res, pro quâ defendendâ quis occiditur, ſit magni momēti: iniquum enim valdè eſſet pro re parui momenti alium occidere.

Secunda, vt tunc ſolum procedat, cùm res aliter defendi non poteſt; Nam ſi quis ſperet ſe poſſe rem recuperare aliâ viâ, putà iuris, vel aliter, non debet occidere.

Tertia; vt habeatur ratio perſonarum; mitiùs enim agi debet hac in parte contra vicinos, cognatos, & alios parentes, quàm contra extraneos, vt annotauit Syluester *verb. bellum 2. nu. 2.*

Difficultas decima: An liceat occidere furem, vel latronem cum rebus temporalibus iam fugientem?

Aliqui putant non licere, Ioan. Andreæ, & Hoſtienſis apud Sylueſtrum *verb. bellum 2. nu. 1.* Et Angel. *verb. defenſio §. 2.*

Sotus verò *lib. 5. de iuſt. & iure q. 1. art. 8.* dicit toto tempore flagrantis delicti vim vi repellere poſſe, ſed poſtquam fur aliquò iam ſe recepit, non eſſe licitum illum aggredi, ſed expectandum eſſe donec Iuſtitia illum apprehendat.

Meliùs poſſe dici videtur, licitum eſſe non ſolùm in flagranti delicto, ſed etiam poſtea, nec ſolùm poſt duo, tres, quatuor dies, vt quidam dicunt, quibus videtur ſuprà conſentire Sotus: ſed, cùm primùm dabitur oportunitas, hac limitatione, ſi res via iuris, aut aliter recuperari non poſſit, & eſt nobis ad vitam neceſſaria. *Ita*

reſoluit Syluester ſuprà verb. bellum.

Non obſtat, quod hoc videtur eſſe vindicta; quia reuerà nō eſt, ſed potiùs defenſio. Is enim dicitur ſe vindicare, qui vult malum pro malo reddere: defendere verò eſt iniuriam, vel malum, quod imminet impedire, vel illatum reſarcire, ſi reſarciri poteſt.

Difficultas vndecima: An etiam Clericis liceat pro rebus temporalibus alium occidere?

Multi dicunt illis non licere, ſed prohibitum eſſe, non quidem iure naturali, aut Diuino, ſed Canonico. *c. Interfeciſti, & c. ſuſcepimus de homicidio.* Quia non conuenit, vt Deo conſecrati pro rebus temporalibus pugnent.

Verùm defendi poteſt, & ſine ſcrupulo teneri ſententia aliorum, qui dicunt, Clericis etiam id licere, imò Religioſis, ſi abſit ſcandalum. *Ita docet Couar. de homicidio p. 2. §. vnico, nu. 6. in fine, & Victoriâ in relectione de iure belli nu. 4.* Ratio eorum eſt, quia ſecundum Canones licet Clericis interficere alium pro defenſione vitæ ſuæ. *Clem vnicâ, de homicidio*; Ergo etiam pro defenſione rerum ad vitam ſuſtentandam neceſſariarum.

Non obſtant Canones allegati pro contrariâ ſententiâ, quia ad illos reſponderi poteſt dupliciter; Primò, loqui tantùm de defenſione, in quâ exceditur modus inculpatæ tutelæ, *vt dicit Couar. ſuprà.* Secundò, & meliùs, illos loqui ſecundum ius antiquum, quo prohibitum fuit Clericis, etiam pro defenſione ſui alium occidere. *Can. de his Clericis diſt. 50.* Quod ius conſtat iam eſſe abrogatum per Clementinam iam citatam.

tatam.

Difficultas duodecima: An liceat alium occidere pro defenſione honoris?

Dicendum licere. *Ita Syluester, verb. hom. 1. q. 2. quem ſequuntur Nauarrus c. 15. nu. 6. & eſt cōmunis Theologorum.* Ratio eſt, quia honor pluris faciendus eſt, quàm res temporales; Si ergo licet occidere pro defenſione rerum temporalium, vt ſuperiore quæſtione oſtendimus, licebit etiam pro defenſione honoris. Exemplum adferri ſolet de homine nobili, ſi vellet eum ruſticus aliquis, vel plebeïus ignominiosè baculo percutere, &c. de homine militari, cui turpe eſſet fugere.

Exigit hæc doctrina aliquas limitationes; Prima, vt non poſſit ſuum honorem aliter defendere; Secunda, vt ſit verus honor; Tertia, vt honor non defendatur appetitu vindictæ.

Difficultas decima-tertia: An etiam Clericis liceat honoris defendendi gratiâ alium occidere?

Communis ſententia eſt, illis non licere. Ratio eſt, quia non eſt turpe illis fugere.

Verùm quod interdum liceat illis eius cauſsâ etiam alium occidere, ſi fuga eſſet coniuncta cum magnâ ignominiâ, vt poteſt accidere Epiſcopis, Cardinalibus, & alijs maioribus Prælatis, quibus ſæpiùs maior eſt infamia in fugam compelli, quàm graue perdere res multas temporales, videntur docere Panor. *in c. olim de reſtitutione ſpoliatorum, & Franciſcus à Victoriâ in relectione de iure belli nu. 4. & Syluester verb. bellum 2. q. 2.*

Hoc verò certum eſt, nullum neque Clericum, neque Religioſum teneri fugere, quando

ex fuga imminet periculum mortis.

Difficultas decima-quarta: An liceat alium occidere pro recuperando honore?

Explico difficultatem exemplo; Eſt nobilis, qui iam fuit à ruſtico ligno ignominioſè percuſſus, quærit difficultas, an poterit talis inſequendo ruſticum illum occidere pro recuperando honore?

Quidam putant licere; Probabilius videtur non licere. Ratio eſt, quia hoc non eſſet defendere honorem; ſed ſe vindicare, vt patere poteſt ex differentiâ ſuprà allegatâ inter defenſionem, & vindictam.

Confirmatur, quia talis ruſticus non aufert ſecum nobilis honorem, ſicut latro aufert res alterius tẽporales, quæ recuperari poſſunt. Huius ſententiæ eſt Sotus *lib. de iuſt. & iure q. 1. art. 8.*

Difficultas decima-quinta: An liceat alium occidere auctoritate publicâ?

Reſpondendum licere, ſeruatis quinque cõditionibus;

Prima, vt verè ſit auctoritas publica, quia occidere hominem non eſt bonum, niſi propter bonum publicum; Ergo illud ſolùm ſpectat ad perſonam publicam.

Secunda, vt ſit cauſſa iuſta, & legitima: vt verò ſit talis, debet eſſe valde grauis, & quæ ſimiliter reſpiciat bonum commune. Quare peccant Duces militiæ, qui ſæpè ob res leues inferunt pœnam mortis.

Tertia, vt fiat amore Iuſtitiæ, nam ſi ex aliâ cauſsâ occidat, putà ex odio, vel vindicta, etiãſi

aliàs cauſa mortis iuſta ſit, peccat mortaliter, nō tamen contra iuſtitiam, ſed cōtra charitatē.

Quarta, vt non ſit perſona Eccleſiaſtica, quæ occidit, quia illi à iure prohibetur. *c. Clericus, tit. ne Cler. vel Monachi.*

Quinta, vt ſeruetur ordo iuris, nimirum: vt nemo occidatur, niſi priùs citatus, & conuictus de crimine.

Difficultas decima-ſexta: An nullo modo Clericis publicâ auctoritate fungentibus liceat alios occidere?

Certum eſt à temporibus Apoſtolorum iudicium ſanguinis Clericis ſemper fuiſſe interdictum. Patet hoc iure Canonico, præcipuè *toto tit. ne Clerici, vel Monachi in 6.* Ratio eſt, quia munus eorum eſt altari deſeruire, non ſanguini fundendo operam dare.

Epiſcopus tamē, qui ſimul habet poteſtatem ſæcularem, poteſt creare Iudicem, qui ſententiā ſanguinis ferat, ſed non poteſt ſe immiſcere iudicio ſanguinis. *c. finali, ne Clerici vel Monachi in 6.*

Et Inquiſitores Eccleſiaſtici, quando tradūt aliquos brachio ſæculari, cum Canonicâ proteſtatione ſe non petere ſanguinem, non peccant. *c. nouimus de verborum ſignificatione.*

Licitum etiam eſt Eccleſiaſticis omnibus docere Principes ſæculares pœnas legum, & eos inducere ad iuſtitiam faciendam.

Poſſet etiam Pontifex Summus dare Epiſcopo, vel alteri Eccleſiaſtico facultatem, vt per ſe exerceret iudicium ſanguinis, ſi abeſſet ſcandalum; quia tota hæc prohibitio pēdet ex iure poſitiuo humano, ſupra quod eſt Pontifex. Vide

Sotum

Sotum *de Iuſt. & iure. lib. 5. q. 1. art. 5.*

Difficultas decima-ſeptima: An liceat publicæ poteſtati alium occidere, omiſſo ordine iuris?

Caietanus *in Summulâ verb. homicidium*, dicit nõ poſſe, & peccare mortaliter Principes, qui id faciunt; Imò & illos, qui illis mandãtibus morem gerunt.

Quæ ſententia Caietani vera eſt in Principibus ſuperiorem habentibus, ſed in Summis Principibus non videtur ſemper vera. Ratio eſt, quia illi poſſunt diſpenſare in ordine iuris poſitiui, non tamen in ordine iuris naturalis; niſi fortè illud interpretando; cauſsâ legitimâ occurrente, vt docet Couar. *de ſponſalibus 2. p. c. 6. §. 9. nu. 8.*

Ex quo ſequitur Principem poſſe occultè occidere aliquem non citatum, nec auditum, quando crimen ejus eſt notorium, & aperté cõſtat eſſe morte dignum, quod notauit Nauarrus *c. 25. nu. 10.* Quia ordo iuris non eſt neceſſarius, niſi vt conſtet hominem dignum eſſé morte. Ergo, quando hoc conſtat per euidentiam, non eſt opus ordine iuris.

Nihilominus videtur verum, quod ait Caiet. *2. 2. q. 67. art. 2.* Quòd ſi huiuſmodi ſecreta executio veniret in publicum Principem debere reddere populo rationem ſui facti ad tollẽdum ſcandalum.

Difficultas decima-octaua: An liceat alium occidere in bello?

Pro reſolutione huius quæſtionis notandum, bellum non eſſe illicitum, modò ſeruentur cõditio-

ditiones requiſitæ, *ſecundum* D. *Thomam 2. 2. q 40. art.* 1. *Syluestrum verb. bellum* 1. *& alios Summiſtas:* Quod quidem verum eſt tum de bello defenſiuo, tum offenſiuo.

Dixi, *modò ſeruentur conditiones requiſitæ*; ad vtrumque enim bellum, vt licitum ſit, aliquot conditiones requiruntur.

Ad bellum defenſiuum requiruntur tres; Neceſſitas, Iuſtitia, & bona intentio. Neceſſitas, ſi alter, qui bellum infert, non vult deſiſtere; Iuſtitia, ſi ſaltem quis neſciat ſe habere cauſſam iniuſtam, & in dubio paratus ſit ſtare virorum proborum arbitrio, etiamſi non ſit omninò certus an habeat iuſtam cauſſam ſe defendēdi; Bona intentio, vt defendatur pax Reipublicæ.

In bello defenſiuo auctoritas publica non eſt neceſſaria, quia iure naturæ quilibet poteſt ſe defendere contra inuaſorem, etiamſi homo ſit priuatus, maximè cùm vrget neceſſitas, & ad ſuperiorem non eſt facilis aditus.

In bello offenſiuo tres quoque conditiones ſunt neceſſariæ; auctoritas publica, iuſta cauſſa, & recta intentio. Neceſſaria eſt auctoritas publica; quia bellum offenſiuum eſt actus iuſtitiæ vindicatiuæ, ſiue punitiuæ; punire verò non eſt niſi auctoritatem habentis. Hæc auctoritas belli indicendi, ſi cauſſa, pro qua ſuſcipitur, ſpiritualis fuerit, eſt penes Summum Pontificem, & Epiſcopos; Si cauſſa fueri ttemporalis, eſt penes eum, qui Superiorem non agnoſcit, hoc eſt, à cuius iudicio non poteſt appellari in ciuilibus: talis de iure eſt ſolus Imperator: de

conſue-

conſuetudine etiam Reges quidam, Duces, & Reſpublicæ, imo Comites, & Marchiones. *Sylueſter verb. bellum 1. & 3. q. 7.*

His prænotatis, dicendum eſt; Primò in bello iuſto licitum eſſe directè, ſiue ex intentione occidere nocentes. Vocantur hìc nocentes, qui arma gerunt contra bellum iuſtum, fouentes, vel auxilum illis præbent. Ratio eſt, quia in bello iuſto licet ea omnia facere, quæ ſunt ad defenſionem boni publici, quod eſt finis belli; ſed ad illum obtinendum, vt frequentiùs, neceſſum eſt hoſtes cædere, Ergo, &c.

Secundò, in bello iuſto licet quoque occidere innocentes indirectè. Vocantur innocentes, pueri, puellæ, mulieres, ſenes, & alij, qui non gerunt arma, etiamſi aliàs ſint à partibus hoſtium. Indirectè dicuntur occidi, quando præter intentionem occiduntur, putà quia ſunt incluſi in ciuitate, & ciuitas magnis tormentis impetitur, nec nocentes lædi poſſunt, niſi cũ illis lædãtur etiã innocentes. Ratio eadem eſt quæ ſuprà.

Tertiò, in ipſo actuali conflictu, durante pugnâ, licet in bello iuſto indifferenter omnes occidere contrà pugnantes, eâdem ſemper ratione, quia aliàs victoria obtineri non poterit, nec bonum publicum conſeruari.

Quartò, Partâ victoriâ, & rebus iam compoſitis, ſubinde ad vindicandam iniuriam acceptam, vel ad parandam maiorem ſecuritatem, licet adhuc occidere nocentes captiuos, & ſimiles: debet tamen hoc fieri auctoritate, & licentiâ Principis. Patet quoque hæc cõcluſio ex cauſſis, & fine belli.

Quintò, licitum quoque eſt occidere obſides, ſi fuerint ex numero hoſtium, & hoſtes fidem datam non ſeruârint: Sed ſi fuerint innocentes, non poſſunt occidi; poſſunt tamen pecunijs mulctari, vel carcere, vel aliter. Ratio prioris partis patet ex dictis. Poſterioris partis ratio eſt, quia iure gentium, quæ ab hoſtibus capiuntur, ſunt accipientium.

Sextò, non licet occidere innocentes, qui timentur aliquando futuri nocentes: vt ſunt pueri, & alij, qui hactenus arma non geſſerunt; Poſſunt tamen capi, incarcerari, in exilium mitti, aut etiam ad Triremes relegari. Ratio prioris partis eſt, quia innocentes non poſſunt occidi nequidem propter futurum peccatum, quod timetur. Ratio poſterioris partis, quia ſubinde non eſt alia via conſulendi paci, & ſecuritati boni publici.

Septimò, & poſtremò, non eſt licitum occidere confugientes ad templa. *c. extra de immunitate Eccleſiarum*: Et ſub pœnâ excommunicationis ferendæ, non licet auferre res, quas ad hæc loca confugientes deſerunt. *c. ſicut antiquitas 17. q. 4.* Non tamen gaudent hoc priuilegio, qui ipſis locis ſacris iniuriam inferunt per adulteria, homicidia. *c. final. de immunitate Eccleſiarum.*

Si quæras, Qui teneantur examinare an bellum iuſtum ſit, an iniuſtum? Dico in bello, de cuius iuſtitiâ dubitatur, Duces belli tenentur examinare cauſſas iuſtitiæ illius, & audire rationes aduerſariorum, num ex æquo, & bono diſceptare velint. *Franciſcus à Victoriâ relect. de iure belli nu. 21.*

Deinde ſi pro vtrâque parte ſint rationes apparentes, & probabiles, qui eſt primus in poſſeſſione legitimâ non poteſt eijci, quia in dubijs melior eſt conditio poſſidentis, *ſecundum Iuriſperitos idem nu. 27.*

Debet quoque, ſi quis dubitat de iure ſuo, etiamſi ſit poſſeſſor pacificus, examinare diligenter cauſſam, & audire pacificè rationes alterius, ſicut etiam fieri debet, quando quis incipit dubitare de veritate matrimonij ſui, vel de poſſeſſione legitimâ ſui beneficij. Ratio huius eſt, quia non poſſidet bona fide, qui in dubio negligit ſcire veritatem. Verum eſt tamen, quod ſi examinata cauſſa, dubium ſemper perſeueret, legitimus poſſeſſor cedere non teneatur, ne quidẽ in cauſſa matrimonij, *Idem Victoriâ nu. 27. & 80.*

Præter Duces belli ad idem tenentur Senatores, Conſiliarij, Doctores, & alij, qui de iure, vel conſuetudine, vel alio quouis reſpectn vocantur ad conſilium publicum, vel priuatum ipſius Ducis, in quo de belli iuſtitia diſceptatur; ferè enim fit, quod ſolus Dux ad iuſtitiam belli indagandam non ſufficit. *Victoria nu. 140.*

Qnod attinet ad milites, diſtinguendum eſt; Nam ſi ſubſint Duci, vel ab illo ſtipendia accipiant, tum pacis, tum belli tempore, poſſunt militare in bello dubio, quamdiu non conſtat cauſſam belli eſſe iniuſtam, & tenentur domino præcipienti obedire, idque tam in bello defenſiuo, quàm offenſiuo; Sicut carnifex tenetur eſſe executor ſententiæ de cuius iuſtitia dubitat.

bitat. Nam iuxta regulam iuris, quod quis facit de mandato Iudicis, dolo facere non videtur, & in bello milites ſunt executores ſententiæ Principis: in dubio quoque ſemper præſumitur legitima cauſſa in Principe, *ſecundum communem ſententiam Legiſtarum, & Canoniſtarum apud Sylueſtrum verb. bellum 1. q. 2.* Quod intelligendum eſt, niſi indicia ſint tam aperta de iniuſtitiâ belli, vt ignorantia ſubditos non excuſet, eſſet enim affectata, quia in tali caſu tenentur ſuos Superiores interrogare, an habeant iuſtam belli cauſſam, *Secundum eundem Victoriâ ſuprà.*

Si verò ſunt milites, qui non ſubſunt Duci militiæ, non poſſunt in cauſsâ dubiâ militare, quia non tenentur obedire, ſicut alij, *Caiet. verb. bellum, & communis*: Si tamen probabiliter crederent cauſſam eſſe iuſtam, licet aliqui ſcrupuli manerent, poſſent militare, quia moraliter, & practicè loquendo tales non ſunt dubij.

Ex quibus ſequitur; Primò, grauiter peccare pleroſque omnes milites noſtri temporis, qui æquè parati ſunt militare in bello iniuſto, quàm iuſto, modò parata ſit pecunia. *Caiet. verb. bellum.*

Sequitur ſecundò, peccare mortaliter, *ſecundũ Nauar. c. 27. nu. 93.* Chriſtianos illos, qui in Triremibus Turcarum, & Maurorum remigant contra Chriſtianos, à quo ne quidẽ metu mortis excuſari poſſunt, ſecundum illum.

Verum hoc dictum Nauarri quibuſdam videtur durius. Ratio eſt, quia remigatio ex ſe eſt indifferens, atque ita reſpectu Chriſtianorum non videtur mala, modò non conſentiant in

O prauum

prauum finem Turcarum, aut Maurorum, ſed ſolum intendant vitam ſuam conſeruare.

Difficultas decima-nona: An licitum ſit alium occidere in duello? Duellum vocatur pugna duorum, vel plurium, qui certo loco, & tẽpore conueniũt, vt cum periculo vitæ decertent, vt hac ratione lis ſiue criminalis, ſiue ciuilis iuſtè terminetur, iniuria repellatur, veritas indagetur.

Hoc prænotato, dicendum non licere, eſſéque omni iure prohibitum, Diuino, *Matthæi 4. c. Non tentabis Dominum Deum tuum.* Duellum enim non eſt medium ad illa idoneum. Iure Canonico *2. q. 4. c. Monomachia.* Ciuili, *c. de Gladiatoribus l. vnica, lib. 10.*

Duobus tamen caſibus licitum eſt duellum, *apud Nauar. c. 15. nu. 9. poſt Caiet. 2. 2. q. 95. ad 8. Et in Summulâ verb. duellum.*

Primò, quando Rex quiſpiam iuſtam habet belli cauſſam, ſed non audet toto exercitu cum aduerſario congredi propter nimias eius vires, poteſt petere duellum, & ſingulare certamen, & ita, ſecundum illos ſaluatur duellum Dauidis cum Goliath.

Secundò, vt cùm quis falsò accuſatus ſe interimendum præuidet, niſi duellum acceptet.

Pœna duellantium eſt conſtituta à iure Canonico, licet admodum parua, & non omnibus, ſed clericis tantum. *tit. de clericis pugnant. in duello.* eſt enim Clericus deponendus, & ſi aliquem occidit, vel mutilauit, eſt irregularis. Rurſus, ſi alium conſtituit qui loco ſuo pugnaret, & cõſtitutus alium occidat, vel mutilet, idem conſtitutus eſt irregularis, nec poteſt Epiſcopus diſ-

penſare cum ipſo, niſi ad retinendum ſimplex beneficium, quod ſufficiat vitæ ſuæ ſuſtentandę.

Nouiſſime verò Conc. Trid. *ſeſſ. 25. c. 19.* grauiores longè duellantibus pœnas conſtituit, non ſolùm Clericis, ſed cuiuſcumque generis hominibus; Primò enim Principes, Reges, Imperatores, qui admittunt huiuſmodi homines ad duellum, ſunt ipſo iure excommunicati, & ſi terras habent Eccleſiæ ſubiectas, ipſo iure priuantur eis, & ad Eccleſiam reuertuntur, vel ad proprios Dominos. Secundò, Patroni etiam ſunt ipſo iure excommunicati, & infames, & eorum bona ipſo iure proſcripta, vt quilibet illa poſſit inuadere. Tertiò duellantes ipſi eandem cum Patronis pœnam incurrunt, & qui occiduntur in duello, Eccleſiaſticâ carent ſepulturâ. Quartò, & poſtremò, ſpectantes duella ſunt quoque excommunicati, quamuis hæc excommunicatio nulli reſeruetur.

Difficultas vigeſima: An, qui caſu aliquem occidit peccet, & qualiter?

Dupliciter poteſt quis alterum caſu occidere, Commiſſione, & Omiſsione; Commiſsione, faciendo aliquid, ex quo mors præter intentionem ſequitur; Omiſsione, omittendo aliquid, quo omiſſo, mors ſimiliter ſequitur.

Hoc prænotato, reſpondendum; Primò, qui exercet aliquem actum licitum, ex quo ſequitur homicidium, tantum peccat, quantum eſt negligentiæ in non aduertendo; Si negligentia ſit grauis, erit mortale peccatum; Si leuis, veniale; ſi nulla, nullum. v. G. Nobilis aliquis in

venatione explodit bombardam, & caſu occidit viatorem; Venatio Nobili eſt licita; ſi igitur antequam exploderet bene circumſpexit, & neminem aduertit, ſi aliquem occidat nullum eſt peccatum: Si verò non circumſpexit, & via erat communis, peccat mortaliter, quia exponit ſe periculo aliquem occidendi: Si autem mediocrem circumſpectionem adhibuit, & via nō erat communis, eſt veniale; Et ita in ſimilibus.

Secundò, qui exercet actum aliquem illicitum, ex quo ſequitur homicidium, peccat iuxta grauitatē operis, etiam factâ diligentiâ. Exempli gratiâ, ſi Clericus luſu ſibi prohibito ludat, putà exercet artem digladiatoriam, vel vadit venatum; Si quem, etiam adhibitâ circumſpectione debitâ, occidit, peccat, & fit irregularis.

Limitat hanc concluſionem Sotus *lib. 5. de iuſt. & iure. q. 1. art. 9.* tunc demùm cenſeri quem homicidam, & irregularem, ſi actus illicitus, quem exercebat, erat de ſe pernicioſus, & inductiuus mortis. Hinc ſecundum illum, ſi quis conſcendat alterius arborem, & fortè cadat ex arbore ſuper puerum illic dormientem, ſi puerum occidat, etiamſi exercebat actum illicitum, non erit homicida, neque irregularis: Quia actus ille non erat de ſe inductiuus mortis pueri.

Tertiò, qui prætermittit actum, quem tenebatur de iuſtitiâ facere, ex quo ſequitur mors, tantum peccat, quantum peccatum eſt ipſa omiſſio. Hinc Principes, & alij Domini temporales, qui permittunt impune graſſari latrones, qui viatores occidunt, peccant mortaliter, ſi

non curent eos capi, vel expelli, quia eſt grauis omiſſio. Similiter Prætor, vel alius, cui ex officio incumbit noctu perluſtrare Ciuitatem, ſi occidatur aliquis, peccat mortaliter, *ſecundum communem.* Quod verum eſt, ſi illam omiſſionem habet pro conſuetudine; nam ſi ſemel, aut aliquoties non perluſtrauit, & fortè tunc occiſus eſt aliquis non videtur mortale.

Quartò, ſi quis omittit actum, quem ex charitate tenebatur facere, ex quo ſequitur mors, ſi omiſſio eſt grauis, erit mortale peccatum, ſi parua, veniale iuxta illud vulgatum D. Ambroſij; *Paſce fame morientem ſi non pauiſti, occidiſti.*

QVAESTIO SECVNDA.

Qui incurrant, vel non incurrant hunc caſum.

COgnito tam in generali, quàm in particulari, quæ occiſiones hominum ſint licitæ, quæ illicitæ, non erit difficile intelligere, qui incurrant, vel non incurrant hunc caſum.

Ex præmiſſis igitur colligitur; Primò non incurrere hunc caſum illum, qui ſe, aut alium, etiam deliberato animo voluit interficere, etiamſi arma ad id parata geſtârit, etiamſi vulnera inflixerit, aut ſe laqueo ſuſpenderit, ſed, ne ſtrangularetur, ab alio impeditus fuit. Ratio eſt, quia reſeruatio intelligenda eſt de actibus exterioribus cum effectu, *vt in priore parte docuimus*; Ergo, cùm in prænominatis caſibus actualis occiſio non fuerit ſecuta, qui illos commiſerit,

etſi mortaliter peccârit, non erit dicendus incurriſſe hunc caſum.

Imò neque ille propriè loquendo incurrit, qui ſe ipſum actu occidit, ſi in inſtanti moriatur. Ratio eſt, quia talis, ſicut à ſimplici Confeſſario abſolui non poteſt, ita neque ab Epiſcopo, neque à Summo Pontifice, cùm ſine pœnitentiâ moriatur, & finaliter impœnitens à nemine abſolui poſsit. Propriè igitur loquendo tale crimen ſoli Deo reſeruatur, non vt abſoluat, ſed vt in æternum puniat. Si verò quis ſibi vulnus letale inflixit, ex quo pòſt moritur, interiecto tempore poteſt abſolui à ſimplici Confeſſario in foro conſcientiæ propter rationem iam antè dictam.

Secundò, nec illum, qui vacans rei licitæ, adhibita ſufficienti diligentiâ ne alium occideret, præter intentionem illum occidit; Neque puerum ante vſum rationis; Neque furioſum, aut mente captum; Neque ebrium vſu rationis deſtitutum. Quorum omnium vna eſt ratio, quia tales hominum occiſiones non ſunt peccata, *vt patet*, vel certè non ſunt mortalia, quæ ſola reſeruationi ſubiacent, *vt priore parte diximus.*

Tertiò, neque illum, qui alium occidit vt vitam ſuam, aut proximi, honorem ſuum, aut proximi, aut res temporales defendat, ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ; Imò nec ſi aliquantum illud moderamen excedat, modò exceſſus non ſit mortalis. Ratio primi, quia illis caſibus alium occidere nullum eſt peccatum.

tum. Ratio ſecundi, quia venialia, *ſicut ante diximus*, non ſolent reſeruari.

Quartò, neque illum, qui publicâ auctoritate alium occidit; ſi iuſta ſubſit cauſſa. Quod verum eſt, etiamſi malâ intentione illum occidat. Ratio primi, quia illo caſu licitum eſt hominem peccatorem Reipublicæ nocentem occidere. Ratio ſecundi, quia etſi tali caſu peccet mortaliter contra charitatem, non tamen contra iuſtitiam, quod facit homicida completus, & huic caſui obnoxius.

Quintò, neque illum, qui aſcriptus militiæ iuſtæ hoſtem, aut à partibus illius ſtantes etiam innocentes occidit, ſi intendebat tantum hoſtem occidere: Quod verum eſt, etiamſi non inquiſierit de iuſtitia belli, ſed reliquerit hoc Duci, & ſuis Conſiliarijs; Imò etiam verum erit, ſi prauâ intentione ſe aſcribi militiæ petierit. Ratio primi, quia licitum eſt in bello iuſto hoſtem directè occidere, & innocētes indirectè *ſecundū prædicta.* Ratio ſecūdi, quia ſimplex miles, maximè ſi Ducis ſubditus eſt, nō tenetur examinare iuſtitiam belli. Ratio poſtremi eſt, quia etſi tali caſu peccet contra charitatem, non tamen contra iuſtitiam, quod facit completus homicida, & reſeruationi obnoxius, *vt antè monuimus.*

Sextò, è contrario ſequitur omnes illos incidere in hunc caſum, qui irâ, odio, inuidiâ, aut ſimili prauâ affectione alium priuatâ auctoritate inuadunt, & occidunt.

Septimò, & illum, qui alium prouocat ad duellum, ſi illum occidat; Non tamen incurrit,

ſi ipſe ab alio occidatur, ſed vt frequentiùs, incurrit alium, quem antè Deo reſeruatum diximus, non ad abſoluendum, ſed ad puniendum, cùm Deus ſine pœnitentiâ peccatum mortale, etiam de abſolutâ ſuâ potentiâ remittere non poſſit, cùm tacitè hoc implicet contradictionem, vt diligenter, & doctè probat Sotus contra Scotum *in 4. ſent. diſt. 15. q. 1. art. 2.*

Octauò, & illum maritum, qui vxorem in adulterio deprehenſam occidit; quamuis enim talis in foro exteriori non puniatur, in foro tamen conſcientiæ mortaliter peccat, & verè homicida eſt, *Secundum communem Theologorum in 4. diſt. 37.*

Nonò, & illum, qui mandat, conſulit, aut homicidæ auxilium fert, quia ſtatutum, quò maleficium punitur, ligat etiam mandantes, vt probat Bartholus *per c. Mulieres, de ſententiâ excommunicationis.*

Aliud dicendum eſſet, ſi Epiſcopus reſeruaret ſolum actum occidendi, quem quis per ſe mediatè, vel immediatè committeret, dicendo ſe reſeruare peccatum illius, qui alium occideret, vt fit in quibuſdam Epiſcopatibus, quia tunc reſeruatio, cùm ſit ſtrictè intelligenda, inuolueret ſolùm occidentem, non autem mandantem, vel conſulentem. *Vide Syluestrum verb. ſtatutum. nu. 2. §. 7.*

Qvaes-

QVAESTIO TERTIA.

Quæ ſunt obſeruanda circa confeſſionem, & abſolutionem homicidæ pœnitentis?

CIRCA confeſſionem plures circumſtantiæ notæ eſſe debent Confeſſario.

Prima, Qualis perſona occiditur; ſunt enim multa genera perſonarum, quæ in confeſſione neceſſariò exponi debent. Primum eſt perſonarum ſanguine coniunctarum præcipuè in gradu propinquo: Ita ſi patrem, matrem, filium, fratrem, vxorem quis occidat, non ſufficit illi dicere in confeſſione ſe hominem occidiſſe, ſed debet ſpecificare patrem, matrem. Ratio eſt, quia talis circumſtantia mutat ſpeciẽ peccati, & dicitur parricidium. Secundum genus eſt clericorum, & religioſorum: Nam tunc homicidio eſt coniuncta excommunicatio Sũmo Pontifici reſeruata. *c. ſi quis ſuadente diabolo 17. q. 4.* Vbi nota; Primò, per Clericos intelligi nõ ſolùm Sacerdotes, ſed etiam, qui habent primã tonſuram tantùm; Et per Religioſos, non ſolùm profeſſos, ſed etiam nouitios. Secundò, quamuis in hoc canone non excommunicẽtur niſi inijcientes manus violentas, tamen *in c. quantus, & c. mulieres, de ſententiâ excommunicationis*, excommunicantur etiam mandantes, conſulẽtes, & iuuantes huiuſmodi manuum injectionem. Tertium genus eſt Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Patriarcharum; Hos enim occidere, ſicut & mutilare, aut percutere, aut etiam

mandare hos actus fieri eſt prohibitum ſub excommunicatione cœnæ Domini: Quod dictum intelligit Caietanus *in Summulâ verb. excommunicatio*, de Epiſcopis conſecratis, quamuis non habeant poſſeſſionem. Nam ſi non ſint conſecrati, quamuis habeant titulum, & poſſeſſionem, prædicti actus non inducunt excommunicationem latam in Bullâ cœnæ Domini, ſed excommunicationem contra percuſſorem Clerici, *de quâ ſuprà.* Quartum genus, eſt Cardinalium eorum, qui non ſunt Epiſcopi; exercens enim aliquem actum ex ſupradictis contra tales incidit quoque in excommunicationem Papalem, *in c. fœlicis de pœnis*, ſed non in cœna Domini; Et additur ibi alius actus illicitus contra Cardinales, qui eſt, hoſtiliter illos inſequi, qui eandem inducit excommunicationem. Quintum genus eſt eorum, qui Romam vadunt ob aliqua negotia, in quibus includuntur Notarij, Procuratores, Aduocati, Iudices; Hos enim occidere, imò percutere, vel ſpoliare per ſe, vel per alium, excommunicationem cœnæ inducit. Limitat hãc excommunicationem Caietanus *ſuprà*, quando nempe occiduntur, vel percutiuntur, vel expoliantur cauſsâ illius negotij, vt ſic impediantur. Septimum genus perſonarum eſt eorum, qui vadunt Romam peregrinationis cauſsâ, vel inde reuertuntur; Hos enim ſimiliter occidere, percutere, ſpoliare inducit eandem excommunicationem cœnæ Domini.

Secunda circumſtantia eſt tempus, putà ſi homicida longo tẽpore perſtitit in volũtate occidendi,

dendi, quia tali caſu, vt frequentiùs, ſunt multæ volitiones interciſæ, & conſequenter multa noua peccata, ſingulæ enim volitiones interpolatæ ſunt peccata mortalia, & conſequenter ſigillatim confitenda: Non tamen neceſſariò erunt recenſenda mala verba, ſigna, geſtus, quæ immediate antecedunt, vel ſequuntur homicidiũ, iuxta illa, quæ vtiliter, & ſubtiliter reſoluit Nauar. *c. 6. à nu. 16. vſque ad nu. 19.*

Tertia eſt, An habuerit in homicidio ſocios; Nam ſi habuerit, & ipſe eos induxit, toties peccauit mortaliter. Inducere enim ad mortale eſt mortale, *ſecundum omnes.*

Quarta, & poſtrema eſt locus, putà an fuerit ſacer; Nam tunc mutatur ſpecies homicidij in ſacrilegium, quod multò grauius eſt.

Circa abſolutionem duo præcipuè notanda ſunt; Quis poſſit abſoluere, & modus abſoluẽdi:

Quod ad primũ attinet, Ab homicidio mẽtali, hoc eſt, quod in ſolâ voluntate conſiſtit, poteſt quilibet Cõfeſſarius abſoluere, cùm nemini reſeruetur, *per regulam Paludani aliquoties antè citatam.*

Similiter ab homicidio completo, quod fit cauſsâ neceſſariæ defenſionis ſui, aut proximi, rerum ſuarum, aut proximi cum exceſſu moderaminis inculpatæ tutelæ, qui eſt tantùm venialis, quia nemini reſeruatur, per aliam regulam, quâ priore parte docuimus venialia nemini ſolere reſeruari.

Ab homicidio etiam illo, quo publicâ fungens auctoritate malefactorem meritum mortem extremo ſupplicio afficit, ſed cũ prauâ inten-

tentio-

tentione; quia huiuſmodi homicidium, cùm ſit ſolùm contra charitatem, non verò contra iuſtitiam, *ſicuti antè diximus*, nemini quoque reſeruatur.

Ab homicidio laïci, hoc eſt, quo laïcus voluntariè, & iniuſtè occiditur, ſiue occiſio fiat per Clericum, ſiue per laïcum, non poteſt abſoluere quilibet Confeſſarius, ſed eſt opus abſolutione Epiſcopi, vel alterius eius vices in hac parte gerentis, cùm ſibi Epiſcopus illud reſeruârit.

Ab homicidio Clerici, hoc eſt, quô Clericus iniuſtè occiditur ſiue à Clerico, ſiue à Laïco non poteſt abſoluere Epiſcopus, ſed debet abſoluere Summus Pontifex, aut alius ab eo poteſtatem delegatam habens, quia illi ſeruatur propter excommunicationem tali homicidio coniunctam Summo Pontifici reſeruatam. *vt ex præcedentibus manifeſtum eſt.*

Quod attinet ad ſecundum, de modo abſoluendi; Dicendum primò, quod ante abſolutionem homicida debet pro vitâ ablatâ ſatisfacere, & omne damnum ex tali ablatione ſubſequens reſtituere, & ſi hoc ſtatim actu præſtare non poſſit, debet ſaltem ſecum hoc proponere, quum per facultates licuerit, *ſecundum communem in 4. diſt. 15.*

Secundò, homicida Clerici debet abſolui ab excommunicatione.

Tertiò, omnis homicida debet abſolui à peccatis; Poſtremò, debet cum illo diſpenſari in irregularitate; Omne enim homicidium volũtarium,

tarium, illicitum, & hoc loco reſeruatum inducit irregularitatem, iuxta illa, quæ adducit, & latè probat Syluester *verb. hom.* 3. & alij Summiſtæ *verb. Irregularitas.*

Difficultas prima: An homicida poßit ſatisfacere pro vitâ ablatâ, & quomodo, & quibus?

Videtur Nauarro quod non, pro quâ ſententiâ adducit plures leges ciuiles, *c. 15. nu. 22.* videlicet *l. liber homo. ff. ad l. Aquileam.* Quæ habet, hominem liberum nullo pretio æſtimari poſſe, *& l. finalem de his, qui deiecerint, vel offenderint*, quæ ſic habet; *Illi homini libero, qui præteriens per viam publicam percutitur re aliquâ proiectâ, aut cadente ex aliquâ feneſtrâ deberi medicationis impenſam, & ſtipendia, quæ ſanus lucri feciſſet, non autem quicquam pro deformitate, aut cicatrice inde relictâ; corpus enim liberum nullam recipit æſtimationem.*

Dicendum primò, quod licet pro vitâ, quæ eſt omnium bonorum externorum, & corporalium præſtantiſſimum, non poſſit fieri plena ſatisfactio, quod inſinuant leges à Nauarro allegatæ, poteſt tamen fieri aliqua ſatisfactio, ſeu potiùs compenſatio, vt docet D. Thomas *2. 2. q. 26. art. 2.* quem ſequitur, & latè explicat Sotus *lib. 4. de iuſtitiâ & iure, q. 6. & eſt communis omnium Theologorum.*

Secundò, ſi hæredes defuncti ſatisfactionem hanc remiſerint, ad nullam aliam reſtitutionẽ pro damno vitæ ablatæ tenebitur homicida. Ratio eſt, quia penes illos eſt ius proſequendi accuſationem vſque ad pœnam talionis, vel illam remittendi.

Niſi

Niſi fortè homicida in cauſſa fuerit, quod pro defuncto non fiant tot ſacrificia, quot ipſe pro animâ ſuâ fuerat indicturus; quia tunc, etiam ſi hæredes remitterēt compenſationem, deberet homicida proprijs orationibus, aut ſacrificijs, vel eleëmoſynis pro animâ defuncti curare fieri compenſationem; quia aliter non ſatisfieret voluntati, & intentioni occiſi.

Tertiò, quando homicida punitur pœna talionis, putà afficitur extremo ſupplicio; ſi, eo non obſtante, nolunt hæredes mortem defuncto condonare, nō tenebitur ille quicquam dare hæredibus, tenebitur tamen ſatisfacere defuncto, quantum in ſe erit per aliorum orationes, ſacrificia, & eleëmoſynas. Ratio prioris partis eſt, quia bonum vitæ ex ſe non poteſt tranſmitti ad hæredes. Ratio poſterioris eſt, quia voluntas præſumpta defuncti eſt, vt pro animâ pſius fiat compenſatio.

Si tamen occiſus aliter mandâſſet, nimirum vt filijs, & alijs pauperibus amicis ſuis pro morte ſuâ fieret compenſatio in pecuniâ, vel alijs temporalibus, ita faciendum eſſet, quia eius rationabili voluntati debet ſatisfieri.

Difficultas ſecunda: An homicida teneatur reſtituere hæredibus occiſi damna ex homicidio ſecuta?

Dicendum teneri *ſecundum omnes.*

Damna verò hæc ſunt; Imprimis ſumptus facti cum Chirurgis, & Medicis, illis tamen detractis, quos æger feciſſet in cibo, & potu ſuo ordinario, & ijs, quæ, habitâ ratione perſonæ, fuerunt ſuperflua: Deinde, operæ, quas interfectus

fectus toto tempore vitæ ſuæ potuiſſet exercere, quæ in foro exteriori, ſecundum opinionem Iuriſperitorum, debent computari ſecundum formam *l. hæreditatum. ff. ad l. falcidiam*; Verùm in foro conſcientiæ, dicendum eſt huiuſmodi computationem operarum faciendam eſſe ad arbitrium prudentis viri, habitâ ratione omniũ circumſtantiarum.

Difficultas tertia: An homicida, propter homicidium extremo ſupplicio affectus teneatur etiam ſoluere prædicta damna?

Mouet hanc difficultatẽ Nauarrus *c. 15. nu. 25.* cui reſpondet, teneri. Ratio eſt, quia ipſe homicida lege naturali, & Diuina obligabatur ad illa damna ſoluenda, antequam extremo ſupplicio afficeretur, & illud ſupplicium, quod illi in vindictam publicam irrogatur, eſt compenſatio iniuriæ Reip. illatæ, quæ non liberat à debito ſoluendorum damnorũ, quô hæredibus tenebatur.

Difficultas quarta: Si homicida in vitâ non ſatisfecerit pro damnis prædictis, tenebuntúrne in conſcientiâ illius hæredes pro illo ſatisfacere?

Dicit idem Nauarrus *ſuprà, nu. 25. ſub finem*, teneri, non ſecus ac hæredes tenentur ad ſoluenda alia eius debita.

Imò, *ſecundum illum*, tenebitur & ipſe fiſcus Principis, ſi fortè eius bona per eum confiſcata fuerint.

Difficultas quinta: An ad prædicta damna ſoluenda teneatur etiam ille homicida, qui alium occidit ſe defendendo quidem, ſed cum exceſſu moderaminis inculpatæ tutelæ, ſi exceſſus ſit mortalis?

Habet

Habet quoque hanc difficultatem Nauarr. *c.* *75. nu. 27.* Cui ſimiliter reſpondet teneri, pro qua ſententia dicit eſſe textus ſingulares in *c. ſignificaui, de pœnit. & remiſſ. & l. ſi adulterùm, §. Imperatores, ff. de adulterijs.*

Neque obſtat, quod Caietanus *2. 2. q. 44. art. 1.* & nos antè aliquoties inſinuauimus eum, qui alterum occidit in bello iuſto, vel ex iuſto Iudicis mandato, prauo animo, & intentione, licet propter iniquam intentionem peccet, non teneri tamen ad reſtitutionem; Quia in præſenti caſu, occidens alium non ſolum peccat contra charitatem ex praua intentione, ſed etiam contra iuſtitiam ex ipſomet opere exteriori.

Difficultas ſexta: An homicida teneatur reſtituere ſumptus ſepultura occiſi?

Videtur Nauarro *c. 15.* teneri; verùm, ſicut ipſemet fatetur, ſingulariter hoc aſſerit; Longè probabiliùs dicitur non teneri. Ratio eſt euidens, quia, etiamſi ille occiſus non fuiſſet, cùm neceſſum ſit omnibus ſemel mori, ad illos ſumptus ferendos tenebantur eius hæredes, niſi fortè quidam ſumptus circa occiſos fieri conſueuiſſent, qui non conſueuiſſent fieri circa alios mortuos, quod apud nos locum non habet, vbi circa illos longè minores ſumptus fieri cōſueuerunt, quàm circa alios defunctos.

Difficultas ſeptima: Quibus hæredibus facienda eſt damnorum prædictorum reſtitutio?

Dicendum hæredes duplicis eſſe generis Quidam ſunt hæredes neceſſarij, nempe qui tale habent ius, vt nequeant in totum ab hære-

ditate excludi, ſicuti ſunt vxor, filij: His tenetur homicida reſtitutionem facere ex Iuſtitiâ. Ratio eſt, quia homo eſt quoddam bonum, nō ſolùm ſuum, ſed & vxoris, & prolium, & ideò, qui hominem occidit, illis occidit.

Alij ſunt hæredes tantum ab inteſtato, *vt loquuntur Iuriſperiti*, qui non ſunt neceſſarij, vt ſunt fratres, ſorores, & inferiores cognati; His in rigore iuſtitiæ non tenetur homicida.

Hinc ſequitur, quod licet defunctus ſuâ liberalitate ipſos fortè aleret, obligatio tamen illa qualiſcumque non tranſit in homicidam.

Et licet in foro exteriori fratribus, & reliquis cognatis, qui ius habent agendi de iniuriâ, quando non ſunt magis propinqui hæredes, ſoleat, vt iram remittant, pecunia aliqua numerari, illis tamen, vt iam diximus, in foro conſcientiæ ſaltem ex debito iuſtitiæ nihil debetur.

Difficultas octaua, & poſtrema. Quis poteſt diſpenſare in irregularitate per homicidium incurſâ?

Dicendum; Primò, Summum Pontificem diſpenſare poſſe in irregularitate incurſâ per homicidium voluntarium qualitercumque perpetratum, ſicut in omnibus alijs irregularitatibus, quicquid dicant quidam Iuriſperiti. Ratio eſt, quia omnis irregularitas eſt iuris poſitiui humani, ſupra quod eſt Summus Pontifex.

Quod vſque adeò verum eſt, vt etiamſi in aliquo Concilij generalis decreto, vel Sedis Apoſtolicę deciſione diceretur homicidam talem irrecuperabiliter beneficia, & quæcumque alia Eccleſiæ priuilegia amittere, nihilominus tamē

P Papa

Habet quoque hanc difficultatem Nauarr. *c. 75. nu. 27.* Cui ſimiliter reſpondet teneri, pro qua ſententia dicit eſſe textus ſingulares in *c. ſignificaui, de pœnit. & remiſſ. & l. ſi adulterium, §. Imperatores, ff. de adulterijs.*

Neque obſtat, quod Caietanus *2. 2. q. 44. art. 1.* & nos antè aliquoties inſinuauimus eum, qui alterum occidit in bello iuſto, vel ex iuſto Iudicis mandato, prauo animo, & intentione, licet propter iniquam intentionem peccet, non teneri tamen ad reſtitutionem; Quia in præſenti caſu, occidens alium non ſolum peccat contra charitatem ex praua intentione, ſed etiam contra iuſtitiam ex ipſomet opere exteriori.

Difficultas ſexta: An homicida teneatur reſtituere ſumptus ſepultura occiſi?

Videtur Nauarro *c. 15.* teneri; verùm, ſicut ipſemet fatetur, ſingulariter hoc aſſerit; Longè probabiliùs dicitur non teneri. Ratio eſt euidens, quia, etiamſi ille occiſus non fuiſſet, cùm neceſſum ſit omnibus ſemel mori, ad illos ſumptus ferendos tenebantur eius hæredes, niſi fortè quidam ſumptus circa occiſos fieri conſueuiſſent, qui non conſueuiſſent fieri circa alios mortuos, quod apud nos locum non habet, vbi circa illos longè minores ſumptus fieri cõſueuerunt, quàm circa alios defunctos.

Difficultas ſeptima: Quibus hæredibus facienda eſt damnorum prædictorum reſtitutio?

Dicendum hæredes duplicis eſſe generis Quidam ſunt hæredes neceſſarij, nempe qui tale habent ius, vt nequeant in totum ab hæreditatẽ

ditate excludi, ſicuti ſunt vxor, filij: His tenetur homicida reſtitutionem facere ex Iuſtitiâ. Ratio eſt, quia homo eſt quoddam bonum, nõ ſolùm ſuum, ſed & vxoris, & prolium, & ideò, qui hominem occidit, illis occidit.

Alij ſunt hæredes tantum ab inteſtato, *vt loquuntur Iuriſperiti*, qui non ſunt neceſſarij, vt ſunt fratres, ſorores, & inferiores cognati; His in rigore iuſtitiæ non tenetur homicida.

Hinc ſequitur, quod licet defunctus ſuâ liberalitate ipſos fortè aleret, obligatio tamen illa qualiſcumque non tranſit in homicidam.

Et licet in foro exteriori fratribus, & reliquis cognatis, qui ius habent agendi de iniuriâ, quando non ſunt magis propinqui hæredes, ſoleat, vt iram remittant, pecunia aliqua numerari, illis tamen, vt iam diximus, in foro conſcientiæ ſaltem ex debito iuſtitiæ nihil debetur.

Difficultas octaua, & poſtrema. Quis poteſt diſpenſare in irregularitate per homicidium incurſâ?

Dicendum; Primò, Summum Pontificem diſpenſare poſſe in irregularitate incurſâ per homicidium voluntarium qualitercumque perpetratum, ſicut in omnibus alijs irregularitatibus, quicquid dicant quidam Iuriſperiti. Ratio eſt, quia omnis irregularitas eſt iuris poſitiui humani, ſupra quod eſt Summus Pontifex.

Quod vſque adeò verum eſt, vt etiamſi in aliquo Concilij generalis decreto, vel Sedis Apoſtolicę deciſione diceretur homicidam talem irrecuperabiliter beneficia, & quæcumque alia Eccleſiæ priuilegia amittere, nihilominus tamẽ

Papa diſpenſare poterit, *ſecundum communem, quam refert, & ſequitur Abbas in c. ſuper eo, de ſchiſmate, & nouiſſimè Viualdus, de irregularitate nu. 312.*

Hinc ſequitur non eſſe reſtrictam facultatem Papæ, per Conc. Trid. *ſeſſ. 14. c. 7.* vbi habetur homicidam voluntarium etiam occultum nullo tempore ad ſacros ordines promoueri poſſe, nec illi aliqua Eccleſiaſtica beneficia, etiamſi curam non habeant animarum, conferre licere, ſed omni ordine, ac beneficio, & officio Eccleſiaſtico perpetuo carere debere; Quia Concilium, ſicut non poteſt, ita non intendit ligare Papam, aut reſtringere eius facultatem.

Nota tamen hîc à Canoniſtis, & Conc. Trid. voluntarium homicidium, ſuper quo ordinariè non diſpenſat Summus Pontifex, vocari homicidium directè volitum in ſe, & in ſuâ cauſsâ propinquâ, vt annotat, & explicat Nauarrus *c. 27. nu. 24.*

Secundò, Epiſcopus poteſt diſpenſare in irregularitate incursâ per homicidium caſuale occultum, ſed non voluntarium prædicto modo acceptum etiam occultiſſimum; ſic habet Conc. Trid. *ſeſſ. 14. c. 7. & ſeſſ. 27. c. 6.* Quæ Capitula diligenter explicat Nauarrus *nu. 239.*

Tertiò, Epiſcopus poteſt diſpenſare in illo homicidio, quod quis vim vi repellendo, & ſe defendendo committit, etiamſi excedat aliquo modo moderamen inculpatæ tutelæ, *Idem. Conc. ſupra ſeſſ. 14. c. 7.* his verbis, *Si verò homicidium non ex propoſito, ſed caſu, & vim vi repellendo, vt quis ſe à morte defenderet ſuiſſe commiſſum narretur (quam ob cauſſam*

etiam

etiam ad Sacrorum ordinum, & Altaris miniſterium, & beneficia quæcumque, ac dignitates iure quodammodo diſpenſatio debeatur) committatur loci ordinario, aut ex cauſsâ Metropolitano, ſeu viciniori Epiſcopo, qui non, niſi cauſsâ cognitâ, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter diſpenſare poſſit. Quæ verba clarè explicat Nauarrus loco ſuprà allegato.

Ex quibus ſequitur; Primò Epiſcopum diſpenſare poſſe cum illo, qui percuſſit mulierem prægnantem ita leuiter, vt ex naturâ percuſsionis non debuerit ſequi aborſus.

Sequitur ſecundò ſecundum quoſdam, Epiſcopum poſſe etiam diſpenſare in irregularitate incursâ per homicidium licitum ex defectu lenitatis, *de quo Nauar. ſupra nu. 266.* Ratio eſt, quia tale homicidium non poteſt dici hoc loco voluntarium, cùm non ſit illicitum. In quâ tamen reſolutione Nauarrus videtur ſibi ipſi contrarius ſupra *nu. 194. & 218.*

Tertiò, Superior ordinum mendicantium, & alij, qui iiſdem gaudent priuilegijs, vt ſunt Superiores Societatis Ieſu, poſſunt cum ſuis Religioſis diſpenſare in omni irregularitate, exceptâ illâ, quæ eſt ex homicidio voluntario; *Ita habetur in compendio priuilegiorum verb. diſpenſatio.* Vnde infertur primò, poſſe illos diſpenſare in irregularitate incursâ per homicidium licitum, putà Iudicis in cauſsâ ſanguinis, vel militis in iuſto bello alium occidentis, quicquid quidam contradicant: Ita definitum fuiſſe Romæ in ſacrâ pœnitentiariâ refert Vitaldus, *de irregularitate nu. 338.* Ratio eadem eſt, quæ ſuprà,

quia hæ irregularitates non proueniunt ex homicidio voluntario, de quo hîc agimus, *vt patet*.

Secundò, infertur Superiores eorundem ordinum, poſſe diſpenſare in irregularitate contractâ per homicidium caſuale, etiam culpabile, imò & mortale, per eandem rationem; Quod aſſerit Couar. *de homicidio, p. 2. §. 3. in fine*.

Poſtremò, in memoriam reuocandum eſt, quod in priore parte diximus, nimirum eum, qui habet facultatem abſoluendi ab omnibus caſibus, & pœnis per Iubilea, Bullas, & ſimiles gratias, non habere facultatem diſpenſandi in irregularitate, niſi id expreſsè dicatur; Imò ſecundum pleroſque omnes, quando in Iubileo, vel Bullâ conceditur facultas diſpenſandi in omni irregularitate, non intelligitur illa, quæ eſt ex homicidio voluntario, quia *vt ibidem annotauimus*, in generali conceſſione non cenſetur concedi illa, quæ Papa ſolet ſpecialiter ſibi reſeruare.

CAPVT QVARTVM.

De iniectione manus in parentes quarto caſu reſeruato.

QVAESTIO PRIMA.

Quid nomine Parentum, deinde quid nomine manus hoc loco intelligitur?

QVOD ad primum attinet, nomine Parentum, apud D. Thomam *2. 2. q. 110. art. 1.* generaliter intelliguntur omnes conſangui-

ſanguinei, qui ex iiſdem parentibus proceſſerunt. quomodo accipit & Philoſophus *lib. 8. Ethicorum c. 8.* quando oſtendit pietatem eſſe virtutem, quâ cultum patriæ, & parentibus exhibemus; Verùm hoc loco propriè nomine parentum ſolùm intelliguntur Pater, & Mater; Deinde Auus, & Auia, proauus, proauia, & conſequenter omnes ſuperiores. *l. appellatione parentum ff. de verborum ſignificationibus*; Ita tamen vt nomine patris, & matris, aui, auiæ, non ſolùm mei, ſed & vxoris meæ intelligantur; Præterea vt nomine patris vitricus, & nomine matris nouerca veniat.

Non obſtat caſus ſtrictè eſſe interpretandos, non poſſe igitur nomine parentum intelligi omnes ſuperiores conſanguineos, cum iuxta *l. Iuriſconſultus §. parentes ff. de gradibus*, appellatione parentum veniant ſolùm ſuperiores cognati vſque ad tritauos; Minùs quoque poſſe intelligi vitricum, & nouercam, cùm propriè loquendo parentes non ſint; Hæc, inquam, non obſtant, quia reſponderi poteſt in hoc caſu honeſtatis ſeruandæ cauſsâ, cuius maxima erga parentes habenda eſt ratio, fieri poſſe extenſionem argumento eorum, quæ dicit Iaſon *in l. prætor ait ff. de in ius vocando.* Vbi inquit, quod licet parentum appellatione veniant maiores tantùm vſque ad tritauum, tamen in caſu illius legis non licere vocare in ius parentes in infinitum ſine licentiâ cauſsâ honeſtatis ſeruandæ ſic in hoc caſu, vt honor parentibus debitus ſeruetur, inijciēs manus in parentes ſuperiores vſque in infinitum,

& in eos qui proximè eorum locum tenent, & officio funguntur, vt ſunt vitricus, & nouerca, dici debet ſubiacere huic caſui.

Ad ſecundum, Dicendum nomine manus intelligi etiam pedes, brachia, genua, & alias quaſlibet corporis partes: non enim exprimitur manus, vt excludantur reliqua membra, ſed quia eſt inſtrumentum aptius ad percutiendum, & lædendum, & ita nomine manus intelliguntur omnes corporis partes, *per illa, quæ habet Nauarrus c. 27. nu. 77. Et Caiet. verb. excommunicatio c. 10. notabili 1.*

Nomine verò, iniectionis, de quâ loquitur etiam reſeruatio, venit non ſolùm percuſſio immediata, quæ fit manu, pede; aut mediata, quæ fit inſtrumento aliquo, vt enſe, baculo, lapide; Sed quæcumque alia realis iniuria in eos commiſſa, putà aſperſio aquæ, pulueris, ſaliuæ, aut iniurioſa per veſtem retentio, violenta acceptio rei alicuius ex manibus eorum, retentio iniurioſa fugientium, ſimiliter captio, aut incarceratio eorum, *argum. eorum quæ habent Nauar. & Caiet. ſuprà.*

Dixi *realis iniuria*, quia ſi quis per metum verbo tantum incuſſum, aut per minas cogat parentes ſibi aliquid dare, modò non tangat illos, veſtes illorum, aut alia illis adhærentia, non videretur inijcere manus in parentes ad effectum ſaltem incurrendi hunc caſum, quamuis bene ad peccandum mortaliter.

Qvaes-

QVAESTIO SECVNDA.

Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum?

EX præmiſſis ſequitur; Primò, non incurrere hunc caſum, qui ex ignorantiâ probabili percutit parentes ignorans eſſe parentes.

Secundò, neque illum, qui inijcit manus in illos ludendo, vel iocando, etiamſi fiat aliquis exceſſus, modò non ſit mortalis.

Tertiò, neque illum, qui inijcit manus in Patrem ſæuientem, & ſibi mortem intentantem adhibito moderamine inculpatæ tutelæ, hoc eſt, vt non aliud agat in Patrem, quàm quod neceſſarium eſt ad euitandam mortem ſibi intentatam.

Quartò, neque illum, qui inijcit manus in parentes, vt illos à delinquendo arceat, vel ab inimicis eripiat, vel ſimili incommodo præſeruet, *Argumento c. ipſa pietas 23. q. 4.*

Quintò, neque illum, qui Patri enſem è manu eripit, aut ab equo deijcit, quo ſe enſe, aut fugâ contra inuadentem tueatur.

Sextò, neque illum, qui ex ſubitâ paſſione, & abſque perfectâ deliberatione manus in parẽtes inijciet, ita quod, aduertens quid faciat, ſtatim retrahit manũ, vt fieri ſolet in primis motibus.

Septimò, neque illum, qui volens arcere turbam, patrem in turbâ proijcit in terram; Horum omnium, & ſimilem caſuum vna eſt ratio, quia prædictæ iniectiones, ſiue percuſſiones non ſunt peccata, aut certè non ſunt mortalia, qua-

lia ſola ſunt reſeruationi obnoxia.

Octauò, neque illum, qui verbis iniurioſis, & maledictis parentes contriſtat, & affligit, & ſubinde verbera minatur, ſi illa non ſequantur, quamuis peccet mortaliter, *ſecundum omnes*; quia reſeruatio, *vt in priore parte docuimus*, intelligenda eſt de actibus exterioribus cum effectu.

Nonò, neque illum, qui fratrem, aut cognatos inferiores etiam iniuriosè, & mortaliter percutit, quia non inijcit manus in parentes, *per dicta in priore quaſtione.*

Decimò, è contrario ſequitur incurrere in hunc caſum illum, qui in Patrem, Matrem, Auum, aut aliquem ex ſuperioribus iniuriosè quocumque modo ex ſupradictis, in præcedente quæſtione, manus inijcit;

Quod verum eſt, etiamſi illi ſint meriti, quia non eſt filij cædere parentes etiam meritos;

Verum eſt quoque, etiamſi leuiter tantùm, modò tamen animo iniurioſo percutiat parentes, *per ea quæ habet Nauarrus c. 14. nu. 13. poſt Richardum in 3. q. 37.*

Vndecimò, & poſtremò, & illum, qui mandat, conſulit, adiuuat parentem ſuum percuti, quia, *ſicuti ſuperiori capite annotauimus*, ſtatutum, quod maleficium punit, ligat etiam mandātes, vt probat Bartholus *in c. mulieres de ſententiâ excōmunicationis* Secus eſſet dicendum, ſi reſeruatio ſic haberet, ſi quis injecerit manus in parentes, quia tunc ſolùm is, qui inijceret, non autē qui mandaret, hunc caſum incurreret.

QVAESTIO TERTIA.

Quæ obſeruanda circa confeſſionem, & abſolutionem inijcientis manus in parentes?

CIrca confeſſionem aduertendum, quod confitenti hunc caſum, non ſufficit dicere ſe hominem percuſſiſſe, ſed debet ſpecificare, Patrem, Matrem, Auum, Auiam, quia illa circumſtantia mutat ſpeciem peccati. *D. Thom. 1. 2. q. 76. art. 3.* atque ita neceſſariò confitenda, *ſecundum omnes in 4.*

Circa abſolutionem ſciendum, non eſſe neceſſariũ diſtinguere inter leuem, mediocrem, aut enormem injectionem (ſicut faciunt Doctores ſuper Canonem, *Si quis ſuadẽte Diabolo, &c.* Vbi notant Summum Pontificem abſoluere ab enormi, Epiſcopum verò à leui) quia Epiſcopus, & qui eius facultates habet, poteſt abſoluere à quacumque injectione manus in parentes, ſiue fuerit leuis, ſiue mediocris, ſiue enormis, etiam ſæpiùs iterata. Ratio eſt euidẽs, quia nuſquam legitur Summo Pontifici reſeruata.

Quare cautè legendum eſt Sacerdotale Diœceſis Rhemenſis anno 1585. Rhemis impreſſum. *Rubricâ de caſibus S. D. N. Papæ reſeruatis*, vbi, pluribus caſibus enumeratis, qui Summo Pontifici reſeruantur, ſubijcit; *Si quis Patrem, vel Matrem ſciens, & volens percuſſerit; Nam ſi ex caſu crimen tantum Epiſcopale committit.* Cautè, inquam, legendũ eſt, quia vtraque percuſſio tam volũtaria, quàm caſualis, ſi fuerit dolo coniuncta, Epiſcopo reſerua-

ſeruatur.

Circumferuntur etiam quidam vulgati verſus in libello, qui Hortulus animæ inſcribitur, & alibi impreſſi, qui inter caſus Papæ reſeruatos enumerant percuſſionem parentum, ſed *vt diximus*, ſine fundamento, quia nullus eſt caſus Summo Pontifici reſeruatus, niſi propter cenſuram annexam illi reſeruatam, *vt ex Caiet. & communi in priore parte antè diximus*, qualis nulla legitur huic caſui annexa.

CAPVT QVINTVM.

De machinatione in mortem coniugis quinto caſu reſeruato.

QVAESTIO PRIMA.

Quid nomine machinationis hoc loco intelligitur?

MAchinatio ſignificat actum ipſum machinandi, hoc eſt aliquid ingenioſè, arte, & manu fabricandi; Cui Vlpianus *in l. ſi vt verò. §. ſed interdum*, eleganter opponit de plano opus aliquod facere; Et in machinatione non tam materiæ, quàm ingenij, atque artis haberi debet ratio, *ſecundum eundem.*

Machinatio ſubinde in bonam partem accipitur, vt apud Ciceronem, *de diuinatione lib. 2.* vbi ſic ait: *Nam primum aliæ mares, aliæ fœminæ ſunt, quod perpetuitatis cauſsâ Natura machinata eſt.* Frequētiùs tamē, & magis propriè in malam partem vſurpatur,

patur, vt machinari ſit idem, quod dolo, atque aſtutiâ aliquid inuenire, & fabricare; Quá in ſignificatione hoc loco accipitur.

Quare machinari in mortem coniugis nihil aliud eſt, quàm dolo, atque aſtutiâ aliquid facere, quô mors coniugi inferatur; Quod eſſe peccatum mortale, illudque grauiſſimum ex ſuperioribus, & præcipuè ijs, quæ 3. c. huius poſterioris partis diximus, facile colligere eſt.

QVAESTIO SECVNDA.

Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum?

EX prædictis ſequitur; Primò, non incurrere hunc caſum maritum illum, qui multa voluit animo in mortem vxoris, ſi voluntas in nullum opus externum prodeat, tum, quia non machinatur propriè, *vt priore quæſtione patet*, tum, quia ſi hoc machinari eſſet, machinatio mentalis reſeruationi ſubiacere non poteſt, *argumento eorum, quæ in priore parte, & in prioribus capitibus huius partis aliquoties diximus.*

Secundò, neque illum, qui vxorem immoderatè verberat, licet grauiter peccet, imò nec qui ſtricto gladio percutit, etiamſi graue vulnus infligat; Incurreret tamen, ſi gladium, pugionem, aut ſimile inſtrumentum ſub ceruicali abſconderet, quo illam iugularet, etiamſi iugulum eius non peteret. Ratio prioris partis eſt, quia, qui ſic verberat, propriè loquendo non machinatur in mortem coniugis, non enim dolo, atque aſtutiâ, ſed potiùs de plano cũ con-

coniuge agit, quod machinationi opponi ſuprà ex Vlpiano diximus. Ratio poſterioris partis, quia hoc eſt propriè in mortem machinari, *vt patet.*

Tertiò, neque coniugem illum, qui vxorem ad caſtra militum deducit prætextu quidẽ merces vendendi, animo verò turpem quæſtum ex eius corpore faciendi, ſi forte illa in itinere, aut caſtris occidatur. Ratio eſt, quia licet machinetur, non tamen in mortem, ſed in quæſtum ex turpi actu corporis eius corradendum, ratione cuius præter intentionem mors vxoris accidit.

Quartò, neque illum, qui varijs artibus conatus fuit enecare illam, quam coram proprio Parocho, & teſtibus in coniugem accepit, verùm nemine, præter ipſum, conſcio, illius ſororem prius fornicariè cognouit. Ratio eſt, quia licet machinetur in mortem, non tamen coniugis, obſtante impedimento affinitatis in primo gradu ex coitu fornicario contracto, quod matrimonium dirimit. *c. non debet, de conſanguinitate, & affinitate, & Conc. Trid. ſeß. 24. de reformatione,* quatenus affinitatem ex illicitâ copulâ dicit contrahi, & impedire, & dirimere matrimonium ſaltem in primo & ſecundo gradu.

Quintò, è contrario ſequitur incurrere illũ, qui vxorem rixoſam, & frequentiùs ad blaſphemandum Deum ipſum prouocantem cogit peregrinari, & loca periculoſa adire, quò à latronibus interimatur, quia etſi illa grauiter peccet etiam mortaliter, ſi ſciens, aut ſcire debens maritum ad blaſphemãdum prouocatum iri,

iri, non abſtineat, *ſecundum omnes*; Non tamen propterea ab hoc caſu incurrendo maritus excuſatur, cùm ſit alia ratio vxorem corrigendi.

Sextò, & ipſum, qui vxorem valetudinariam continuis iurgijs, & contentionibus moleſtat, quò mors eius acceleretur.

Neque obſtat, quod nihil machinari videatur, quia *ſecundum Vlpianum ſuprà*, in machinatione non tam habenda eſt ratio materiæ ipſius, quàm artis, & doli; Cùm igitur iurgia, & verba contentioſa artificiosè ordinentur in mortem coniugis, ſufficienter machinari dicitur ad incurrendum hunc caſum.

Septimò, & poſtremô, extendi debere hunc caſum, vt etiam incurrant illum, qui præcipiunt, conſulunt, aut quoquomodo auxilio ſunt, vt quis in mortem coniugis machinetur, propter rationem, quam in ſuperioribus caſibus aliquoties allegauimus.

Nota, quod quàmuis de marito incurrente, vel non incurrente hunc caſum tantum mentio fuerit, idem per omnia iudicandum de vxore, cùm reſeruatio indifferenter de vtroque loquatur.

QVAESTIO TERTIA.

Quæ ſunt obſeruanda circa confeſſionem, & abſolutionem machinationis in mortem coniugis?

CIrca Confeſſionem obſeruanda eſt vna circumſtantia, quô fine quis machinetur in mortem coniugis; Si enim maritus machina-

chinatur in mortem vxoris, vt cum alia (quæ ſimiliter ad eundem finem machinatur) contrahat, & vxoricidium ſequatur, naſcitur impedimentum, quod matrimonium non ſolùm impedit contrahendum, ſed etiam dirimit contractum. *c. relatum 31. q. 1. c ſuper hoc, & c. propoſitum, de eo. qui duxit in matrimonium, &c.*

Addidi ſupra, *quæ ſimiliter ad eundem finem machinatur,* quia ſi maritus ſolus machinetur, illâ inſciâ, cum quâ vult poſtmodum contrahere, naſcitur impedimentum ſolùm impediens contrahendum, ſed non dirimens contractum. *c. admonere 33. q. 2. & communis in 4. ſent. diſt. 37.*

Similiter ſi vxor machinetur in mortem mariti, vt cum alio contrahat, ſi ille in eandem mortem conſpiret, naſcetur impedimentum dirimens cõtractum; Si verò ſola vxor machinetur, illo, cum quo vult nubere, ignorante, naſcitur ſolùm impedimentum impediens cõtrahendum, *ſecundum Nauar. c. 22. poſt Paludanum in 4. diſt. 24.*

Non obſtat, quod iura loquantur tantùm de marito, & quod pœnæ non debeant extendi vltra ſuum caſum, *c. pœna, de pœnit. diſt. 2.* Quia reſponderi poteſt, regulam illam iuris falli in correlatiuis, in quibus eadem ratio, idem ius ſuadet, eadem imò maior ratio ſuadet idem dicendum in vxore, quod in marito, *vt annotârunt Sotus in 4. diſt. 37. & Nauar. capite 22. nu. 74.*

Circa abſolutionem obſeruandum; Primò, machinatorem non poſſe abſolui, niſi omnes machinas in mortem coniugis paratas ſemo-

neat

ueat.

Poterit tamen abſolui malefica, quæ maritum maleficio intoxicauit abſque amotione maleficij, ſi maleficium non poſſit tolli niſi alio maleficio, quia non licet maleficium maleficio tollere, *ſecundum communem, & nos infra latiùs explicabimus.*

Secundò, obſeruandum, ſi ex machinatione mariti mors vxoris ſequatur, illum incurrere irregularitatem, *ſecundum Anton. 3. p. tit. 29. c. 2. Summam Confeſſorum de homicidio, q. 11. Tabienam verb. Irregularitas 3. nu. 12.* Ratio eſt, quia ſecundum prædictos Doctores, non ſolùm incurritur irregularitas ex homicidio, quod fit vi extrinſecâ, & apertâ, percutiendo, præcipitando, ſuffocando, vel vulnerando; verumetiam ex eo, quod quis committit quouis ingenio, aut arte mortis cauſam præbente; *Quod etiam annotauit Maiolus lib. 5. de irregularitatibus c. 48 §. 1. nu. 3.*

Quare ſi ſacris initiari volet, neceſſariò cum eo diſpenſari debebit, quæ diſpenſatio non niſi à Summo Pontifice obtineri poterit, per illa, quæ habet Conc. Trid. *ſeſſ 14. de reformat. c. 5. ſub finem. Et nos ſuprà c. 3. q. 3. diffic. 8. annotauimus.*

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

De veneficio ſexto caſu reſeruato.

QVAESTIO PRIMA.
Quid Veneficium?

DVo ſignificat; Aliquando enim accipitur pro crimine illo, quô quis alium veneno necat, aut eius valetudinem offendit: aliquando pro certâ ſuperſtitionis ſpecie, quæ etiam maleficium appellatur. In vtraque ſignificatione reſeruationi ſubjacet. Quod ad priorem attinet, hoc loco reſeruatur quoad poſteriorem proximè ſequenti, vt ibi fiet manifeſtum.

Venenum, à quo veneficium venit, vocabulum medium eſt, quod tam in bonam, quàm in malam partem ſumi poteſt, quemadmodum & pharmacum apud Græcos; Vtrumque enim generale eſt ad ea omnia, quæ naturam eius, cui ipſa admouentur ſiue benè, ſiue malè immutare poſſunt. Qui igitur venenum dicit (inquit Canus Iuriſconſultus *de verborum ſignificationibus*) adijcere debet vtrum bonum, an malum: Hodie tamen venenum vix aliter, quàm in malam partem accipitur, vt idem ſit quod δηλητήριον græcè, hoc eſt pharmacum mortiferum, aut noxium, ſic dictum à Græco verbo δηλέω, quod eſt lædo, ſiue noceo.

Venenum apud medicos triplicis eſt generis, vt re-

vt refert Damhouderius in ſuâ practicâ criminali gallicâ *c. 74. nu. 3. 4. 5. 6.* Primum, quod in ſe quidem malum eſt, ſed quibuſdam alijs commixtum ſit bonum, & vtile. Secundum, quod in ſe malum eſt, & nullo pacto bonum fieri poteſt, aut vtile. Tertium, quod naturâ ſuâ non eſt malum, ſed arte, & certâ commixione fit noxium, & mortiferum.

Præterea ſecundum eundem, venenorum quædam citò necant, aut offendunt, quædam non ſtatim, ſed interiecto quodam tempore, multorum ſubinde dierum, imò menſium, & annorum; Quæ noſtro propoſito ſufficiunt, quia diligentior horum tractatio ad Medicos corporis potiùs ſpectat.

QVAESTIO SECVNDA.

Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum?

EX præmiſſis ſequitur, Primò, non incurrere hunc caſum Pharmacopolam illum, qui venenum primi generis domi habet; Imò nec qui ſecundi, aut tertij, ſi nemo lædatur, aut occidatur, quamuis peccet mortaliter, ſi prauo fine habeat, aut ſine cautelâ tali, quâ ſibi probabiliter perſuadere poſſit neminem lædendum; *per illa, quæ habet Sylueſter verb. art. q. 3. Et D. Thom. 2. 2. q. 169.* Ratio prioris partis eſt, quia reſeruatio intelligitur de actibus exterioribus cum effectu. *Hâc de re vide Damhouderium ſupra, nu. 7.* quô loco bene notat venenum proximi generis à Pharmacopolis haberi, & vendi poſſe, ſiue

ſimplex, ſiue miſtum, hac cautela adhibita, vt illud non vendatur niſi nomine, & cognomine deſcripto illius, qui illud comparat, vt ſi contingat inquiſitionem fieri, deprehendi poſsit, qui veneficium commiſerit: Sed hæc ſeruiunt magis foro exteriori.

Secundò, neque illum, qui venenum comparauit, quo inimicum intoxicaret, ſed pœnitentia ductus, aut impeditus, aut aliàs non auſus venenum nemini propinauit, *per prædicta.*

Tertiò, neque illum, qui alteri venenum propinauit, ſed nulla eſt ſecuta corporis læſio, *per eandem ſemper regulam*, incurriſſet tamen, ſi venenum propinatum ad mortem inferendam, mortem quidem non intuliſſet, ſed aliam læſionem, putà gibboſitatem membrorum, mutilationem, amentiam, cæcitatem, aut aliquam aliam ſimilem; Imò etiam incurriſſet, ſi venenum nullam quidem ſimilem læſionem attuliſſet, ſed illud contrarijs medicamentis pelli debuiſſet, ſi valetudinis diminutio, aut alia corporis grauis moleſtia, & debilitas ſecuta ſit, *vt patet.*

Quartò, nec illum, qui exiſtimans ſe propinare alteri purum vinum propinat veneno mixtum, etiamſi ſequatur mors, aut alia quædam grauis læſio, quia nullum hîc reperitur veneficium, niſi materialiter loquendo.

Quintò, neque illum, qui ſumit, aut alijs ſumendum proponit venenum ad experiendam theriacam, ſi nulla læſio corporalis ſequatur, vt patet; Imò nec peccat mortaliter, ſi qui illam compoſuit pro homine legali habeatur, &

& quod eam è conſilio inſignium Medicorum, ſolito de more, iuxta præcepta medicinæ compoſuerit, & quod, iam facto in aliquo bruto animali periculo, vt fieri ſolet, virtus eius comprobata ſit, quodque tam qui dat, quàm qui ſumit venenum, credit theriacam eſſe talem, qualis eſſe debet prædicto modo compoſita, & nullum ſubeſſe mortis, aut alterius notabilis damni corporalis periculum, *ſecundum opinionem Nauarri c. 15. nu. 6. ſub finem.*

Sextò, è contrario ſequitur incurrere hunc caſum illum, qui veneno, aut herbis venenatis, vt cicutâ, ſalmandriâ, aconito, pintuocarpo, bobuſtro, mandragora, cantaride, & alijs (*de quibus fit mentio in l. 3. §. adiectio ff. ad l. Corneliam de Sicariis, & Veneficiis, & lib. 24. naturalis historia Plinij, c 17,*) alium enecat, aut eius valetudinem lædit.

Septimò, & illum, qui ægroto rem aliquam præbet, quam ſcit notabiliter nocituram, ſi talis læſio ſequitur, etiamſi ob miſericordiam, aut, vt ægroto placeat, illam præbeat. *iuxta c. tua de homicidio, & ibi annotata per Panor. Imò & alios*; Imò videtur incurrere & ille, qui dubitans de aliquo medicamento an ſit notabiliter nociuum præbet illud, ſi notabile nocumentum ſequatur.

Dixi *notabiliter nociuum*, quia fieri poteſt, vt neque intendatur, neque ſequatur læſio notabilis, ſed exigua, quæ tantum eſſet venialis, qualis non ſubiaceret reſeruationi.

Octauò, & illum pharmacopolam, qui medicamenta corrupta vendit, quæ ſcit, aut ſcire debet potiùs nocumentum, quàm adiumentum ægrotis allatura, ſi ex eorum ſumptione graues læſiones ſequantur.

Sic videntur incurrere & tabernarij, macellarij, & ſimiles, qui vinum, cereuiſiam, carnes & ſimilia ſubinde ita corrupta vendunt, vt probabiliter ſciant, aut ſcire debeant graues corporis ægritudines ſecuturas, ſi illæ ſequantur; Non ita, ſi probabiliter ſciant læſiones tales minimè ſecuturas, aut non niſi exiguas.

QVAESTIO TERTIA.

Quæ obſeruanda circa confeßionem, & abſolutionem venefici pœnitentis?

PRimò obſeruandum, quod veneficus pœnitens vel accedit ad confeſsionem, ſecutâ iam morte, vel aliquâ aliâ graui læſione, quam alteri veneno intulit; vel quando adhuc negotium eſt integrum, vel in fieri: hoc eſt, quando venenum necdum aliquam læſionem operatum eſt, ſed poſt aliquantum temporis operari debet. Si in primo caſu, impoſitâ debitâ pœnitentiâ, & debitâ factâ reſtitutione debet abſolui; Si in ſecundo caſu minimè eſt abſoluendus, donec quocumque modo licito procuret malo venturo obuiare ex conſilio docti, & prudentis Confeſſarij.

Quod noto, ne propter ignorantiam, aut imprudentiã Confeſſarij ſequatur grauis error vene-

veneficium fortè manifeſtando, ſi, vt communiter fieri ſolet, eſt occultum, ex quâ manifeſtatione pœna mortis in foro exteriori ſequeretur.

Secundò, animaduertẽdum veneficum obligari ad reſtitutionem omnium damnorum; quare ſine præuiâ ſatisfactione, aut, ſi nõ poſsit illam præſtare, ſine præuiâ ad minus iuratoria cautione de ſatisfaciendo, abſolui non debet, *vt ante aliquoties, in ſimili diximus.*

Tertiò, ſi veneficus Clericum, aut Monachum veneno necauit, aut quocumque modo læſit, incurrere excommunicationem Canonis, *Si quis ſuadente diabolo, &c.* à quâ ante omnia abſolui debet.

Quartò, veneficum, qui mortis, aut mutilationis cauſſam dedit, eſſe irregularem, *per c. de cætero, & c. Presbyterum, & c. audientiam, de homicidio,* in qua irregularitate debet cum illo diſpenſari, *iuxta illa quæ ſuprà diximus, & maximè 3. c. ſub finem.*

CAPVT SEPTIMVM.

De maleficio, ſeptimo caſu reſeruato.

QVAESTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex maleficium?

MAleficium generaliter apud antiquiores Iuriſperitos, & leges, accipitur pro omni crimine: Propriè, & vt hoc loco ſumitur, maleficium eſt ſuperſtitio, qua quis alteri nocet. *Vide Binsfeldium tractatu de confeßionibus male-*

maleficiorum, & ſagarum præludio 1. Et quia in maleficio fere res aliquæ, ſigna, & characteres adhibentur, ipſæ res, & ſigna ſubinde etiam maleficium appellantur, vt cùm quæritur, vtrum maleficium maleficio tolli poſſit.

Pro pleniori ergo intellectu huius caſus, ſciendum eſt, quod ſuperſtitio eſt peccatum religioni oppoſitum per exceſſum; in quantum diuinum cultum exhibet, vel cui non debet, vel eo modo, quô non debet, *vt docet D. Thomas 2. 2. q. 92.*

Superſtitionis duæ ſunt ſpecies ſubalternæ, vna exhibet diuinum cultũ Deo vero, ſed modo indebito: Quæ propterea à Doctoribus vocatur ſuperſtitio indebiti cultus. Altèra exhibet diuinum cultum ei, cui non debet; Et ideò vocatur ſuperſtitio falſi cultus.

Poſterior ſubdiuiditur in alias tres ſpecies, quæ diſtinguuntur ſecundum diuerſos fines diuini cultus: Ordinatur enim primò diuinus cultus ad reuerentiam Deo exhibendam, vnde oritur prima ſpecies Idololatria, quæ diuinam reuerentiam exhibet creaturæ. Secundò ordinatur ad hoc, vt homo inſtituatur à Deo, quem colit, vnde naſcitur ſecunda ſpecies, ſuperſtitio diuinatiua; quæ dæmones conſulit per aliqua pacta cum illis inita. Tertiò ordinatur diuinus cultus ad quandam directionem humanarum actionum, ſecundum leges, & inſtituta Dei, qui colitur, vnde naſcitur tertia ſpecies, quæ vocatur obſeruantia, ſiue ſuperſtitio obſeruationum; Ad quam ſpeciem pertinent malefi-

cium,

cium, & incantatio, de quibus hoc capite, & ſequenti agendum eſt.

Eſt ergo maleficium hoc loco ſuperſtitio falſi cultus, per quam maleficus, pacto quodam inito cum dæmone, actiones ſuas ſecũdum præſcripta eius dirigit, modos, & rationem ab illo petens, quibus alium in anima, corpore, famâ, honore, rebus fortunæ, & alijs quibuſcumque lædere, & offendere poſſit.

Pactum cum dæmone initur dupliciter; Expreſsè, vel tacite. Expreſsè rurſus duobus modis; Cum ſolennitate, & ſine ſolennitate. Cum ſolennitate fit pactum cum dæmone, cùm ille inſtar cuiuſdam ſummi Monarchæ in viſibili formâ apparet, & ſedens in ſolio, conuocat magnam multitudinem dæmonum, quaſi vaſallorum, coram quibus vtrimque fiunt promiſſiones; homo promittit ſe negare Deum, eiusque Sacramenta, præcipuè Euchariſtiam, promittit quoque ſe Sanctis omnibus iniurium futurum, & præcipuè Beatæ Mariæ virgini, auerſaturum eſſe ſignum crucis, resque omnes cæremonijs, & precibus Eccleſiæ conſecratas, vt aquam benedictam; promittit etiam ſe Sacerdoti nunquã integre confeſſurum, præcipuè taciturum hoc pactum; Dæmon contrà promittit ſe votis eius per omnia ſatisfacturũ, *vt videre eſt apud Alphonſum à Caſtro, lib. 1. de punitione hæreticorum c. 14. & 16. Et apud Sprèngerum in malleo maleficarum p. 2. q. 2. c. 2.*

Rurſus ſine ſolennitate fit dupliciter; Primò, cùm quis ſolus cum dæmone ſolo pactum præfatum init. Secundò, cùm quis non audens

coram dæmone comparere, idem promittit per tertiam perſonam, putà alium maleficum.

Rurſus tacitè fit duobus modis ſcienter, vel ignoranter; Scienter, vt ſi quis habens libros maleficorum illos legit, & vtitur ſignis ſuperſtitioſis, quæ didicit ex illis libris; Ignoranter, vt ſi quis vtatur ſignis ſuperſtitioſis, ſed neſcit eſſe ſuperſtitioſa.

Qui init pactum expreſsè, ſiue cum ſolennitate, ſiue ſine ſolennitate, vel etiam tacite ſciēter, grauiſſimè peccat, & debet excommunicari. *26. q. 6.* ſed non eſt ipſo facto excommunicatus, niſi errorem fidei contrarium in mente habuerit credēs dæmonem diuinitatem quandam habere, aut ſigna ſuperſtitioſa in ſe ſupernaturalem quandam virtutem continere, tunc enim eſt hæreticus excommunicatus per Bullam Cœnæ Domini, *vt primo capite diximus.*

Qui init pactum ignoranter vtendo ſignis, neſciens ad ſuperſtitiones, & maleficia pertinere, vel non peccat, vel ſaltem non mortaliter, *vt notat Caietanus in Summulâ verb. incantatio 1.* Habet locum hæc ignorantia præſertim in perſonis idiotis, quando non ſunt monitæ, vt deſerant, ſed poſt monitionem ceſſat ignorantia, & bona fides, & conuincuntur clare non ampliùs peccare per ignorantiam, ſi, poſtquam ſciunt, aut dubitant in ſimilibus ineſſe pactum tacitū, aut inuocationem dæmonum, nihilominus illa vſurpant; *vide ſuprà Caietanum.*

Duo hîc notanda ſunt; Primum, dæmonem per prædicta pacta non conferre maleficis ali-

quam

quam virtutem, aut poteſtatem ad aliqua maleficia facienda, ſed ipſummet per ſe facere; Et conſequenter, neque conferre virtutem aliquã ſignis, & rebus, per quæ dicuntur maleficia facere, ſed ſolum ad illa ſigna per maleficos applicata accurrere, & efficere res mirabiles, & miſerandas, quæ apparent. *Ita Antoninus 2. p. tit. 12. c. 2. Nauar. c. 11. nu. 30. Et communis in ſecundum ſent. diſt. 7.*

Secundum, maleficos quibuſcumque rebus à dæmone præſtitis vti poſſe ad maleficia perficienda, putà pane, aquâ, vino, ſtramine, plumis, potiùs tamen dæmonem ſuadere vſurpare res ſacras, quàm alias; Primò vt eorum peccatum grauius faciat, ſic enim non ſolùm ſunt malefici, ſed etiam ſacrilegi. Secundò, vt faciliùs decipiat, dum hâc ratione faciliùs perſuadet huiuſmodi mira non fieri à dæmone, ſed à Deo, *vt infrà c. 21. latiùs apparebit.*

Maleficium eſt duplex, Amatorium, & Veneficum: Amatorium, quod ordinatur ad amorem carnalem inflammandum in aliquo, aut extinguendum; Hinc pudicæ filiæ ad impudica incitantur; Imò veriùs, & ſæpiùs in furorem rapiuntur; Hinc etiam naſcuntur inter coniuges odia inteſtina, diuortia, & conſequenter infinita alia mala.

Quomodo verò dæmon hæc faciat, & an cogere poſſit hominis voluntatem ad amandum, vel odio proſequendum, dicemus poſteà.

Veneficium, quod ordinatur ad nocendum, vt ad procurandam mortem, & morbos fre-

quentiùs inſanabiles, ad deſtruendum ſegetes, armenta, & huiuſmodi per pluuias, grandines, tonitrua, & ſimilia meteora.

Quia verò hæc quotidianum vſum habent, & horum ignorantia, cauſſa eſt multorum malorum, tum in maleficis, qui frequentiùs propter hæc extremo ſupplicio, non ſolùm in corpore, ſed & frequenter in anima afficiuntur, tum in alijs, qui eorum maleficijs aut miſere enecantur, aut in morbos incurabiles incidunt, aut alias grauia rerum temporalium damna patiuntur, viſum eſt particulariùs iſta docere, vt his clariùs, & populariùs intellectis, facilius ſit ab his populum auocare. Mouebimus ergo plures difficultates, quibus compēdio docebimus, quæ Doctores noſtri tradiderunt de ſcientia dæmonum; Secundò, de eorundem poteſtate, & modis, quibus mirabilia iſta, vel potiùs miſeranda per ſe, vel maleficos patrant: Necnon de remedijs contra illa licitis, vel illicitis.

Difficultas prima: Quæ poſſunt dæmones ſcire?

Dicendum dæmones plurima ſcire per naturam, per experientiam, per reuelationem, *ſecundum D. Thomam 1. p. q. 64. art. 1. ad 4. & alibi ſæpius.*

Per naturam, ſtatim à principio ſuæ creationis cognouerunt omnia genera, & ſpecies rerum creatarum, idque per ſpecies eis inditas, & connaturales, & per ſimilitudines ſpecierum potuerunt omnia, & ſingula indiuidua ſub illis ſpeciebus contenta diſtinctè cognoſcere: Primum docet D. Thomas 1. *p. q. 89. art. 3. & q. 19. art. 5.* Secundum. 1. *p. q. 57. art. 2.*

Ex

Ex quibus ſequitur; Primò dæmones poſſe perfectè cognoſcere virtutes omnium Angelorum, cœlorum, ſtellarum, animalium, arborũ, herbarum, metallorum, lapidum, meteorum.

Secundò, perfectiſſimè ſcire poſſe, quæ hominibus obeſſe quocumque modo poſſunt.

Non poſſunt verò dæmones per naturam ſcire ea, quæ dependent vel ex voluntate Dei; vt myſteria ſupernaturalia, & gubernationem regionum; vel ex libera hominis voluntate, vt quid homo cras ſit cogitaturus, dicturus, facturus; vel futura contingentia, quæ non habent certam cauſſam & determinatam: vt quod tali die, tali horâ quis morietur, interficietur. *Idem D. Thomas 1. p. q. 67. art. 3. ad 5.* Ratio primi, quia ſolus Deus nouit ea, quæ Dei propria ſunt. Ratio ſecundi, quia ſolus Deus illabitur in animam hominis, atque ita ſolus ſcire poteſt, quæ ſunt in eius intellectu, memoriâ, voluntate. Ratio poſtremi, quia ſcire futura contingentia, quæ habent cauſſam indeterminatam, & ad vtrumlibet indifferentem eſt proprium ſignum diuinitatis, ſecundum illud Eſaiæ, *Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & dicemus, quia Dij eſtis.*

Dixi, *futura contingentia, quæ non habent cauſſam certam, & determinatam*, quia dæmones ſcire poſſunt illa futura contingentia, quæ ſunt certa in ſuis cauſſis, vt hominem tali morbo moriturum, quia vident in inteſtinis tale venenum mortiferum incluſum eſſe. *Ita D. Thomas ſupra art. 3. ad 4. poſt. D. Auguſt. de diuinat. dæmonum cap. 5. & 6.*

Per

Per experientiam poſſunt etiam dæmones cognoſcere inclinationes hominum, ex quibus addiſcunt modos eos tentandi, & in quæuis flagitia inducendi. *Diabolus*, inquit Cyprianus apud D. Thomam ſupra, *omnia tentandi genera, inſidiasq; vſu ipſo vetuſtatis edidicit.*

Per reuelationem tantum cognoſcunt, quantum placet Deo reuelanti. *D. Thom. ſupra art. 5.*

Difficultas ſecunda: Quæ poſſunt dæmones facere ſiue per ſe, ſiue per maleficos circa hominis animam?

Nota poteſtatem dæmonum latiſſimam eſſe, quia omnes Angeli tam boni, quàm mali poteſtatem habent ſuper omnes inferiores ſubſtantias, & illas adminiſtrant; Quod verum eſt nō ſolùm veritate fidei, ſed etiam ſecundum Philoſophiam D. Thom. *1. p. q. 11. art. 1.*

Verùm hoc loco pro neceſſitate præſentis materiæ ſolùm quæritur, quantam poteſtatem habeant dæmones ſuper homines? Quærit ergo primò hoc loco difficultas præſens, quid poſſint circa eorum animas.

Dicendum, quòd anima duas habet partes; ſuperiorem, quæ complectitur intellectum, memoriam, voluntatem; inferiorem, quæ in ſe habet ſenſus tam interiores, quàm exteriores, & appetitum ſenſitiuum. Circa intellectum poſſunt dæmones primò illum decipere, quod faciunt vel perſuadendo licere, quæ non licent, & ſic faciunt conſcientias laxas, vel contrà nō licere quæ licent, & ſic faciunt conſcientias ſcrupuloſas; Vel ingerendo ſubtiliſſimas dubitationes, quas quis non poteſt diſſoluere; Sic vide-

videmus quoſdam ſubtiliſſimè in moralibus dubitantes, & ineptiſſimè ſoluentes, *Syluester verb. maleficium nu. 2.*

Imò poſſunt hominem priuare vſu rationis, & inſanum reddere. *D. Thomas 1. 2. q. 80. art. 3.* Quod faciunt perturbando corporis humores, & præcipuè cerebrum.

Imò poſſunt organa potentiarum ſenſitiuarum mouere loco, & auferre à capite, ſi permitterentur. *ſecundum D. Thomam 1. p. q. 110. art. 3.*

Probabile etiam eſt dæmones poſſe conferre homini aliquam artem, vel ſcientiam, interiùs intellectum illuminando, vt viſum eſt noſtro tempore in quibuſdam Anabaptiſtis, qui linguis loquebantur, quas non didicerant, & ſcripturas intelligebant ſine præceptore. Hoc verò faciunt dæmones porrigendo his miſeris certũ cibum, vel potum, vt ipſi confitentur, licet D. Thomas *2. 2. q. 96. art. 4.* putet id non poſſe fieri.

Circa memoriam, poſſunt dæmones in illam agere, vel illam adiuuando per aliquod artificium ſibi notum nobis incognitum; Vel illam turbando, agendo nimirum in phantaſmata. *D. Thom. 1. p. q. 111. art. 1.*

Circa voluntatem, poſſunt etiam illam dæmones commouere non directè, in illam agendo, hoc enim ſolius Dei eſt, ſed perſuadendo, & concitando paſſiones. *D. Thomas 1. 2. q. 9. art. 6. Et 1. p. q. 111. art 2.* Quod facere poſſunt per motum localem ſpirituum, in quibus ſunt phantaſmata, reducendo nimirum illa omnia ad memoriam, quæ poſſunt allicere concupiſcentiã,

vel

vel concitare iraſcibilem.

Poſſunt quoque mouere voluntatem per exteriora quædam, idque tripliciter.

Primò exteriùs perſuadendo, ſicut tentator in deſerto Chriſto apparuit in formâ humanâ loquens, & aliquibus Sanctis in formis iuuencularum, vt frequentiùs in hiſtorijs ſanctis factum legimus.

Secundò aliquid fictum exteriùs oſtendendo, ſicut S. Antonio oſtendit diſcum argenteũ, & euntibus ad ludos, & tripudia ſagarum oſtendit viros nudos, & fæminas; Aut etiam aliquid verum, ſicut procurare poteſt, quod Eccleſiam adeunti occurrat hæc, aut illa mulier, vel videat, aut audiat aliquid laſciuum, & turpe.

Tertiò rem aliquam corpori hominis ingerendo, quia, cùm ad nutum poſſint corpora mouere localiter, *ſecundum D. Thomam 1. p. q. 110. art. 3. & communem*, homine dormiente, vel aliter, poteſt eius ſtomacho dæmon applicare inflammantia iræ, vel concupiſcentiæ, putà aromata, vel medicamenta, herbas, vt paſtinacam ſylueſtrem *apud Dioſcoridem lib. 8. c. 4.*

Notandum tamen ſingulariter medicamẽta naturalia nullo modo poſſe efficere, vt quis vnum potiùs, quàm alterum amore, aut odio proſequatur, quia naturalia non agunt ex intentione, ſed tantùm naturaliter; Ergo qui dicunt ſe potionibus naturalibus poſſe efficere, vt vna perſona alteram certam perſonam diligat, mentiuntur, quia reuera id non vi potionum naturalium,

ralium, aut arte medicinæ efficitur, ſed maleficio, & ope dæmonis.

Circa inferiorem partẽ animæ, putà ſenſus interiores, & exteriores multa poſſunt dæmones.

Primò, poſſunt decipere ſenſus exteriores, præſertim viſum: idque multipliciter; Primò, ex parte organi illud immutando, *iuxta illa, quæ ſuprà diximus*; mutato verò organo, neceſſum eſt illius actionem immutari. Secundò, ex parte medij, ſeu aëris; quia, mutato medio, mutatur etiam actio potentiæ ſenſitiuæ. Tertiò, ex parte ſpecierum ſenſibilium, quia ſpecies, quæ ſunt in potentia imaginatiua, per motum localem poſſunt trãſmittere vſque ad ſenſus exteriores, ſic vt res, quæ eſt abſens, videatur præſens, quod familiare eſt phreneticis, arreptitijs, & inſanis, quarum rerum exempla ſunt apud D. Auguſt. *lib. 18. de Ciuitate Dei c. 18.* Quartò, ex parte obiecti, quando dæmon vni corpori aliud phantaſticum circumducit: hoc modo lignum videtur eſſe ſerpens, & homo lapis, & ſic in alijs. Poſtremò, applicãdo per motum localem quædam actiua naturalia, ſicut ſecundum D. Thomam (*vt refert Syluester verb. maleficium nu. 3.*) quædam herba fumigans facit trabes apparere ſerpentes.

Circa appetitum ſenſitiuum poſſunt dæmones vehementer illum commouere, imò ad aliquam actionem quaſi neceſſariò inducere; Non enim ita liber eſt, ſicut voluntas, ſed mouetur interdum neceſſariò, quod quando fit, decipitur dæmon, quia talis actio hominis non
eſt

eſt peccatum, ſed potiùs cauſſa maioris meriti.

Difficultas tertia : Quid poſſunt dæmones ſiue per ſe, ſiue per maleficos circa hominum corpora ?

Primò, poſſunt morbos infligere, vt patet ex hiſtoria Iob. *2. c.* quem dæmon percuſſit vlcere peſſimo, à planta pedis vſque ad verticem : Et in Euangelio *Lucæ 13. & Marci 9.* dæmon reddit hominem ſurdum, & mutum : Et D. Auguſtinus de diuinationibus, teſtatur dæmonem ſæpè accipere poteſtatem morbos immittendi, & aërem vitiando morbidum reddendi. Idem patet ex *l. multi c. de maleficis, & mathematicis* : *Multi* (ait lex) *artibus magicis vſi elementa turbare, vitas inſontiũ labefactare non dubitant, & manibus accinctis audent ventilare, vt ſuos quiſque conficiat malis artibus inimicos, hos, quoniam natura peregrini ſunt, feralis peſtis abſumat.*

Infligunt verò morbos varijs modis ; Primò, per medicamenta noxia, & venena, herbas, & alia media naturalia, quæ multis modis nôrunt præparare, & cautiſſimè applicare. Secundò, inficiendo aërem circumſtantem, quem homines reſpirando attrahere debent, Tertiò, miſcendo, & perturbando humores corporis, & alijs pluribus modis ſibi notis nobis verò incognitis.

Secundò, poſſunt corpora à morbis ſanare : Et hoc quoque multipliciter ; Primò applicando pharmaca, & medicamenta vtilia. Secundò, aërem purgando. Tertiò, humores infectos, aut perturbatos purgando, aut reducendo ad iuſtam temperaturam ;

Imò à multis morbis homines curare poſsũt, quibus

quibus nulla ſcientia Medicorum mederi poteſt: quia maiorem ſcientiam habent rerum naturalium, putà herbarum, lapidum quibuſuis medicis, vt conſtare poteſt ex antedictis, & ſatis oſtendit Plinius *lib. 24. naturalis hiſtoriæ c. 17.* Quo loco meminit variarum herbarum, quibus magi, vel ad morbos depellendos, aut etiam inferendos vtuntur, quæ; quia hominibus ſunt incognitæ, & velociſſimæ operationis, plurimum admirationis adferunt neſcientibus.

Non poſſunt tamen dæmones omnes morbos pellere, quia non poſſunt curare illos, qui naturaliter curari non poſſunt, vt cæcò viſum reſtituere, minus tollere morbum ſenectutis; quia quicquid poſſunt in hâc arte, hoc poſſunt per applicationem cauſſarum naturalium; ſed hæ non poſſunt curare morbos prædictos, & ſimiles; Ergo, &c.

Tertiò, poſſunt homines occidere, ſed non viuificare, ſiue reſuſcitare. Occidunt hominem veneno, aut faſcinatione; aut etiam exteriùs hominem ſtrangulando, aut obruendo.

Faſcinatio eſt duplex; vna naturalis: ſunt enim qui ſolo viſu naturaliter alios lædunt, imò occidunt: Hoc autem fit, vt quidam tradunt, ex forti imaginatione; Hoc modo fortis imaginatio immutat corpus coniuncti ſpiritus, quæ immutatio maximè fit in oculis, ad quos ſubtiliores ſpiritus perueniunt: oculi autem inficiunt aërem coniunctum vſque ad determinatum ſpatium; Quo modo ſpeculum nouum, & mundum aſpectu mulieris menſtruatæ maculis

inficitur, *vt tradit Ariſtoteles de ſomno, & vigiliâ*; Sic dicuntur vetulę vehementiſſimè ad malitiã concitatę aſpectu venenoſo, & noxio infantes ſępiùs inficere, & occidere.

Altera diabolica, quando idem fit pacto cum dęmone inito; ſicut cędem vetulę veneficę videndo, & alio modo lædunt præſertim, vt dictum eſt, infantes. *Angelica verb. ſuperſtitio nu. 5.* Inſidiantur verò maximè infantibus propter cauſſam, quam refert Sprengerus *in malleo maleficiarum p. 2. q. 1. c. 2.* vt nimirum infantes à ſe occiſos clam extrahant de tumulis, & coquant, ex parte autem craſsiore conficiant vnguentum, quo ſe iungunt, cùm volunt transferri, *de quâ tranſlatione poſtea dicemus*, & partem liquidiorem reſeruant, quam, inquiunt, qui bibit fit doctor in arte veneficâ, de quâ re vide etiam Alphonſum à Caſtro *l. 1. de punitione hæreticorum c. 16.*

Quod dæmones neminem reſuſcitare poſſint patet, quia dæmon non poteſt miraculum facere; Ergo nec animam ad corpus reuocare.

Imò nec facere poteſt ſecundum quoſdam, vt appareat anima defuncti: nam ex inferno nulla anima egredi poteſt citra miraculum, vt patet ſcienti ſcripturas: & ſupra animas bonorum, qui ſunt in purgatorio, dæmon nullam habet poteſtatem; Ergo quando videtur apparere anima alicuius damnati, vt ſæpiùs, eſt ipſe dæmon. Ita D. Thomas *1. p. q. 117. art. 4. ad 2.* Imò etiam quando videtur eſſe anima alicuius Sancti, vt quando Samuel apparuit Saüli; Quanquam

quam etiam dici poſſit verè Samuelem apparuiſſe Saüli, & non diabolum, non vi tamen artis magicæ, ſed ſolius Dei iuſſu: Quomodo intelligendi ſunt D. Ambroſius *in 1. c. Luca*, Et D. Aug. *de cura pro mortuis*, Et poſt illos *Abulenſis Lyranus, Dionyſius Carthuſianus, Caietanus in 1. Regum c. 28.*

Quartò, poſſunt dæmones humana corpora poſſidere, illaque varijs, & miris modis vexare, vt patet ex Euangelijs, & quotidianâ experiẽtiâ.

Quod quis ſit poſſeſſus à dæmone, ſciri poteſt tribus modis; Primo per medicos: nam ſi non poſsit arte medicæ curari, veriſimile eſt admodùm, quod ſit poſſeſſus. Secundo, per remedia Eccleſiaſtica, quando enim illa adhibentur, ſolent dæmones ſufficientia ſigna ſuæ præſentiæ oſtendere Tertio, eo certiſsimo per quoſdam effectus, qui non poſſunt fieri niſi per dæmonem: vt ſi poſſeſſus indicet abſentia, & longè poſita, & maximè res occultè geſtas, loquatur linguis incognitis. *Vide inſtitutiones Vigneryj c. 3. §. 1. verſ. 14.* Quomodo dæmones faciant mirabilia, quæ ſubinde per poſſeſſos fieri videmus, putà quod euomant oſſa, clauos, pilos, acus, ſubinde ingentem aceruum plumarum ingenioſiſsimè compoſitarum; Dicendum hæc facere, vel per illuſiones, & præſtigias, vt videantur quæ non ſunt, vel ſi res veræ ſint, ipſi dæmones inuiſibiliter ſtomacho intulerunt, & inde viſibiliter educunt, non obſtante earum magnitudine, quia poſſunt eas diuidere, comminuere, & ſtatim reunire, & alijs modis nobis incognitis id præſtare.

Pelluntur dæmones ab obſeſſis per exorciſſimos. Quæ verò præparatio requiratur in Exorciſtâ, & in poſſeſſo, & quis modus in exorciſando ſeruandus ſit, clariſſimè explicat Parochiale Leodienſe *Rubricâ de regulis, quibus inſtruitur Exorciſta, & ſequenti, de regulis pro inſtructione obſeſſorum.*

Quintò, quicquid quidā hodie dicant, dæmon non poteſt hominem in beſtiam, putà in lupū, aut ſimilem mutare. Hoc dicimus contra Ioannem Bodinum, qui *lib. 2. de magorum dæmonomania c. 6.* multis exemplis intendit probare lycanthropiam, quam vocant, hoc eſt, transformationem hominis in lupum: probatur hæc veritas non ſolùm ſecundum veram philoſophiam, ſed etiam fidei veritatem, ita vt, ſi quis contrarium credat, ſit hæreticus, & infidelis expreſsè enim definitur in *c. Epiſcopi 26. q. 5.* his verbis; *Quiſquis credit poſſe aliquam creaturam aut in melius, aut in deterius commutari, aut transformari in aliam ſpeciem niſi ab ipſo creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta ſunt. proculdubio infidelis eſt, & pagano deterior.* Illam etiam ſpeciatim affirmat D. Auguſtinus *lib. 3. de Ciuitate Dei c. 17. & 18.* Quô loco dicit transmutationes hominum in beſtias, quæ apud varios auctores leguntur, eſſe ſolùm præſtigias. Subſcribunt quoque illi D. Thom. *1. p. q. 114. art. 4. ad 2.* Franciſcus à Victoria, *in relectione de arte magicâ prope finem*, Malleus maleficarum *1. p. q. 10. & alibi ſæpius,* Ioſephus Angles, *in floribus Theologicis in 1. ſent. q. vnicâ de arte magicâ, diff. 9.* Binsfeldius ſuffraganeus Treuerenſis, *in tractatu de confeſſionibus*

bus maleficorum, & ſagarum, pag. 61. & 62. in primâ editione Treuerenſi, & plures alij per ipſum citati. Probatur eadem veritas ratione; Si homo poteſt tranſmutari in lupum, aut aliam beſtiam, aut mutatur ſecundum corpus, vel ſecundum animam, aut ſecundum vtrumque; Si primum, ergo talis homo moritur, quia mors nihil aliud eſt, quàm ſeparatio animæ à corpore; Si moritur, ergo non poteſt rurſus anima opera dæmonis coniungi corpori, hoc enim opus eſt ſolius diuinæ poteſtatis; Dominus enim eſt, qui mortificat, & viuificat. Si ſecundum dicatur, ita vt fiat tranſmutatio totius in totum, ergo homo deſinit eſſe quando incipit eſſe beſtia, quia generatio vnius eſt corruptio alterius: ergo de nouo creatur homo quando beſtia redit ad naturam hominis, nec eſt idem numero homo, qui prius erat; Quæ & alia, quę inde deduci poſſunt per bonam conſequentiam, falſiſſima ſunt, & contra fidei veritatē, & ſcripturas. Eſt ratio Binsfeldij *ſuprà*.

Non obſtat, quod apparuerint noſtro tempore homines, qui viſi fuerint tranſmutati in lupos, in quorum formâ pleroſque homines ſtrāgulauerunt, & deuorârunt, propter quod tandem extremo ſupplicio affecti fuerunt; Quia reſponderi poteſt non fuiſſe veram, & realem tranſmutationem, ſed ſecundm externam apparentiam tantùm: Quod arte dęmonis poteſt fieri dupliciter: Vno modo ab interiori, ex parte nimirum ipſius, qui videtur tranſmutatus; poteſt enim dęmon mutare phantaſiā hominis, &

Pelluntur dæmones ab obſeſſis per exorciſſimos. Quæ verò præparatio requiratur in Exorciſtâ, & in poſſeſſo, & quis modus in exorciſando ſeruandus ſit, clariſſimè explicat Parochiale Leodienſe *Rubricâ de regulis, quibus inſtruitur Exorciſta, & ſequenti, de regulis pro inſtructione obſeſſorum.*

Quintò, quicquid quidã hodie dicant, dæmon non poteſt hominem in beſtiam, putà in lupũ, aut ſimilem mutare. Hoc dicimus contra Ioannem Bodinum, qui *lib. 2. de magorum dæmonomania c. 6.* multis exemplis intendit probare lycanthropiam, quam vocant, hoc eſt, transformationem hominis in lupum: probatur hæc veritas non ſolùm ſecundùm veram philoſophiam, ſed etiam fidei veritatem, ita vt, ſi quis contrarium credat, ſit hæreticus, & infidelis expreſsè enim definitur in *c. Epiſcopi 26. q. 5.* his verbis; *Quiſquis credit poſſe aliquam creaturam aut in melius, aut in deterius commutari, aut transformari in aliam ſpeciem niſi ab ipſo creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta ſunt. proculdubio infidelis eſt, & pagano deterior.* Illam etiam ſpeciatim affirmat D. Auguſtinus *lib. 3. de Ciuitate Dei c. 17. & 18.* Quô loco dicit transmutationes hominum in beſtias, quæ apud varios auctores leguntur, eſſe ſolùm præſtigias. Subſcribunt quoque illi D. Thom. *1. p. q. 114. art. 4. ad 2.* Franciſcus à Victoria, *in relectione de arte magicâ prope finem*, Malleus maleficarum *1. p. q. 10. & alibi ſæpius,* Ioſephus Angles, *in floribus Theologicis in 1. ſent. q. vnicâ de arte magicâ, diff. 9.* Binsfeldius ſuffraganeus Treuerenſis, *in tractatu de confeſſionibus*

bus maleficorum, & ſagarum, pag. 61. & 62. in primâ editione Treuerenſi, & plures alij per ipſum citati. Probatur eadem veritas ratione; Si homo poteſt tranſmutari in lupum, aut aliam beſtiam, aut mutatur ſecundum corpus, vel ſecundum animam, aut ſecundum vtrumque; Si primum, ergo talis homo moritur, quia mors nihil aliud eſt, quàm ſeparatio animæ à corpore; Si moritur, ergo non poteſt rurſus anima opera dæmonis coniungi corpori; hoc enim opus eſt ſolius diuinæ poteſtatis; Dominus enim eſt, qui mortificat, & viuificat. Si ſecundum dicatur, ita vt fiat tranſmutatiō totius in totum, ergo homo deſinit eſſe quando incipit eſſe beſtia, quia generatio vnius eſt corruptio alterius: ergo de nouo creatur homo quando beſtia redit ad naturam hominis, nec eſt idem numero homo, qui priùs erat; Quæ & alia, quę inde deduci poſſunt per bonam conſequentiam, falſiſſima ſunt, & contra fidei veritatē, & ſcripturas. Eſt ratio Binsfeldij *ſuprà*.

Non obſtat, quod apparuerint noſtro tempore homines, qui viſi fuerint tranſmutati in lupos, in quorum formâ pleroſque homines ſtrāgulauerunt, & deuorârunt, propter quod tandem extremo ſupplicio affecti fuerunt; Quia reſponderi poteſt non fuiſſe veram, & realem tranſmutationem, ſed ſecundm externam apparentiam tantùm: Quod arte dęmonis poteſt fieri dupliciter: Vno modo ab interiori, ex parte nimirum ipſius, qui videtur tranſmutatus; poteſt enim dęmon mutare phantaſiā hominis, &

etiam ſenſus exteriores, vt aliud appareat obiectum, quàm ſit; Imò experientia docet fieri poſſe idipſum ex cauſſis naturalibus: nam videmus quandoque laborantes vehementiſsimis febribus cadere in phreneſim, & mentis alienationem, & dicere ſe eſſe, quod non ſunt: cùm igitur dæmon poſsit agere in corpus, nihil vetat quô minus, mediantibus cauſsis naturalibus, ſimiles varias phantaſias poſsit inducere. Alio modo ab extrinſeco ex parte ſenſibilis, poteſt enim dæmon circumponere cuicumque rei corporali quamcumque formam corpoream, vt in eius ſpecie videatur, vel res etiam veras ſupponere. Exemplum extat in vitis Patrum, vbi quædam iuuencula legitur ita maleficiata fuiſſe à quodam Iudæo ad inſtantiam cuiuſdam iuuenis, cuius turpitudini illa ſatisfacere nolebat, vt omnibus videretur equa; quæ cùm ducta eſſet pro remedio ad Sanctum Macarium, eius ſanctitatem rei veritas non potuit latere, nam mulierem ſtatim eſſe cognouit, & oratione detexit illuſionem, ita vt omnibus pro iuuenculâ illâ ſtatim agnoſceretur. Sic D. Auguſtinus *lib. ſuprà allegato de ciuitate Dei*, reſpondet ad fabulas ex Varrone, & Poëtis de ſocijs Vlyſſis mutatis in beſtias; & à Circe, & Arcadibus in lupos conuerſis.

Sextò, poſſunt dæmones impedire copulam carnalem inter coniuges, imò poſſunt ipſi etiã exercere cum hominibus.

Prior pars patet ex titulo de frigidis, & maleficiatis, & *33. q. 1. can. ſi per ſortiarias*; Eſt communis

munis Theologorum *in 4. diſt. 34.* Et probatur quotidiana experientia.

Impediunt dæmones copulam carnalem multipliciter, *ſecundum Paludanum in 4. quem refert Sylueſter re. b. maleficium q. 6.* Primò, impediendo corpora ne coniungantur, interpoſito aſſumpto corpore. Secundò, turbando imaginationem, & æſtimatiuam, quæ reddat mulierem exoſam, & abominabilem. Tertiò, prohibendo immiſſionem ſpirituum ad membra, in quibus eſt virtus motiua, veluti intercludendo vas ſeminis, vel procurando ne excitetur, vel ne emittatur ſemen, & multis alijs occultis modis.

Permittitur à Deo dæmon vexare homines circa actum potentiæ generatiuæ potiùs, quàm circa actus aliarum potentiarum, quia per eam peccatum originale transfunditur, vt dicit D. Thomas *in 4. diſt. 34. art. 3. ad 1.*

Poſterior pars eſt communis Theologorum *in 2. ſent. diſt. 8.* Et D. Auguſtini *lib. 5. de Ciuitate Dei c. 23.* qui dicit eſſe impudentiam hoc velle negare, & probat ab experientiâ, quomodo etiam noſtro tempore infœlici hoc etiam ſatis, ſuperque probari poteſt; *Creberrima*(ait) *fama eſt, multiq; ſe expertos vel ab eis, qui experti erant, de quorũ fide dubitandum non eſt, ſe audiuiſſe confirmant Syluanos, & Faunos, quos vulgus incubos vocat, improbos extitiſſe mulieribus, & earum appetiſſe, & peregiſſe concubitum, & quoſdam dæmones, quos Duſios galli vocant, aſſiduè hãc immunditiem & tentare, & efficere, vt hoc negare impudentia eſſe videatur,*

Non obſtat dictis D. Chryſoſtom. *Homil. 22.*

in Geneſim, vbi ait impoſſibile eſſe, vt improbi angeli cum fœminis coïtum exerceant, & Caſſianus *in collationibus Patrum, collatione 8, c. 21.* Qui dicit nullo modo credendum eſſe ſpirituales naturas cum fœminis coïre poſſe; Quia nec nos dicimus dæmones coïre cum fœminis animalium naturalium more ſemen ex propriâ ſubſtantiâ fundendo; ſic enim coïre, & generare eſt animæ nutritiuæ, & ſenſitiuæ, quæ in ſubſtantijs incorporeis non reperitur; ſed dicimus eos coïre in corpore aſſumpto, & ſemen humanum aliunde acceptum fundere, & ſic procreare, ita tamen vt proles quæ naſcitur nõ ſit propriè dæmonis, ſed viri illius, à quo per dæmonem ſemen acceptum fuit.

Poteſt verò naſci proles, quando dæmon eſt incubus, ſed ſi ſit ſuccubus, hoc eſt, ſi mulieris locum teneat in copulâ carnali, & vir incumbat, non poterit ſequi conceptio, quia diabolus ſuccubus non habet corpus verum, quo ſemen concipiat, ſed ſolum phantaſticum, in quo actiones vitæ ad conceptionem, & generationẽ neceſſariæ non poſſunt perfici.

Septimò poteſt dæmon hominem inuiſibilẽ facere, cuius rei exemplum eſt apud Lactantiũ *lib. 5. diuinarum inſtitutionum c. 3.*

Facit hoc dæmon duobus potiſſimùm modis; Primo impediendo ne ſpecies viſibiles ad oculum perueniant, aut per nimiam agitationem aëris, aut per interpoſitionem alicuius corporis tenuioris, opaci tamen. Secundo, transferendo illum citiſſimè de loco ad locum. Non poteſt

poteſt tamen dæmon facere, vt homo ſit ſimul in duobus locis, quia hoc ſupra naturam creatã eſt, & ſoli Deo reſeruatum.

Octauò, & poſtremò, poteſt dæmon hominem breuiſſimo tempore transferre de vno loco ad alium remotiſſimum. Hæc veritas eſt cõmunis omnium Theologorum, & Canoniſtarum, Franciſci à Victoriâ, *relectione de arte magicâ nu. 32.* Sylueſtri, *verb. hæreſis 3. nu. 6.* Caietani, *2. 2. q. 95. art. 3.* Alphonſi à Caſtro, *de iuſtâ hæreticorum punitione c. 4.* Nauarri, *c. 11. nu. 38.* Pauli Grillandi iuriſconſulti, *lib. 2. de ſortilegijs q 7.* qui dicit aliquando ſe tenuiſſe contrarium Ioannis Bodini, *lib. 2. de dæmonomaniâ c. 4.* Binsfeldij, *de confeßionibus maleficarum pag. 76.* Et aliorum Iuriſperitorum, quos ipſe citat contra quoſdam alios Iuriſperitos Ioannem Franciſcum Ponzinibium, *in libro de lamijs, & excellentiâ vtriuſque iuris;* Andream Alciatum, *lib. 3. parergon. iuris c. 22.* Et alios.

Probatur hæc veritas ratione; Dæmones sũt integri in potentijs naturalibus, quia in dæmonibus dona naturalia remanſerunt integra, *ſecundum communem Theologorum*; Sed boni Angeli poſſunt transferre corpora breuiſſimo tempore de loco ad locum; Ergo & mali. Aſſumptum probatur ex *14. c. Danielis*, vbi Angelus apprehendit prophetam Abacuc in vertice capitis, & ex Iudæâ breui tempore in Babylonem tulit, & confeſtim reſtituit in priſtinum locum; Et Angelus malus *Math. 4.* aſſumpſit Saluatorem, & ſtatuit ſupra pinnaculum templi.

Huiuſmodi tranſlatio licet fiat breuiſſimo tempore, non tamen fit in inſtanti, quia motus tantò velocior eſt, quantò eſt maior virtus mouentis: Vnde Philoſophi dicunt, quod ſi motor ſit infinitæ virtutis, motum poſſe fieri in inſtanti, ſed talis non eſt in dæmonibus, eſt tamen maior, quàm homo cognoſcere valeat; Quare facile colligi poteſt dæmonem breuiſſimo tempore poſſe corpora ad remotiſſima loca deferre.

Probatur etiam experientiâ: nam multi vtriuſque ſexus viri, & mulieres, pueri, & puellæ confitentur in torturis id verum eſſe, &, quod rei veritatem maximè demonſtrat, fatentur, quod ſubinde delati à dæmonibus, quia nomen Ieſu ex improuiſo nominant, vel ſigno crucis ſe muniunt, vel aliud ſignum Chriſtiani hominis præſtant, alijs diſparentibus, pedeſtris ordinis fiant in redeundo, qui ferebantur à diabolo in adeundo conuentum, quandoque etiã cadant ex arboribus in terram, & membra collidant, quandoque miſerè vel à diabolo tractētur, vel à ſocijs.

De quibus & ſimilibus vide Malleum maleficarum, Paulum Grillandum, Ioannem Bodinũ locis ſuprà citatis, apud quos plurima exempla fide digniſſima reperies, vt ſummæ dementiæ videatur negare res notas lippis & tonſoribus.

Notandum tamen maleficos, & ſagas non ſemper realiter ad conuentus, & ludos ferri à dæmone, ſed quãdoque tantum in imaginatione, & phantaſiâ; verùm de hac re non eſt inter

Doctores controuerſia. Non obſtat dictis *c. Epiſcopi diſt. 26. q. 5.* quod ſic habet; *Illud etiam non eſt omittendũ, quod quædam ſceleratæ mulieres retro poſt Sathanam conuerſa dæmonum illuſionibus, & phantaſmatibus ſeducta credunt ſe, & profitentur cum Dianâ nocturnis horũ Deâ Paganorum, vel cum Herodiade, vel cũ innumerâ multitudine mulierum equitare ſuper quaſdã beſtias, & multarũ terrarũ ſpatia intempeſtæ noctis ſilentio, pertranſire, eiuſq; iuſſionibus obedire veluti dominæ, & certis noctibus ad eius ſeruitium euocari; Sed vtinam hæ ſolæ in ſuâ perfidiâ perijſſent, nam & innumera multitudo hac opinione falſa decepta hæc vera eſſe credit, & credendo à rectâ fide deuiat, & errori Paganorũ inuoluuntur, cùm aliquid diuinitatis, ac numinis extra vnũ Deum arbitrantur:* Non (inquam) obſtat dictis, quia illud c. non intendit reprobare delationem corporum, quæ fit per dæmones ad conuenticula, & tripudia maleficorum, & ſagarum; ſed quædam alia fidei contraria, quæ ab aliquibus falsò aſſerebantur, nimirũ, quod malefici, & ſagæ, cùm vadunt ad tripudia, equitent cum Dianâ, & Herodiade Philippi vxore, quia Diana Dea Paganorum nulla eſt, neque in hoc mundo, neque alibi, & Herodias eſt in inferno: neque eſt vera mulier ſed ſolùm anima. Falſum quoque eſt, quod equitẽt ſuper veros equos, aut beſtias, quia beſtiæ realiter, & corporaliter tanta terrarum ſpatia in tam breui tempore, & tanto ſilentio tranſcurrere non poſſunt. Hanc ſolutionem maximè perſuadet ratio textus, quia eiuſmodi mulieres (inquit) aliquid diuinitatis, & numinis extra vnum Deum arbitrantur. Eſt Franciſci à Victoriâ

ctoriâ *in relect. de arte magicâ nu. 31.* Quam refert etiam Ioſephus Angles in floribus Theologicis *in 2. ſent. p. 1. q. de arte magicâ diff. 5.*

Difficultas quarta : Quid poſſunt Dæmones ſiue per ſe, ſiue per maleficos circa res hominum externas?

Primò, poſſunt nocere agris, animantibus, & pecoribus. Patet ex hiſtoria Iob *1. & 2. c.* Nam dæmonis procuratione ignis de cælo decidit, & tactas oues, puerosque conſumpſit, *& Pſal. 77. Occidit* (inquit Dauid) *in grandine vineas eorum, moros eorum in pruinâ* : Idem patet ex *c. de maleficis, & mathematicis l. multi, verb. elementa turbare.*

Modos, quibus dæmones his nocent, indicant præallegata verba ſcripturæ, commouendo nimirum tempeſtates, producendo grandines, pluuias, pruinas, tonitrua, & conſimilia meteora; Omnia enim meteora, vt conſtat ex libris meteorum Ariſtotelis, generantur in regione aëris ex concurſu elementorum, & cauſſarum aliarum, naturalium tamen, ſed hæc omnia dæmonibus ſubiacent quoad motum localem, *vt antea ex D. Thoma oſtendimus.*

Ex quibus ſequitur, dæmones, & maleficos poſſe efficere ſterilitatem, & rerum ad conſeruationem vitæ humanæ neceſſariarũ inopiam; Nam omnia, quæ in terra creſcunt, & neceſſaria ſunt ad ſuſtentationem hominum, dependent ex motu, & influentiâ corporum cæleſtiũ, & elementorum temperamento; Si igitur elementa turbentur, tempeſtates, ventique ſine ordine, & modo excitentur, necnon grandines, & pruinæ immittantur, quæ agris, vineis, arbo-

arboribus noceant, neceſſum eſt ſequi ſterilitatem, & rerum omnium inopiam.

Non poſſunt tamen dæmones, aut malefici mutare curſum Solis, vel Lunæ, vel aliquod elementum euertere. *D. Thomas q. 16. de malo art. 10. ad vltimum.* Ratio, quia aliàs perturbarent totum ordinem vniuerſi, quod diuinæ prouidentiæ, & gubernationi aduerſatur.

Secundò, poſſunt etiam dæmones nocere in famâ, & honore, quia poſſunt ſumere formam humanam, & multa de nobis ſpargere; Poſſunt etiam fingere caſus; in quos videbuntur viri probi incidiſſe, & grauia flagitia patrâſſe, ſicut aliquando permiſit ſe inueniri ſub lectulo cuiuſdam ſancti viri in formâ procacis puellæ, vt refert Syluester *verb. maleficium q. 7. ſub finem*: Et in vitâ Sancti Hieronymi refertur dæmon ſe transformâſſe in formam ſancti Syluani Epiſcopi in Nazareth amici ſancti Hieronymi, qui dæmon fęminam nobilem, primò quidem verbis, deinde etiam factis ſollicitauit ad malum, quę dum clamaret, dęmon in ſpecie S. Epiſcopi ſub lecto fœminę ſe abſcondit, vbi requiſitus, & inuentus mentitus eſt ſe eſſe Epiſcopum Syluanum: poſtridie ergo, diſparente dęmone, vir ſanctus grauiſſimè diffamatus fuit; Verùm poſtea apud ſepulchrum S. Hieronymi, fatente fictionem dęmone in obſeſſo corpore, eius fama purgata fuit.

Difficultas quinta: Quare Deus permittit dæmonibus, & maleficis poteſtatem nocendi hominibus?

Nota dæmones, aut maleficos nihil prorſus poſſe

poſſe ſine permiſſione Dei. Patet ex *1. & 2.c. Iob, & lib. 3.Regum c.22. & ex verbis ipſius Christi apud Mattheum*, vbi ait; *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & vnus ex illis non cadit ſuper terram ſine patre veſtro? Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt, nolite ergo timere, multis paſſeribus meliores eſtis vos :* Quibus verbis hæc ratio inſinuatur; omnia ſubduntur diuinæ prouidentiæ, ita vt nec capillus capitis, aut paſſer vnus pereat ſine illius nutu, ergo ſi Deus noluerit, dæmon cum ſuis omnibus maleficis in nullâ re nocere poterit homini.

Permittit verò Deus, vt noceant hominibus propter multas cauſſas; Prima, vt Infideles, & Ethnici conuertantur, qui dicunt non eſſe dæmones, nec vllum ſpiritum. *Victoriâ de arte magicâ nu.10. & 11.* Quo loco fuſiſſimè oſtendit non ſolùm ex ſcripturis, ſed etiam ex Philoſophia dæmones eſſe. Secunda, ad manifeſtandam hominibus altitudinem diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ ſuæ, qui etiam ex malis nouit elicere multa bona. Tertia, ad oſtendendam ſuam prouidentiam, dum permittit dæmoni liberum arbitrium, vt ea ſubinde faciat, quæ naturaliter facere poteſt. Quarta, ad oſtendẽdum ſuam iuſtitiam, dum per dæmones, & maleficos punit noſtra peccata, non ſolùm grauia, ſed etiam interdum leuia; nam propter aliquam impatientiam legitur Abbas Moyſes vexatus fuiſſe à dæmone apud Caſſianum, *collatione 7.c. 27.* Et apud Gregorium *lib. 1.Dialogorum*, vexata legitur quædam ſanctimonialis propter peccatũ gulæ. Cõmuniter tamẽ ſunt grauia peccata, propter quæ

Deus

Deus permittit nos à dæmonibus, & maleficis affligi, & ferè ſunt ſequentia; Primum, Infidelitas: Sic D. Cyprianus *lib. 4. Epiſtolarum epiſtolâ 7.* dicit ſuo tempore multos poſſeſſos à diabolo, quod à fide defeciſſent. Secundum, indigna Sacramentorum ſumptio: Sic idem Cyprianus, *Serm. de lapſis in fine,* dicit multos viros, & mulieres ſuo tempore fuiſſe poſſeſſos à diabolo, quod ſine confeſſione, & pœnitentiâ ad Euchariſtiã acceſſiſſent. Tertium, eſt execratio, quando nimirum quis ex minimâ ſubinde occaſione, aut aduerſitate oblatâ ſe, aut aliũ dæmoni deuouet, tunc enim ſubinde iuſto Dei iudicio euenit malum, quod imprecatur. Quod inſinuat Pſalmiſta *Pſal.* 108. *Dilexit maledictionem, & eueniet ei: noluit benedictionem, & elongabitur ab eo*: Sic refert Alexander ab Alexandro *lib. 4. Genialium dierum c.* 19. Duos adoleſcentes ob hanc cauſſam à diabolo fuiſſe ſtrangulatos. Quartum, Odium, & inuidentia contra proximum; Ob hãc cauſſam Saül à maligno ſpiritu agitatus fuit, 1. *Regum c.* 16. Quintum, Superbia; Hâc ratione multi putant à diabolo fuiſſe dementatũ Regem Nabuchodonoſor, *Daniel 4. c.* Sextum, nimia libido; Hinc ſeptem mariti Saræ fuerunt occiſi ab Aſmodeo, *Tob. 6.* Septimum, nimia curioſitas, quando homines imprudenter appetunt ſcire, quod ſcire non conuenit; Hinc plures fæminæ maleficæ reperiuntur, quàm viri, *vt habes 26. q. 5.*

Verùm, Quare Deus permittit, vt dæmones, & malefici etiam in bonos, & innocentes exerceant ſuam potentiam? Dicendum; Primò, Deum

Deum ordinariè permittere dęmoni maiorem poteſtatem in malos, quàm in bonos. Ratio eſt, quia illi meruerunt peccatis ſuis ſubijci dæmoni, à quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt. *2. Petri 2.c.* Secundò qualemcumque accipiat dęmon poteſtatem ſuper bonos, illam nō habere ad perdendum, ſed tantùm ad probandum, & ſaluandum. Iob *2. c. Ecce omnia, quæ habet, in manu tua ſunt, animam tamen eius ſerua.* Et Iob 12. *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio te probaret.*

Valet autem hæc probatio ad multa: Primò ad augmentum meritorum, quę augentur ratione tribulationis patienter toleratæ. Secundò, valet ad cuſtodiam humilitatis, dum quis ignorat an amore, an odio dignus ſit: Quâ de cauſsâ legimus quendam virum ſanctum impetrâſſe à Deo, vt per quinque menſes à dęmone poſſideretur. Tertiò, valet, vt appareat, an Deum ſincerè diligamus: maleficiatus enim, ſi verè Deum diligit, ad Deum pro auxilio recurrit, ſi non diligit, confugit ad maleficos.

Difficultas ſexta: Quibus remedijs licet vti ad tollenda maleficia, & quibus non?

Nota hoc loco maleficia poſſe ſolui tribus modis. Primo, diuina virtute. Secundo, virtute Angeli ſuperioris ſiue boni, ſiue mali: Angeli enim natura ſuperiores poſſunt inferiores ligare, & ſoluere, pellere de corporibus obſeſſis, & conſequenter remouere poſſunt actiua naturalia, per quę Angeli inferiores faciunt maleficia. Tertiò, virtute humanâ, vt ſi medicus

ſciret actiua naturalia, quibus maleficium ſanare poſſet, & illa, non reſiſtente diabolo, applicaret. Dixi, *non reſiſtente diabolo*, quia ſi diabolus reſiſtere velit, cùm ſit ſuperioris poteſtatis, facilè medicum impediet: Similiter ſi quis ſciret ſignum, quo vtitur dæmon ad maleficium perficiendum, poſſet illud tollere, ſi tamen diabolus nollet illud auferri, non poſſet illud quiſquã loco dimouere, *vt patet*.

Hoc prænotato dicendum; Primò licere vti Sacramentis à Deo inſtitutis, præſertim ſacrâ confeſſione, Communione, & ſacrificio Miſſæ, ſecundum Cyprianũ *in Sermone de lapſis*. D. Aug. *lib. 22. de Ciuitate Dei c. 8.* Et Bedam *ſuper 8. c. Lucæ*.

Secundò, licere vti exorciſmis ab Eccleſiâ inſtitutis ad dæmones pellẽdos. De modo exorcizandi poſſeſſos vide Sprengerum *in malleo maleficarum p. 2. q. 2. c. 6.* Et parochiale Leodienſe *ſuprà*.

Tertiò, inuocatione nominis Ieſu, quia, ſecundum Apoſtolum, in nomine Ieſu omne genu flectitur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: Et docent Iuſtinianus *in apologeticâ*, & Cyprianus *aduerſus Demetrianum*.

Quartò, Oratione Dominicâ, & recitatione Symboli Apoſtolici, *26. q. 6. can. non licet*.

Quintò, Signo ſanctæ Crucis, de quo Epiphanius, *hæreſi 30.* Nazianzenus *in oratione in Iulianum*. Athanaſius *in lib. de incarnatione verbi*.

Sextò, geſtatione ſacrarum Reliquiarum; de quâ D. Hieronymus *contra Vigilantium*, D. Chryſoſtomus *in lib. contra gentes*. Tantùm cauenda eſt

S hic

hîc ſuperſtitio, v. g. quod reliquiæ portari debeant in vaſe triangulari, vel modo non neceſſario, aut ab Eccleſiâ non approbato: de quâ re vide Syluestrum *verb. reliquia, q. 4.*

Septimò, aſperſione aquæ benedictæ, de quâ Epiphanius *hæreſi 30.* Theodoretus *lib. 5. Hiſtoria Eccleſiaſtica c. 21.*

Octauò, & poſtremò, omnibus rebus ab Eccleſiâ ad eum vſum benedictis, vt pane, ſale, Agno Dei, & ſimilibus.

Vnum hîc notandum eſt, homines per remedia ſupradicta non ſemper à maleficijs liberari propter duas cauſſas, prima, quia obſtat peccatum, vel eius, qui exorcizat, vel exorcizandi. Altera, maius bonum illius, qui curandus eſt. De qua re vide D. Aug. *lib. 22 de Ciuit. Dei c. 22* & Parochiale Leodienſe *ſuprà.*

E contrario; Primò, non licere vti operâ Angeli mali, vel malefici etiam ad hoc parati, vt maleficium maleficiò tollat, quia hoc eſt intrinſecè malum, & omni iure prohibitum.

Quod ſit intrinſecè malum, patet, quia nullâ circumſtantiâ à peccato excuſari poteſt.

Quod ſit omni iure prohibitum, probatur; Naturali, quia eſt contra legem naturalem requirentem reuerentiam, & fidem erga Dominum; Domino enim ſuo non eſt fidelis, qui ab eius inimico certante cum eo de ſtatu, aut regno petit, aut accipit auxilium, etiamſi ſit paratus auxiliari. Diuino, Leuitici 20. *Anima, quæ declinauerit ad magos, & ariolos; ponam faciem meam contra illam; & interficiam eam.* Iure canonico, *c. Non obſer-*

obſerues 26. q. 7. Ciuili, *t. de maleficis, & mathematicis. l. nullus. l. nemo l. culpa.*

Non obſtat, quod licitè vtimur iuramento infidelis iurantis in nomine Dei ſui: nec quod à parato fœnerari licitè accipimus mutuum;

Quia ad primũ dici poteſt licere vti iuramento infidelis, quia iuramentum de ſe bonum eſt, licet ille malitiâ ſuâ peccet iurando in nomine falſi Dei ſui.

Ad ſecundum licere petere mutuum ab alio, quod ſimiliter de ſe bonum eſt, licet alius peccet non mutuando niſi cum vſurâ.

Secundò, non licere petere remedium ab alio malefico, qui non nocet. Ratio, quia (ſicuti antè diximus) petitur id, quod ſine peccato fieri non poteſt: nam ſecundus maleficus non poteſt auferre ſignum alterius malefici niſi per inuocationem dæmonis, cùm neſciat, nec ſcire poſſit, vbi poſitum ſit. *c. qui ſine ſaluatore 26. q. 2.*

Licet tamen tollere ſigna ſuperſtitioſa, quando nota ſunt, ſecundum communem ſententiam Theologorum, Soti *in 4. diſt. 34.* Caietani, *Tom. 2. opuſc. tractatu de maleficis*, quos ſequitur Nauarrus *c. 11. nu. 29.* Ratio eſt, quia in contemptum dæmonis non ſolùm poſſumus, ſed quantum in nobis eſt, debemus omnia eius opera deſtruere.

Imò licet rogare maleficum, qui nocet, vt ſignum ſuum auferat, dummodo quis proteſtetur ſe cum dæmone nihil commune habere velle, *Caietanus ſuprà.* Ratio eſt, quia ſicut licet deſtruere ſigna ſuperſtitioſa, *vt iam dictum eſt*, ita

licet alterum rogare, vt illa deſtruat abſque maleficio tamen.

Poſtremò, licere à malefico petere etiam abſque proteſtatione aliquâ, vt nocere deſinat. Ratio eſt, quia petitur res de ſe licita, nam & plerumque malefici deſinunt nocere ſolùm auferendo ſignum maleficum abſque alio maleficio; Quicquid dicat Caietanus *loco ſuprà citato*, qui putat etiam præmittendam proteſtationem in hoc caſu, ſicut & in præcedenti.

QVAESTIO SECVNDA.

Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum?

EX præmiſſis ſequitur; Primò non incurrere hunc caſum illum, qui voluit diſcere, imò nec qui didicit artes magicas, quamuis peccet mortaliter, ſecundum Richardum *in 2. Sent. diſt. 17.* quia diſcere artes maleficorum non eſt maleficium, quale hîc reſeruatur, *vt ex eius definitione ſatis patere poteſt.*

Secundò, neque illum, qui pactum qualecumque inijt cum dæmone, aut dæmonem familiarem habet, qui ipſum admonet, vel ei oſtendit, & renunciat, quæ in locis ſecretis, & remotis geruntur, quamuis mortaliter peccet, *per illa quæ habet Nauarrus c. 11. nu. 26.* Ratio eſt, quia neque hîc propriè eſt maleficium, ſed potiùs alia ſuperſtitionis ſpecies, quæ diuinatio appellatur à maleficio diſtincta, *vt patet ex ſuperioribus.*

Tertiò, neque illum, qui panem, aquam, pluuias, & res cõſimiles, item ſigna, imagines, characteres

racteres certo modo iuxta pactum cum dæmone initum ad nocendum alicui perſonæ applicauit, ſi nullum nocumentum intulit. Ratio, quia licet talis crimen maleficij commiſerit, & conſequenter grauiter peccârit, quia tamen effectus nullus ſecutus fuit, non incurrit hunc caſum reſeruatum, cùm reſeruatio intelligatur de actibus exterioribus ſecuto effectu, *vt aliquoties antè ex Paludano monuimus.*

Quartò, è contrario ſequitur, incurrere hunc caſum illum, qui aquis, liquoribus, oleo, & ſimilibus vnctionibus ex præſcripto dæmonis, aut malefici compoſitis partem corporis perſonæ, quam maleficiare vult, inungit; ſi læſio aliqua, aut mors conſequatur. Dico; *ex præſcripto dæmonis, aut malefici compoſitis*, quia ſi quis vnctionibus, aut venenis arte medicinæ vel aliter compoſitis ſine pacto tacito, vel expreſſo cum dæmone alium lædat, aut interficiat, non incidit in hunc caſum, ſed in alium *de quo ſuperiore capite diximus.*

Quintò, & illum, qui res quaſlibet etiam viliſſimas, putà ſtramen, plumam, ex pacto dæmonis abſcondit ſub lectulo, vel limine oſtij, per quod maleficiandus eſt tranſiturus, ſi ille tranſeat, & ex hoc lædatur, *vt patet ex dictis.*

Sextò, & illum, qui elementa concutit, tempeſtates, grandines, fulgura, tonitrua procurat, quibus templa, turres, ſegetes, armenta læduntur; Quæ ſine auxilio dæmonum maleficos facere non poſſe ex quæſtione præcedente manifeſtum eſt.

Septimò, & illum, qui ſimili ratione alterius

intellectum, memoriam, bonam valetudinem lædit, aut perturbat.

Octauò, & illum, qui philtrum, ſiue poculum amatorium alteri propinat vt ab ipſo ametur, ſi amor inordinatus, aut, vt frequentiùs, furor, vel conſimilis aliqua læſio ſequatur;

Quare non incidit D. Cyprianus in hunc caſum, qui ante ſuam ad fidem conuerſionem Sanctæ Iuſtinæ virgini philtrum propinauit, quo illam in ſui amorem pelliceret, quia illa interceſſione, & merito D. Mariæ virginis à maleficio præſeruata fuit, *vt refert Gregorius Nazianzenus in oratione in Cyprianum.*

Nonò, & illum, qui quocumque modo maleficiat coniuges, ne coire poſſint, etiamſi ad vnum, aut duos, aut tres tantum dies duret maleficium, vel vxorem ita marito reddit exoſam, & contrà, vt ille illam, vel contrà prorſus abominetur.

Decimò, & illas vetulas, quæ ſuo conſpectu infantes, & pueros faſcinant, ſi ex pacto cum dæmone tacito, aut expreſſo hoc faciant; Aliàs ſi naturaliter faſcinent, modò per nos ſuperiore quæſtione expreſſo, incidunt in alium caſum priore capite expoſitum.

Poſtremò, & conſulentes, mandantes, auxilium ferentes, vt maleficium fiat, quia ſtatutum, quo maleficium punitur, ligat omnes prædictos, &c. vt probat Bartholus *in c. mulieres de ſententiâ excommunicationis*, & refert Syluester *verb. ſtatutum. nu 2.*

QVAESTIO TERTIA.

Quæ obſeruanda circa contritionem, confeßionem, & abſolutionem malefici?

CIRCA contritionem ſingulariter notandum illam admodum eſſe difficilem, non ex parte Dei, qui illam in momento infundere poteſt, ſed ex parte malefici, propter duo; quæ ſunt, error & metus.

Error difficilem reddit contritionem, quia dæmon perſuadet his miſeris impoſſibile illis eſſe deinceps conuerti ad Deum propter fidem Deo negatum, & pactum cum ipſo initum. Quare cui negotium eſt cum malefico in Sacramento pœnitentiæ, ante omnia ſummo ſtudio curare debet, vt oſtendat dæmonem contra expreſſum Dei verbum, & apertas ſcripturas mētiri, quæ docent gratiam paratam omni peccatori illam petenti, vt Ezechielis 18. c. *Proijcite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum: & quare moriemini? quia nolo mortem peccatoris, dicit Dominus, reuertimini, & venite.* Hieremiæ 8. *Nunquid qui cadit, non adijciet, vt reſurgat, &, qui auerſus eſt, non reuertetur?* Et 3. eiuſdem Prophetæ: *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus.* Et 55. Eſaiæ: *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius;* Et alijs infinitis ſacræ ſcripturæ locis.

Metus quoque reddit difficilem contritionē.

quia dæmon multis moleſtijs afficit eos, qui à datâ ſibi fide recedere volunt, ſubinde etiam verbera infligit, mortem, & duriſſima quæque minatur. Confeſſarij igitur partes erunt volentem conuerti, & conteri admonere, vt in fide conſtanter reſiſtat, nulliſque dæmonis minis terreatur, aut eius ſuaſionibus conſentiat, certoque ſibi perſuadeat victoriam hâc ratione breui de dæmone reportaturum, quia, vt dicit, D. Gregorius, *Diabolus, cùm ei fortiter reſiſtitur, debilis eſt vt formica, cùm verò ſuggeſtio eius recipitur, fortis vt Leo.* Huius rei præclarum exemplum exhibuit D. Antonius, quem narrat Athanaſius in eius vitâ adhuc nouitium in eremo ſæuiſſimis à dæmone exceptum fuiſſe vulneribus, ita vt ſemianimis relictus ad proximum vicum curandi cauſsâ deferri debuerit, at Antonium aliquantulum conualeſcentem ad priſtinum locum denuò ſe contuliſſe ad ſeruiendum Deo, paratum ad noua verbera pro beneplacito Dei: Hâc animi conſtantiâ munitum virum ſanctum nequiſſimos ſpiritus non amplius auſos fuiſſe accedere, ſed varias formas induiſſe, ferarumque more alios regijſſe, alios vlulâſſe, alios dentibus frenduiſſe, alios flammas ore, manibus, auribuſque euomuiſſe, vt terrorem ei incuterent, cui verbera amplius inferre non valebant, vt ſaltem hoc pacto à viâ ſalutis eum auerterent; ſed vbi fortiſſimum Athletam nec verbera curare, nec horrenda ſpectra perhorreſcere cognouerunt, victos turpiter diſceſsiſſe. Narrat quoque, eidem inter verbera, terroreſque lucem

cem

cem diuinitus apparuiſſe, quâ expauefacti dæmones diffugerunt: Antonium verò eo ſplendore recreatum erexiſſe ſe, & quaſi præſentem Deum aſpiceret, dixiſſe; Vbi eras, bone Ieſu, vbi eras? Reſponſumque accepiſſe. Aderam Antoni, ſed euentum tuæ pugnæ præſtolabar, quam quoniam imperterritus, immotuſque viriliter ſuſtinuiſti, manet tibi victoriæ tuæ indeficiens in cœlo triumphus, præmiumque ſempiternum. Plura exempla Sanctorum, qui fortitudine, & conſtantiâ diabolum, omneſque eius tentationes, & terriculamenta viriliter ſuperârunt, habes apud Marcum Marulum *lib.* 5. *de religioſè viuendi inſtitutione, c.* 7. quæ expediet cõfeſſarium cum maleficis pœnitentibus agentem in parato habere.

Circa confeſsionem, ſummoperè allaborare debet Confeſſarius, vt illa ſit integra; Nam, *vt in ſuperioribus diximus*, hoc inter cætera malefici dæmoni promittere ſolent, nunquam ſe integram confeſsionem Sacramentalem facturos: Verùm, excuſſo vano metu, ratione (*quam præcedente quæſtione diximus*) non difficulter obtinebit Confeſſarius, vt integrè confiteantur.

Circa abſolutionem; Primò, conabitur ſcire confeſſarius, An pactum aliquod expreſſum habeat cum dæmona, quæ ſint, quæ promiſit, & quâ ſolemnitate pactum initum ſit; Et (quia dæmon ante omnia in his pactis petit Deum, Chriſtum, eiuſque Sacramẽta negari, præcipuè verò ſacram Euchariſtiam, ſibi verò adorationem latriæ exhiberi, ſacrificia offerri, in qui-

bus Sacramentalia, & res aliæ Deo conſecratæ ſubinde admiſcentur) ſcire debet, an maleficus habuit errorem in mente, ita eſſe credendo, putà quod non ſit vnus Deus, quod Chriſtus non ſit Saluator mundi; quod eius Sacramenta nullius ſint efficaciæ, quod dæmon diuinitatem habeat, quod ſciat futura contingentia, quod Euchariſtia, & res aliæ ſacræ vim aliquā habeant ad maleficia perficienda; quia ſi habuit errorem circa iſta, vel aliquod iſtorum, fuit hæreticus, & excommunicatus, & debebit abſolui per illum, & eo modo, quô ſuprà docuimus abſolui debere hæreticum; Si non habuit errorem, non fuit hæreticus, nec excommunicatus, ſed tantum peccauit mortaliter contra confeſſionem fidei, quamuis talis in foro exteriori præſumatur hæreticus, & procedatur contra illum per inquiſitores fidei, cùm præfata facta, & dicta ſint hæreticalia, aut ſaltem manifeſtam ſapiant hæreſim, *iuxta c. accuſatus, de hæreticis in 6.*

Secundò, aduertere debet qualia, & quod maleficia patrârit circa animas, corpora, & res fortunæ, quia tenetur ad reſtitutionem omnium damnorum.

Quod etiam verum eſt, meo iudicio, ſi extremo ſupplicio afficiatur, *per illa quæ habet Nauarrus c. 15. nu. 25. & nos 3. c. huius poſterioris partis q. 3. diximus in ſimili.*

Tertiò, aduertere debet num maleficus aliquos occiderit, & quos, quia imprimis irregularitatem incurrit, & ſi clericos, excommunicationem reſeruatam Summo Pontifici, *vt antè*

Latè

latè oſtendimus c. 3.

Quartò, obſeruare debet vtrum maleficus habeat adhuc aliqua maleficia vſpiam collocata, quæ necdum damnum aliquod intulerint, aut ſaltem res ſit adhuc integra; hoc eſt damna auerti, aut tolli poſſint, quia licet maleficus maleficium maleficio tollere non poſſit, nec quiſquam, vt illud hoc pacto tollat, eum rogare, *ſecundum communem, quam ſuprà docuimus*, licet tamē, imò tenetur maleficium, hoc eſt ſignum maleficum ſine nouo tamen maleficio, ſi poteſt tollere, & quiſque ab eo petere poteſt vt illud tollat, proteſtatione tamen præmiſsâ, ſe nolle negotium cum dæmone habere, vt ex Caietano antè annotauimus, cuius ſententiæ plerique omnes hodie ſubſcribunt.

CAPVT OCTAVVM.

De incantatione octauo caſu reſeruato.

QVAESTIO PRIMA.

Quid Incantatio?

EST ſuperſtitio, quâ quis verbis ſolis aliquid ſupra naturam agit; Hinc incantatores dicuntur, qui artem verbis tantùm peragunt, *ſecundum D. Aug. lib. de naturâ dæmonum.* Quod eleganter ſignificauit Lucanus hoc carmine:

Mens

Mens hauſti nulla ſanie polluta veneni
Incantata perit.

Incantatio fit duobus modis, Vno, verbis, ſiue carminibus prophanis, quæ expreſſam, vel tacitam dæmonum inuocationem continent. Altero, verbis ſacris, ſed quibus ſuperſtitioſa quædam admiſcentur. *D. Thom. 2. 2. q. 97. art. 4. Nauarrus c. 11 nu 30.*

Deprehendi poteſt quid ſuperſtitioſum additum eſſe verbis ſacris his, & ſimilibus ſignis; Primò, ſi adhibeantur dictiones, vel orationes nihil ſignificantes.

Secundò, ſi dictiones ſignificent quidem, ſed nihil ad propoſitum. Caietanus in ſummula. *Eſt enim* (inquit) *Dæmonum opus quaſi manifeſtum.* Tertiò, ſi addantur certæ figuræ, circuli, characteres prẹter ſignum crucis. *D. Thom. ſuprà.* Quartò, ſi nomina ignota prẹſertim Angelorum: Quod notauit Chryſoſtomus ſuper Matthæum *Hom. 43. in opere imperfecto*: *Aliqui* (inquit) *Phariſæorum magnificantium fimbrias ſuas exemplo, nomina hebraïca Angelorum conſiigunt, & ſcribunt, & allegant, quæ non intelligentibus metuenda videntur*; Et magis ſi ſint nomina malorum Angelorum nota, putà Deus Accaron, quod eſt nomē Beelzebub principis dẹmoniorum, *vt habetur 4. Regum 1. c.* Dum Elias monitu ab angelo reprehendi Ochoziam Regē his verbis: *Nunquid non eſt nobis Deus in Iſraël, vt eatis ad conſulendū Beelzebub Deum Accaron?* Solere illud frequenter miſceri ſacris nominibus per Incantatores teſtatur Paulus Grillandus, *de ſortilegijs q. 3. nu. 23. & q. 11. nu. 24.* Quinto, ſi admiſceantur

ceantur quædam falſa, vt, quod Ieſus dixit vxori ſuæ, vel quod habuit ſpaſmum, febres, quia illorum effectus non poſſunt expectari à Deo, cum non ſit teſtis falſitatis. *D. Thomas ſuprà*, & *armilla verb. Incantatio.* Sextò, ſi adiungantur apocripha, vel incerta. *Caiet. ſuprà; Mirum eſt* (inquit ibi) *quòd huiuſmodi incerta habeat à Deo virtute, & certa non; Deinde mirum eſt quòd Deus ſanctis viris, quibus credit ſecreta ſapientia ſua, & virtutem potentia ſua in miraculis, & Sacramentis, quibus etiam promiſit notitiam omnis veritatis, ſecretas has ſacrorum virtutes negauerit, & vetulis, ac perſonis qualibuſcumque hac communicauerit.* Septimò, ſi apponantur quædam circumſtãtiæ nihil ad rem pertinentes, vt ſi dicatur oporte te talia verba ſcripta eſſe manu ſiniſtrâ, vel in chartâ caprinâ, vel ſcripta eſſe per virginem, vel tali die, & horâ; hæc enim nihil faciunt ad virtutem verborum: deinde nihil ad Dei cultum, vel rectam rationem ſpectant. Octauò, ſi ex verbis ſacris recitatis, putà verſiculo alicuius Pſalmi Dauidici promittatur aliquis affectus vanus, vt quod annulus in folio mouebitur, & ſaltabit, quia manifeſtum eſt, quod Deus non operatur ad huiuſmodi vana, ſed potiùs dæmon, qui gaudet honorari verbis, & rebus ſacris. Poſtremò, ſi verbis ſacris clarâ voce recitandis addantur quædam alia ad aurẽ tacitè ſuggerenda, putà ægroti hominis, vel bruti, quod in incantationibus frequentiſſimũ eſt.

Ex his ſequitur Incantationem ſuo genere peccatum eſſe mortale ex grauiſſimis, quum in illa ſit dæmonis inuocatio ſiue expreſſa, ſiue tacita.

cita. Patet hoc ipſum ex pœnâ canonicâ; nam incantatores debent excommunicari: *29.q.5.can. auguriis, & can. Si quis clericus, & can. Episcopi*; Quæ pœna non infertur niſi propter peccatum mortale. Eccleſiaſticus inſuper ſi commiſerit hoc crimen, debet deponi ab officio, & beneficio, & detrudi in monaſterium ad agendam perpetuam pœnitentiam. *26. q. 5. can. Si quis Episcopus*, Quod intellige, ſi admonitus nolit deſiſtere, *vt colligitur ex can. quicumque, cauſâ eâdem.*

Excuſatur quis à mortali per ignorantiam, quia neſcit eſſe dæmonis inuocationem, ſed bonâ fide arbitratur ſe dare operam rei licitæ; Quæ tamen ignorantia videtur habere locum tantùm in perſonis idiotis, quamdiu non ſunt monitæ; Poſt monitionem autem, ſi non deſiſtant, non excuſantur, quia ceſſat ignorantia, & bona fides. Non excuſantur etiam, qui ignoranter fecerunt, qui tamen ſi ſciuiſſent nihilominus feciſſent, quia in talibus ignorantia non eſt cauſſa peccati. Caietanus *verb. Incantatio*, & poſt illum Armilla *eodem verbo.*

Difficultas vnica: An liceat hodie Sacerdotibus quibuſcumque per verba ſacra benedicere homines infirmos, bruta animantia, equos, vaccas, & ſimilia ad ſanitatem recuperandam?

Dicendum; Primò, initio Eccleſiæ, quô fides plantabatur, pleroſque inter Chriſtianos dotatos fuiſſe gratiâ ſanitatū, quâ verbis ſacris ſanitatē reddebant hominibus ægrotis, iuxta illud Marci vltimo: *Signa autē eos, qui in me crediderint, hæc ſequentur, in nomine meo dæmonia eÿcient, linguis loquētur*

nouis

nouis, ſerpentes tollent, & ſi quid mortiferum biberint, nõ eis nocebit, ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.

Secundò, quod ad hoc potiſſimum valuerit recitatio Symboli Apoſtolici, & orationis Dominicæ, *26. q. 5. can. non liceat Chriſtianis.*

Tertiò, poſt tempora Apoſtolorum ſimiliter fideles præſertim pios, & doctos Sacerdotes adhibuiſſe orationes, & exorciſmos ad ſanandum ægrotos abſque omni ſuperſtitione; Cuius ſignum eſt, quod in antiquioribus Eccleſijs, & apud pleroſque Doctores reperiuntur plurimæ orationes, & exorciſmi ad ſanitatem, non ſolùm hominum ſed etiam pecorum, & quorumcumque animalium compoſitæ abſque vllâ labe ſuperſtitionis: Quod annotauit Ioannes Nider in ſuo præceptorio, *præcepto 1. c. 11. q. 26.*

Quartò, progreſſu temporis Sacerdotibus remiſſiùs officium ſuum agentibus, procurante dæmone, pleriſque orationibus ſacris, & exorciſmis multa vana, & illicita adiecta fuiſſe. *Ioãnes Nider ſuprà.*

Quintò, non obſtantibus iſtis poſſe pios, & doctos Sacerdotes hodie adhibere ſuper infirmos homines, & iumenta orationes ſacras, & exorciſmos legitimos pro recuperandâ ſanitate, ſi modò abſit ſcandalum.

Quod dico, propter indoctos, & ſuperſtitioſos Sacerdotes, quorum hodie nimis magnus eſt numerus, qui exemplo aliorum fortè vellent verbis ſuperſtitioſis, & incantationibus vti ad ſanitatem hominum, & iumentorũ, præſertim cùm ſubinde valde difficile ſit ſuperſtitioſ

tioſa verba à non ſuperſtitioſis, & incantationes ab orationibus, & exorciſmis legitimis diſtinguere. *Idem ſuprà poſt Durandum, & D. Thomam 2. 2. q. 97. art. 4. & 2.*

Quare hâc in parte ſumma debet ab Epiſcopis, Archidiaconis, & alijs Prælatis adhiberi cautio.

Qvaestio secvnda.

Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum?

Ex præmiſſis ſequitur; Primò non incurrere hunc caſum mulierem illam quæ ad homines ſanandos, vel alia animalia ægrota adhibuit incantationes quas accepit à maioribus, credens ſe recitare orationes legitimas, & approbatas; Incurret tamen, ſi poſtquam legitimè monita eſt, non deſiſteret, *per illa, quæ in præcedente quæſtione diximus.*

Secundò, neque illum, qui incantationes ex libris magicis didicit, & ſæpiùs recitauit, ſed illis nihil effecit, quamuis peccet mortaliter addiſcendo, & recitando, & grauiter in vtroque foro puniri debeat; Imò neque incurrit hunc caſum in foro conſcientiæ, vt apparet, qui incantationibus inutilibus admiſcet quædam medicamenta naturalia, quæ virtute ſua naturali ægrotis, ſiue hominibus, ſiue pecoribus ſenſim ſanitatem reſtituunt; Quia ſanitas non virtute verborum, ſed naturalium medicamentorum ſubſequitur, vt præſupponimus; quamuis in foro exteriori talis incantator præſuma-

tur, & vti talis puniatur.

Tertiò, neque Caietanum, qui, vt ipſe de ſe refert *in ſummulâ, verbo Incantatio*, proteſtatione præmiſsâ nullum ſibi negotium eſſe cum dæmone, impoſuit filo annulum, & recitauit verſiculum illum Pſalmi, quem dum incantatores recitare ſolent, moueri ſolet, & ſaltare annulus. Ratio eſt, quia non recitauit illum animo ſuperſtitioſo, ſed potiùs religioſo, vt doceret verſiculum illum nullam virtutem habere ad mouendum annulum, ſi quis recitet illum ad gloriam Dei, ad quam primum fuit compoſitus à Pſalmiſta, quod experientiâ comprobauit, quia non fuit motus annulus; Peccâſſet verò etiam mortaliter, ſi vel ſolùm ioco recitaſſet illum, quaſi virtutem habentem ad mouendum annulum, quia virtutem illam habere non poteſt niſi ex pacto inito cum dæmone; Et incidiſſet in hunc caſum, ſi motus fuiſſet annulus, *vt patet ex dictis.*

Quartò, è contrario ſequitur, incidere in hunc caſum illum, qui verbis ſacris, vel prophanis ſuperſtitiosè homines dementat, & ſubinde omnium rerum obliuionem inducit, valetudinem corporis lædit, aliquando etiam occidit; Quæ omnia ſolâ incantatione fieri poſſe teſtantur Doctores, Malleus maleficarum *p. 2. q. 2. c. 5.* Paulus Grillandus, *tractatu de ſortilegijs q. 3. nu. 27. & q. 8. nu. 2.* Quod etiam obiter affirmat Lucanus, verſu per nos ſuprà allegato, & confirmat quotidiana experientia.

Quintò, & illum, qui è diuerſo verbis, oratio-

nibus, exorciſmis ſuperſtitioſis, virorum, mulierum, puerorum, puellarum, pecorum cuiuſcumque generis morbos ſanat.

Sextò, & poſtremò, & illum, qui ſuperſtitioſè ſerpentes, lupos, & alia animalia prouinciæ nociua incantat, & domat, vt ampliùs nocere non valeant. D *Thom. 2. 2. q. 97. art. 4. ad 2.* Secùs dicendum eſſet, ſi vir aliquis ſanctitate eximius, oratione fusâ, vel verbis ſacris prolatis, ſoli virtuti diuinæ innitens ſerpentes è medio tolleret, & interimeret, & abeſſet ſcandalum; Tamen, vt bene monet D. *Thomas ſup.* orationes, quæ fiunt circa ſerpentes, magis ſuſpectæ ſunt ſuperſtitionis, quàm quæ fiunt circa alia animalia; quia ſerpens primum fuit dæmonis inſtrumentum ad hominem decipiendum.

Quaestio tertia.

Quæ obſeruanda circa contritionem, confeſſionem, & abſolutionem incantatoris pœnitentis?

EAdem ferè, quæ dicta ſunt circa pœnitentiã malefici. Circa contritionem primò obſeruandum, illam difficilem eſſe, maximè illorum incantatorum, qui pactum habent expreſſum cum dæmone, Deum nimirum abnegârunt, & fidem Dæmoni dederunt; Verùm tales animandi ſunt ad conuerſionem, & inſtruendi, ſicut *ſuperiore capite q. vltimâ de maleficiis* diximus.

Circa Confeſſionem cauendum vt illa ſit integra propter rationem ibidem aſſignatam.

Circa

Circa Abſolutionem aduertendum (ſi fortè Deum abnegauit, eiusque Sacramenta) errorémne in mente habuerit, quia eſſet excommunicatus Papali excommunicatione; Aliàs ſolum peccauit mortaliter, *vt ſuprà in ſimili diximus.*

Secundò, vtrum Clericos, aut Religioſos incantationibus quocumque modo læſerit, quia ſic incurrit excommunicationem papalem canonis, *Si quis ſuadente diabolo*, à qua ante omnia debet abſolui, *prout antè diximus.*

Tertiò, quæ damna intulerit, quia ad omnium reſtitutionem obligatur; Vtrum verò quando res eſt adhuc integra, hoc eſt, quando incantatio, vel malum ex eâ ortum tolli poteſt, liceat incantationem aliâ incantatione tollere, ſiue fruſtrare, dic, vt ſuprà de maleficio diximus in ſimili quæſtione.

Quartò, habeátne libros magicos incantationes continētes, quia illis apud ſe retentis abſolui non debet.

Quintò, vtrum incantationes, maleficia, & ſimilia ſcelera alios docuerit, quia abſolui non debet, niſi quantum in ſe eſt, eos conuertat, & ſi conuerti, aut abſtinere nolint, eos ad ſuperiores referat, & accuſet.

Sextò, an mutilauerit, aut occiderit aliquos ſuis incantationibus, quia tunc incurrit irregularitatem, in quâ cum eo diſpenſari debet, ſi ad ordines ſacros, aut ad beneficia Eccleſiaſtica promoueri velit, &c.

CAPVT NONVM.

De procuratione aborſus nono caſu reſeruato.

Quaestio prima.
Quid aborſus, & , quis dicitur procurare aborſum?

ABorsvs eſt eiectio ex vtero fœtus immaturi ſiue formati, ſiue informis, ſiue animati, ſiue inanimati.

Fœtus informis dicitur, quando tantùm embrio, hoc eſt, caro coagulata eſt in mulieris matrice abſque vllâ membrorum naturalium organiſatione, vel diſtinctione.

Inanimatus dicitur, quando necdum illi anima rationalis à Deo eſt infuſa: Anima rationalis non traducitur cum ſemine, ſicut plures erroneè docuerunt, ſed à Deo ſolo creatur, & creando corpori infunditur. Quod apertè probatur ratione Theologicâ tali; Si enim cum ſemine traduceretur, nunquam eſſet fœtus in vtero matris ſine anima rationali, quod apertiſſimè repugnat ſcripturæ: nam Moïſes ſtatuens pœnam percutienti mulierem ſic, vt aborſum patiatur, vtitur diſtinctione tali: Si fœtus fuerit animatus, percuſſorem tanquam homicidam puniri præcipit, animam pro anima: Si verò non fuerit animatus, pecuniariam mulctam ſtatuit: Quæ poſterior pœna legis ſatis indicat fœtum

fœtum in vtero matris pro aliquo tempore non habere animam rationalem.

De tempore, quô anima rationalis infunditur, diuerſimode loquuntur Doctores tum prophani, tum ſacri: Auicenna, *de natura animalium lib. 9. c. 3.* dicit aliquando infundi tertio die à conceptione: Albertus magnus, *de animalibus lib. 9. tract. 2. c. 5.* dicit aliquando, ſed raro infundi animam rationalem 25. die: Ariſtoteles *lib. 5. animalium c. 3. & 9.* Et Plinius *lib. 7. naturalis hiſtoriæ c. 6.* tenent animam rationalem in maſculis 40. in fœminis 80. & 90. infundi. Hæc eſt communis opinio, quam omnes ferè Doctores ſcholaſtici ſequuntur *ſuper 4. ſent. diſt. 35.* Probatur ſcripturâ ſacrâ; nam Mulier *Leuit. 21.* quę peperit marem, iubetur abſtinere ab ingreſſu templi 40. diebus, quę verò fœminam 80. Probatur etiam Doctoribus canoniſtis Gloſſ. 5. *diſtinctionis in principio verſ. 40.* quam refert, & ſequitur Panormitanus *in c. ſi aliquis, de homicidio p. 2. §. 3.* Et fusé Grillandus *de ſortilegijs q. 13. à nu. 3. vſque ad 6.* Et ſequitur hodie ſacra pœnitentiaria, *vt teſtatur Nauar. lib. 5. Conſiliorum, conſilio 22.*

Procurare aborſum, eſt ſtudiosè hoc agere ſiue per ſe, ſiue per alium, vt fœtus ex vtero prę maturè eijciatur. Quod fit varijs modis, potionibus, medicamentis, venenis, percuſſionibus, ſaltationibus, magnis itineribus, oneribus, laboribuſque magnis mulieri pręgnāti impoſitis, & alijs infinitis exquiſitis, & nobis incognitis rationibus, quas impudici homines, & meretrices quotidie adinueniunt, quas obiter tangit

Bulla Sixti V. contra procurantes aborſum nuper edita; *De quâ plura paulò inferiùs dicemus.*

Vnde infertur, procurare aborſum eſſe ex ſuo genere peccatum mortale, ſicut & homicidium, quia qui hoc agit, quantum in ſe eſt, vitam homini eripit.

Et prohibetur omni iure: Naturali, nam ipſa bruta animantia fœtum expectant: Diuino: *Non occides*: Canonico *c. quod vero*, cum alijs *32. q. 2. & c. ſicut, de homicidio, Conc. Arauſicano c. 2. Conc. Ilerdenſi c. 2. Triburenſi ſub Arnolpho Imperatore c. 5.* Iure ciuili. *c. ſi aliquid. §. qui aborſus, & l. Licere ff. de pœnis, & leg. mulierem ff. de cirargis.*

Difficultas prima: Eſtne licitum ad conſeruandum alicuius puellæ prægnantis honorem aborſum fœtus ſaltem informis procurare?

Clariſſima, & certiſſima reſponſio eſt, non licere: quia non ſunt facienda mala, vt eueniāt bona. *Rom. 3. c.*

Ex quo euidentiſſimè patet error quorundā modernorum, qui, ſaltem pro conſeruando honore (vt dicunt) alicuius nobilis domicellæ imprægnatæ putant hoc licere.

Non obſtat, quod illi obijciunt, licere tueri famam cum periculo proprio, & detrimento corporali ſecundum pleroſque Doctores; Nauar. *c. 18. multis locis*, Caietanum, Sotum, & alios: Quia certum eſt ſecūdum omnium opinionem non licere inferre alicui tertio maius, vel æquale malum ob ſuam famam præſertim malè perditam conſeruandam, quod hîc fit, quia naturæ fit iniuria; Deinde proli, quæ iam eſt in fieri.

Poſtre-

Poſtremò reipublicæ, cùm eius ciuis futurus iniuſtè eripitur, & necatur, &c.

Difficultas ſecunda: An liceat ſaltem pro conſeruatione vitæ mulieris prægnantis fœtum excutere, præcipuè ſi iudicio medicorum illa verſetur in certo mortis periculo?

Dicendum, ſi fœtus animatus eſt animâ rationali (quod ſciri poteſt per illa, quæ ſuperiùs diximus de tempore, quô anima rationalis corpori infunditur) peccatum eſt homicidij perfecti fœtum talem excutere, ſecundum communem, Syluestri *verb. medicus, q. 4.* Armillæ *verb. aborſus*, Nauarri *c. 25. nu. 62.* Couar. ex profeſſo *de homicidio p. 2. §. 3. nu. 1.* quare in tali caſu mater tenetur potiùs mori, quàm vt infans corpore ſimul, & animâ moriatur, per illa, quæ habet Syluester *verb. bellum 2. q. 4.* Vbi dicit Paſtorem debere potiùs mori, quàm ſine baptiſmo relinquere infantem in periculo vitæ conſtitutum; Si tamen certo conſtaret infantem moriturum in vtero matris, poſſet mater vti iure ſuo pro conſeruatione vitæ propriæ, ſed, vti dixi, certo conſtare deberet, quod eſt valdè difficile.

Difficultas tertia: Quid faciet adoleſcentula, quæ procurauit aborſum, parenteſq; hoc ſuſpicantes volunt illam ſuo Parocho confiteri, & communicare, & ſi hoc renuat tanquam certiſſimum delicti indicium hoc habentes illam perimere decreuerunt: poteritne per illum abſolui, & permitti, vt communicet, vt ipſius vita ſaluetur?

Dicendum; Vel illa habet parochum ſecretum, & ſigilli cõfeſſionis obſeruatorem; de quo nulla ſuſpicio eſt, quod parentibus quocunque

modo confeſſionem reuelabit; Vel non habet: Si non habet, confitebitur omnia peccata ſua parocho excepto aborſu, cum propoſito confitendi omnia, & ſingula peccata, habitâ copiâ Confeſſarij, qui poterit illam ab omnibus abſoluere, & ſic communicabit: Quod ſufficit, quia hoc caſu cenſenda eſt non habere legitimum Confeſſorem. Si habet parochum ſecreti tenacem, cõfitebitur illi omnia ſua peccata, etiã aborſum procuratum, illeque abſoluet ab omnibus, excepto aborſu, & ſic communicabit: Parochus poſtea adibit ſuperiorem pro facultate impetrandâ abſoluendi illam ab aborſu; Quę omnia ſigillatim, & clarè probauimus priore parte huius tractatus: *c. 9. q. vnicâ*, vt non ſit opus hoc loco repetere.

Difficultas quarta, & poſtrema: Quæ eſt pœna procurantium aborſum?

Dicendum; Primò, quod ad pœnam vitæ futuræ attinet, ea eſt æterna omni peccato mortali debita.

Quoad pœnam vitæ præſentis diſtinguunt Doctores; Aut enim fœtus eſt animatus animâ rationali, aut non eſt animatus; Si primum, iure canonico incurritur irregularitas. *c. ſi aliquis de homicidio*, quia eſt homicidium perfectum: Ciuili, pœna mortis *ff. de pœnis l. ſi aliquis aliquid §. qui aborſionis.*

Si dubium eſt, an fœtus ſit animatus, quia nimirum non apparet an fœtus ſit maſculus, vel fœmineus, aborſum procurans debet in foro conſcientiæ iudicare ſe irregularem, pro quo vide-

videtur eſſe caſus *in c. ad audientiam, de homicidio:* In foro tamen exteriori iudex, coram quo accuſaretur, deberet eum abſoluere iuxta *c. cùm ſint iura partium obſcura, de regulis iuris lib. 6.*

Non obſtat huic reſolutioni quod in *c. ſi quis de homicidio*, dicatur homicida, qui abortionis cauſſa fuit, vt proinde videri poſſit abſque diſtinctione omnis aborſum procurans irregularis; Quia reſponderi poteſt, quod impropriè ſolùm dicitur homicida, qui hoc fecit ante infuſionem animæ rationalis, *vt notat ibi gloſſa.*

Secundò, quod nouiſſimè Sixtus V. Bullâ editâ anno 1588. contra procurantes aborſum longè grauiores pœnas conſtituit his verbis: *Omnes, & quoſcumque tam viros, quàm mulieres cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, ac conditionis, etiam clericos ſæculares, vel cuiuſcumque ordinis regulares, quauis dignitate vel præeminentiâ Eccleſiaſticâ, vel mundana fulgentes, qui de cætero per ſe, aut interpoſitas perſonas aborſus, ſeu fœtus immaturi tam animati quàm inanimati, formati, vel informis eiectionem procurauerint percuſſionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribusq́; mulieri prægnanti impoſitis, ac alijs etiam incognitis, vel maximè exquiſitis rationibus, ita vt re ipſa aborſus inde ſubſecutus fuerit, ac etiam prægnantes ipſas mulieres, quæ ſcienter præmiſſa fecerint, pœnas tam diuino, quàm humano iure, ac tam per canonicas ſanctiones, & Apoſtolicas conſtitutiones, quàm ciuilia iura aduerſus veros homicidas, qui homicidium volunt animo actu, & reipſa patrauerint, propoſitas, & inflictas eo ipſo incurrere, hâc noſtrâ perpetuò valiturâ conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, pſasq́; pœnas, leges, & conſtitutiones ad caſus præfatos*

extendimus: Eos verò, qui Clerici fuerint, omni priuilegio clericali, officijs, dignitatibus, & beneficijs Eccleſiaſticis, quæ ſic vacatura noſtræ, & Apoſtolicæ Sedis diſpoſitioni perpetuò reſeruamus, ipſo facto priuamus, & in futurũ inhabiles ad ea ſuſcipienda decernimus, adeò vt illi, qui hoc delictũ commiſerint, non ſecùs atque ij, qui ſuâ voluntate homicidium perpetrauerint, iuxta Conc. Trid. decreta, etiãſi crimen hoc, nec iudiciario ordine probatum, nec aliâ ratione publicum, ſed occultũ fuerit, ad ſacros ordines promoueri, aut in ſuſceptis ordinibus miniſtrare vllo modo poßint, nec illis aliqua beneficia Eccleſiaſtica, etiamſi curam non habeãt animarum, conferri liceat, ſed omni ordine, ac beneficio, & officio perpetuò careant, necnon & illos, qui clerici non fuerint, & talia perpetrauerint, non ſolùm pœnas incurrere ſuprà narratas, ſed etiam inhabiles ad ordines, & alia prædicta decernimus, & declaramus; volentes quod hi qui foro Eccleſiaſtico ſubiecti, vt præfertur, deliquiſſe comperti fuerint, per Iudicem Eccleſiaſticum depoſiti, & degradati Curiæ, & poteſtati ſæculari tradantur, quæ de eis illud capiet ſupplicium, quod contra laïcos verè homicidas, per diuinas leges, ac Ciuilia iura eſt diſpoſitum, &c. Et poſt pauca; *Inſuper vt immaniſsimi huius delicti grauitati non ſolum tẽporalibus, verumetiam ſpiritualibus pœnis proſpiciamus, omnes, & ſingulos cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, vel cõditionis exiſtentes, tam laïcos, quàm clericos ſæculares, & quemcumque ordinem profeſſos, qui, vel quæ, vel vti principales, vel vt ſocia, conſociave ad tale facinus committendũ opem, conſilium, fauorem, potionem, vel alia cuiuſcumque generis medicamenta ſcienter dederint, ac etiam ſcribendo litteras priuatas, vel alias verbis, vel ſignis iuuerint, vel conſuluerint, vltra ſupradictas pœnas nunc prout extunc excõmunicamus, & pro excommunicatis declaramus, decernentes, ac declarantes, quod per quæcumque Iubilea, ac Indul-*

gentias etiam cruciatæ, Iubilei, aut quouis alio titulo conceſſas, & concedendas, ac virtute priuilegiorum mare magnũ, vel aliàs quomodolibet nuncupatorum quibuſuis congregationibus Regularium, ac Epiſcopis virtute Conc. Trid. vel aliàs per nos, & prædeceſſores conceſſorum, vel in futurum concedendorum, perſonæ, ſic vt præfertur, excommunicatæ præterquam in mortis articulo abſolui valeant, nec cum iis clericis, qui huiuſmodi delicta perpetrauerint, etſi eorum crimen occultum fuerit, ſuper irregularitate ex præmiſſorũ occaſione contractâ, nec per locorum Ordinarios, nec per alios quauis auctoritate fungentes, ſed tantum per nos, & Romanorum Pontifices noſtros ſucceſſores diſpenſari poſſit; ac tam abſoluendi, quàm diſpenſandi facultatem etiam quoad forum conſcientiæ in caſibus ſuperiùs expreſſis nobis, & Superioribus noſtris reſeruamus.

Hæc Bulla tria ſingularia continet; Primum, tollit, vt videtur, diſtinctionem fundatã in iure communi, quâ hactenus Doctores diſtinguere ſolebant inter fœtum animatum, & inanimatũ quoad incurrendam irregularitatem; qui enim hactenus procurabat aborſum fœtus animati, cenſebatur irregularis: qui inanimati, peccabat mortaliter, ſed nullam præterea cenſuram, aut irregularitatem incurrebat: Modò nouo iure Sixti V. vterque, vt videtur, cenſeri debet irregularis.

Secundum, tollit quoque difficultatem quæſtionis, quâ Doctores hactenus quærere ſolebant, quô tempore corpori infundatur anima rationalis. Ideò enim hoc tam diligenter inueſtigabant, vt ſcire poſſent quando quis iudicandus eſſet in irregularitatem incidiſſe, quod deinceps ſcire inutile erit Theologo, ſi hæc Bul-

la ab omnibus recipiatur, vt patet.

Tertium, quod cùm hactenus iure communi, iuxta communem Doctorum interpretationem propter tria tantùm crimina clericus debuerit tradi brachio ſæculari, quæ ſunt, Hæreſis, *per c. ad abolendam, de hæreticis*. Falſificatio litterarum Summi Pontificis, *per c. ad falſariorum, de crimine falſi*: Calumnia, quam quis intulit ſuo Epiſcopo, *per c. ſi quis Sacerdotum 11. q. 1.* Modò per hanc Bullam tradi etiam debebit propter aborſum procuratum.

Graue hinc oritur dubium; Vtrum hæc Bulla cum ſuis pœnis, quæ ſeueriſſimæ ſunt, obliget hodie incolas Diœceſis Leodienſis?

Dicendum; Primò Bullas Romæ publicatas, attento ſtylo, & conſuetudine Eccleſiæ, & Curiæ Romanæ obligare quoſcumque poſt duos menſes, vel aliud tempus expreſſum in eis; At in hâc Bullâ exprimitur tẽpus quindecim dierum, quibus lapſis vult Pontifex omnes Chriſti fideles obligatos eſſe, & illi iamdiu lapſi ſunt, vt patet; *Ergo, &c.*

Secundò, nihilominus à tranſgreſſione huius Bullæ, & incurſione pœnarum excuſari Leodienſes; Primò, quia plerique omnes probabiliter ignorant pœnas in eâ contentas; aut, ſi aliquid ſciunt de illis, ſolùm ſciunt per audire dici, vel quia fortè quiſpiam Româ ſcripſit, vel aliter; quod non ſufficit: quia talis ſcientia non ſolet ſufficienter inducere fidem, aut credulitatem in audientibus, cùm frequenter poſtmodum intelligamus multa nobis perperam, &

malè

male Româ ſcripta eſſe, vt frequentiùs experientia nos docuit. Secundò, quia etſi quidam fortè ſint Leodij, qui iuſtis rationibus permoti credant Romæ publicatam eſſe talem Bullam continentem talem, vel tales pœnas; putamus tamen nihilominus excuſari Leodienſes, vt ſuprà; ex hoc ſaltem capite, quia non eſt ſcita, vel recepta à maiori parte populi Leodienſis, per illa, quæ docet Nauarrus *c. 23. nu. 41.* his verbis, *Lex, antequam recipiatur, ſaltem per maiorem partem Ciuitatis, cuius eſt pars, tranſgreſſorem illum non ligat, quoniam promulgata videtur cum conditione, ſi recipiatur ſaltem per maiorem partem.* Cæterùm, quicquid ſit de hâc ſententiâ Nauarri, poſtquam præcedentia ſcripſiſſem, à viris fide digniſſimis intellexi conſtitutionem Sixti V. de aborſu, & in ea cōtentâ reuocata ad ius antiquum per ſucceſſorem eius.

QVAESTIO SECVNDA.

Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum?

EX præmiſſis ſequitur; Primò, non incurrere hunc caſum illum, vel illam, qui propoſuit aborſum procurare, etiamſi millies, ſiue in ſe, ſiue in alio, ſed ſolùm peccauit mortaliter toties, quoties hoc animo propoſuit; Imò non incurrit, qui aborſum procurauit, vel generationem herbis, medicamentis, ſanguinis euacuatione, vel alio quocumque modo impedire ſtuduit, ſi non abortiuit, quia ſolùm reſeruantur actus exteriores cum effectu.

Secun-

Secundò, neque illam mulierem, cui inſciæ, & ignoranti impius amator propinauit aliquid manducandum, vel bibendum, ex quo aborſus ſequitur, vt patet: illa enim non procurauit; ſecùs dicendum de amatore, qui propinauit.

Tertiò, neque illum, qui mulieri in partu laboranti ex arte medicinæ aliquid præbuit manducandum, vel bibendum, vel aliquid aliud fecit ad hoc, vt partus faciliùs ſequatur, & fœtus emittatur, etiamſi fœtus ex vtero prodeat mortuus. Ratio eſt, quia fœtus eſt maturus, & ſic non eſt abortus; Deinde & meliùs, quia talis propriè non procurat aborſum, ſed naturalē partum, vt mater, & fœtus à morte liberentur.

Quartò, neque illum maritum, vel patrem, qui leuiter caſtigat vxorem, vel filiam, vel aliquod verbum illi dicit, ex quo illa furore percita abortum patitur, quia talis non procurat aborſum neque in ſe, neque in ſuâ cauſsâ, vt patet ex ſignificatione vocis, procurare; Secùs ſi in caſtigando, vel obiurgando mortaliter excederet.

Quintò, neque illum medicum, chirurgum, vel alium, qui medendi gratiâ alicui mulieri potionem præbuit, etiamſi ex illâ, nullâ aliâ ſubſiſtente cauſsâ, aborſus ſequatur, quia dat operam rei licitæ abſque alio malo fine, vt præſupponimus.

Sextò, neque illum, vel illam, qui, vel quæ cauſsâ explendæ libidinis, vel odij meditatione, viro, vel mulieri aliquid facit, vel potandum donat, quò minus poſsit concipere, quamuis pec-

peccet mortaliter, & grauiter in vtroque foro puniri debeat. Ratio eſt, quia impedire conceptionem, vel generationem, ſiue agere, vt ſemen non ſit prolificum, & procurare aborſum ſunt diuerſa, vt ex ſuperioribus patet, & pœnæ ſunt reſtringendæ, neque extendendæ vltra ſuos caſus, *per regulam iuris, Odia in 6.*

Septimò, neque illum virum, vel illam mulierem, qui, vel quæ in actu matrimoniali abſtinet, vel retrahit ſe ab emiſsione ſeminis, cauſsâ conceptionis, vel generationis impediēdæ, quamuis peccet mortaliter. Cuius exemplū habes *Geneſ. 38. c.* de Onano filio Iudæ, qui fuit enecatus à Deo, quod iuſſus in lege ſuſcitare ſemen fratris ſui, & vxorem eius ducere, ſemen fundebat in terrā, ne liberi fratris nomine naſcerentur, *Rem* (inquit ſcriptura) *deteſtabilem operatus.* Ratio eſt, quia propriè loquēdo, neque hoc eſt procurare aborſum, quamuis ſit peccatum enorme, & deteſtandum: impeditur enim natura, ne effectum ſuum conſequatur priuando ſemen vitâ, ad quam directè tendebat.

Octauò, neque illam mulierē, quæ ex aliquâ cauſsâ repentinâ, vel ſubitâ animi paſſione, putà ingenti, vel ſubita lætitia, timore, appetitu cibi naturæ diſconuenientis, vel terribili, & ſubita hominū armatorum, vel rixātium viſione, & ſimilibus quotidianis caſibus patitur aborſum. Ratio eſt clara; Imò neque ipſe armatus, vel rixans incurrit, ſi probabiliter periculū aborſus, quod imminebat, ignorauit: Secus iudicandum eſſet, ſi aliquis ſciens alicuius mulieris in abortiendo facilitatem, in præſentia

eius aliquid ſupradictorum faceret, vel alicuius monſtri, aut dæmonis figuram repræſentaret, quia indirectè ſaltem cauſſa eſſet aborſus.

Nonò è contrario ſequitur, incurrere hunc caſum omnem illum, qui potiones, medicamenta, venena, & ſimilia porrigit, vel quid aliud ex ſupradictis facit, vnde fœtus in vtero conceptus præmaturè eijciatur; Quod verum erit, etiam ſi fœtus baptizatus ſuperuiuat, ſi modò præmaturè eiectus fuerit, quia hoc eſt propriè procurare aborſum, & per accidẽs eſt, quod fœtus viuat, vel moriatur.

Decimò, & illam mulierem, quæ, experta ex alicuius ponderis impoſitione ſe ſolitam aborſum pati, aliquid graue portandum aſſumit, ſi aborſum patiatur; Secus dicendum, ſi nunquã hoc experta præter eius intentionem idem patiatur, vt patet.

Vndecimò, & illam mulierem, quæ ex nimiâ libidine virum etiam maritum cognoſcit cum probabili periculo aborſus, cùm ſit grauida, ſi aborſus ſequatur. Ratio eſt, quia ſaltem indirectè eſt cauſſa aborſus. Secùs iudicandum, ſi illa reddens, imò etiam petens debitum à marito, iuſtâ cautelâ adhibitâ cognoſcit maritum, quamuis aborſus ſequatur, imò neque peccat mortaliter, *ſecundum communem.*

Duodecimò, & illam, quæ cùm occultè conceperit, varijs potionibus aborſum procurauit, nec potuit ſtatim fœtum eijcere, ſed tandem poſt duos, vel tres menſes infantem peperit, viuum quidem, ſed debilem, & imperfectum,

qui

qui ſtatim baptizatus interijt. Ratio eſt, quia per accidens eſt, quod ſtatim, vel poſt duos, vel tres menſes fœtus eijciatur, præſertim cùm certum ſit eſſe medicamenta, & venena, quæ non ſtatim operentur effectum, ſed certo interiecto tempore; Secùs tamen iudicandum videretur, ſi aliqua fortè ſuperueniat cauſſa, ex qua fœtus imperfectus prodeat, ita vt poſſit probabiliter credi aborſum non tam ſecutum eſſe ex potionibus ſumptis, quàm aliunde.

Decimotertiò, & poſtremò, & illam filiam familias, quæ indicauit ſecretò matri ſuæ ſe concepiſſe rogans illam, vt curet honorem ſuum per ſecretum aliquem aborſum tueri, & mater committit negotium ancillæ, ancilla informat, & inducit ad hoc medicum, medicus inſtruit pharmacopolam, pharmacopola aborſum cum effectu procurat. Ratio eſt, quia procurauit aborſum, vt patet; Imò incidunt in hunc caſum & reliqui omnes mediatores, Mater, Ancilla, Medicus, Pharmacopola, *vt patet ex præcedenti quæſtione.*

QVAESTIO TERTIA.

Quæ obſeruanda circa Confeſſionem, & Abſolutionem procurantis aborſum?

CIRCA Confeſſionem obſeruandæ ſunt aliquot circumſtantiæ;

Prima, perſonæ, quæ vel in ſe, vel in aliâ procurat aborſum; Nam ſi laïca eſt, & in ſe procurat aborſum peccat mortaliter; Si in aliâ,

præter peccatum mortale incurrit etiam irregularitatem, ſi eius capax eſt, & cum illâ diſtinctione, de quâ ſuprà, ſi nimirum fœtus erat animatus. Præterea, ſi in aliâ procurat aborſum, videndum, quæ illa ſit, an ſit ſæcularis, an verò mulier profeſſa aliquem ordinem approbatũ; quia ſi eſt profeſſa, ſecundum quoſdam procurans incurrit excommunicationem *c. ſi quis ſuadente diabolo*, quia inijcit manum violentam in religioſam: quamuis Caietanus, *de excom. c. 10.* Fumus, *excom. 1. nu. 2.* Angles, *de excom. diff. 3. conclusione 7.* ſentiant contrarium, quorum ſententiam quis tutò ſequi poteſt.

Secunda, per quos, & quot procuratus ſit aborſus, quia toties peccauit mortaliter.

Tertia, quanto tempore, quia non niſi longo temporis tractu hæc crimina, & ſimilia committuntur, quo durante, plurima committuntur peccata, propter volitiones eiuſdem criminis diuerſas, & interpolatas.

Circa abſolutionem; Primò, videndum, an ſit excommunicatio incurſa, vt ſtatim ab illa procuretur abſolutio ab eo, per quem illa impendi poteſt.

Secundò; An ſint ſublatæ occaſiones propinquæ peccatorum, quæ ferè coniunctæ ſunt huic peccato, vt incæſtuum, ſtuprorum, ſacrilegiorum; nam procurantes aborſus ferè his criminibus dediti ſunt.

Tertiò, An ſatisfactio ſecuta ſit, vel ſaltem ſit propoſitum ſatisfaciendi: Si enim fœtum animatum enecauit, tenetur ad ſatisfactionem, iuxta illa, quæ in caſu homicidij diximus.

CAPVT DECIMVM.

De prolis oppreſsione decimo caſu reſeruato.

QVAESTIO PRIMA.
Quid prolis oppreſsio?

EST ſpecies homicidij, quâ quis liberos ſuffocat, aut quoquomodo enecat.

Contingit prolem opprimi duobus modis; Primò, voluntariè, dum quis irâ commotus pugno, baculo, enſe percutiendo prolem interimit. De quo modo occidendi loquitur *c. veniens ad nos, de his, qui filios occiderunt.* Altero, caſualiter. De quo loquitur *c. conſuluiſti 2. q. 5. & c. de infantibus autem de his, qui filios occiderunt.*

Quod dupliciter quoque contingit; Primò, dum quis dans operam rei illicitæ, etiam adhibitâ diligentiâ, ne oppreſſio ſequatur, prolem interimit. v. G. Si mulier furatura res vicini ſui prolem tenellam ſecum deferat, illaque deprehenſa in fugâ prolem ſuam ſuffocet. Secundò, dum quis dans operam rei licitæ, ſed non adhibitâ ſufficienti diligentiâ ne oppreſſio ſequatur, prolem opprimit. v. G. Si mulier, quæ inter dormiendum ſolet ſæpe moueri, nulla cautela adhibita tenellam prolem in eodem ſecum lecto reclinat, & ſuffocat.

Ex his ſequitur, opprimere prolem volútariè,

eſſe peccatum mortale ſuo genere homicidio ſimplici grauius, quia eſt parricidium.

Neque obſtat, quod parricidium à cæde patris dicatur, quia in iure parricida cenſetur, non ſolùm qui patrem, matrem, aut aliquem ex aſcẽdentibus occidit, ſed etiam ſi quem ex deſcendentibus occidat, vt filium, filiam, cognatum, cognatam. *ff. ad l. pompeiam de parricidijs lib. 1.*

Opprimere prolem caſualiter dando operam rei illicitæ, ſiue adhibita ſit diligentia, ne illa opprimeretur, ſiue non, tale peccatum eſt, quale eſt ipſum vacare rei illicitæ; Si mortale, erit oppreſſio mortalis, ſi veniale, venialis.

Opprimere prolem vacando rei licitæ, ſi ſufficiens eſt adhibita diligentia, ne oppreſſio ſequatur, nullum eſt peccatum, quia non eſt voluntarium neque in ſe, neque in ſuâ cauſsâ; Non in ſe, quia non intenditur oppreſſio, cùm ſit caſualis: Neque in ſuâ cauſsâ, quia ſufficiens adhibita fuit diligẽtia, ne ſequeretur oppreſſio. Si non eſt adhibita diligentia ſufficiens, tale erit peccatum, qualis eſt ipſa negligentia; ſubinde mortale, ſubinde veniale.

Quæ diligentia adhibenda ſit circa quodque particulare negotium, aut actionem trahentem ſecum aliquod periculum mortis, non poteſt facilè definiri. ſed illud relinqui debet prudentis viri arbitrio, quod arbitrium perpẽdere debet naturam cuiuſque negotij, perſonarum, temporum, locorum, & cæterarum circumſtãtiarum: Sicut diligenter exponit *Caietanus 2. 2. q. 64. art. 4.* Ex cuius doctrinâ videntur poſſe

elici

elici tres regulæ huic rei elucidandæ accommodatæ.

Prima, In negotijs, & actionibus, quæ ex naturâ ſuâ nullum mortis periculum habent, ſed ſolùm ex cauſſis externis, quæ non facilè agnoſci ſolent, ille cenſeri debet adhibere ſufficientem diligentiam, qui illud agit eo modo, quo regulariter ab omnibus fieri ſolet. Hinc, qui modo conſueto pulſat campanam, non debet cenſeri reus alicuius negligentiæ, ſi fortè illâ decidente, mors alterius conſequatur, *iuxta c. Ioannes, de homicidio.*

Secunda, in negotijs, quæ naturâ ſuâ præ ſe ferunt aliquid periculi, ſed ex cauſſis quibuſdam non ita facilè obuijs cenſetur adhibere ſufficientem diligentiam, qui ſaltem ea circumſpicit, quæ rationabiliter in aggrediẽdo tale negotium à viris prudentibus circumſpici ſolent, perpenſis conditionibus perſonarum, locorum, &c. Dico, *in aggrediendo*, quiâ non requiritur ſumma illa diligentia, quam poſt factum experientiâ docti prudentes adhibere voluiſſent, ſed ſufficit mediocris illa, quæ à viris bonis, & prudentibus ante negotium cæptum adhiberi ſolita eſt. Hinc non fuerunt rei alicuius negligentiæ nobiles illi Hiſpani, in quorum præſentia *vt refert Caietanus ſuprà*, paſſa fuit aborſum filia Regis Hiſpaniæ, quia cerua paruula illi domeſtica fortè acta à cane ſuperueniẽte in ſinũ eius ſe recepiſſet; Nam, quamuis poſt factũ nõ ita difficile erat aduertere hunc caſum ſuboriri potuiſſe, perpenſâ naturâ ceruæ, & canis, non potuit tamen

men ante factum facilè perpendi, maximè cane tunc abſente, niſi à ſumma prudentia, & cautela, qualem antè diximus nõ neceſſariò requiri.

Tertia regula, In negotijs, & actionibus, quæ ex ſui natura, & cauſſis admodum obuijs necis inferendæ periculum adferunt, non cenſetur quis adhibere ſufficientem diligentiam, niſi pro ratione periculi, perſonarum, locorum multã, & variã adferat circumſpectionem. v. g. reclinare ſecum infantem in lecto, opus eſt naturâ ſuâ ſtatim periculũ oppreſſionis offerens, quia, cùm dormientes non ſimus actionum noſtrarũ Domini, facilè admodum fieri poteſt, vt ex agitatione brachiorum, pedũ, & volutatione corporis infans opprimatur, & ſuffocetur, maximè cùm infans ſibi cauere non poſſit; & fortè anguſtus eſt lectus, vel etiã altus, ex quô facilè decidere poſſit; Quare non cẽſebitur hôc caſu adhibuiſſe ſufficientem diligentiam, niſi quis præuiderit num agitari, aut moueri inter dormiendum conſueuerit, num cubile anguſtum, & altũ ſit, & alia particularia pro ratione locorũ, temporum, & aliarum circumſtantiarũ, quæ cauſsã oppreſſionis, aut ſuffocationis præbere poſſent.

Ex quibus ſequitur; Primò, Collocare ſecũ infantem in lecto ad condormiendum, peccatũ eſſe mortale, niſi honeſtetur prædictâ diligẽtiâ, & circumſtantijs. Ratio eſt, quia omittitur id, quod eſt de neceſſitate ſalutis, nimirũ cura prolis, ad quam parentes, & nutrices præcepto diuino, & naturali tenentur: Cuius ſignum eſt quod Gloſſa *c. de infantibus autem, de his qui filios occide-*

ciderunt, præſcribit talibus imponendam pœnitentiam ſeptem, aut quinque annorum, qualis nonniſi pro mortalibus, ijsque grauioribus antiquitus imponi ſolebat.

Sequitur ſecundò, non malè in quibuſdam diœceſibus opprimentes proles ſuas excommunicari, *vt notat de Graffiis libro 2. deciſionum aurearum cap. 65. nu. 22.*

Sequitur poſtremò bene dicere illos, qui docent ex tali negligentia opprimentes proles incurrere irregularitatem: E contrario errare illos, ſecundũ Nauarrum *c. 27. nu. 252.* qui putãt etiã irregularitatẽ incurri ex oppreſſione prolis, quæ cauſatur ex negligentia veniali. Ratio prioris partis eſt clara. Poſterioris partis ratio eſt, quia irregularitas, vt ait *Nauarrus ſuprà*, eſt pœna grauis priuans vſu omniũ ordinum, quæ non eſt cogitanda imponi pro veniali.

Non obſtat fundamentum Caietani tenentis contrarium *in ſummulâ verb. irregularitas*, ſcilicet quod excommunicatio minor, quæ incurritur per peccatum veniale, eſt maior pœna, quàm irregularitas; Quia fundamẽtum hoc falſum eſt: nam licet irregularitas non priuet perceptione Sacramentorum paſſiua, vt excommunicatio minor, priuat tamen actiuâ, & inſuper omni ordinis vſu, quod eſt maius. Deinde, excommunicatio minor eſt medicinalis, & facilè ſolubilis; Irregularitas autem difficulter tollitur, cùm ordinariè per ſolum Papam tollatur; ſed hoc fuſiùs tractare eſt alterius loci.

QVAESTIO SECVNDA.

Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum?

EX præmiſſis ſequitur; Primò, non incurrere hunc caſum mulieres illas pauperculas, quæ proles ſeminudas exponunt frigoribus, ventis, vt prætereuntes ad commiſerationem commoneant, & largiores eleëmoſynas ab eis corradant: Quod verum eſt, etiam ſi proles graues morbos contrahant; quamuis in vtroque caſu mortaliter peccent per prædicta; Secùs tamen dicendum eſſet, ſi morbum mors ſequeretur. quia hoc eſſet prolem opprimere, & enecare, vt patet.

Secundò, neque fornicatores illos, & adulteros, qui, ne fornicatio, aut adulterium manifeſtetur, ſecretè deponunt prolem in hoſpitali puerorum, ſiue Abrahami, vt Leodij vocamus; Imò neque peccant, *ſecũdum Caietanum in ſummulá verb. adulterium, & Armillam eodem verb. nu. 8. & Nauarrum c. 17. nu. 48.* quia talia hoſpitalia ſunt inter reliqua etiam ad hoc inſtituta: quod limita verum eſſe, ſi conſtet hoſpitalia ad hoc eſſe inſtituta, & parentes fornicarij, aut adulteri, ſi diuites ſint, ſecretò expenſas ſoluant, & curent prolem ſuo tẽpore inſtrui: ad hæc enim omnia parentes maximè diuites ex præcepto tenentur.

Tertiò, neque, vt apparet, meretricem illam, de quâ fit mentio *3. Reg. 3. c.* quæ dormiens oppreſſit prolem ſuam, & intempeſtæ noctis ſilentio accepit prolem viuam alterius meretricis in

eodem

eodem cubiculo dormientis, illique ſuppoſuit ſuam mortuam. Ratio eſt, quia quãtum ex circumſtantiis ſcripturæ conijcere licet, merè caſualiter oppreſſit prolem ſuam, nulliusque negligentiæ rea fuit; Cuius maximum argumentum eſt amor maximus, quo prolem diligebat.

Quartò, è contrario ſequitur, incurrere hunc caſum mulierem illam, de qua fit mentio *c. veniens ad nos mulier, De his qui filios occiderunt*, quæ, dum de quodam genuiſſet filium, & ille ſibi ſæpè turbido vultu improperaret, quod filius eius non eſſet, ipſa calore iracundiæ ducta eundem filium interfecit.

Quintò, & illam mulierem, quæ tenellum infantem, ne lecto ſurgere coacta frigoris intemperiem patiatur, in lecto ſuo noctu collocauit, & oppreſſit, niſi fortè mulier illa ſibi perſuaſerit oppreſſionem probabiliter ſequi non poſſe, eo quod cubile in quo dormit, eſt amplũ, & puerum longè à ſe poſuit, & ipſa dormiens non ſoleat locum mutare, *per illa quæ ſuperiùs diximus*; Imò nec tali caſu peccaret mortaliter, *ſecundum Nauarrum c. 15. nu. 13.*

Sextò, & concubinas, fornicatores, adulteros, & conſimiles luxurioſos, & impios homines, qui, vt honori ſuo cõſulere poſſint, proles clam natas in ſyluis, agris, locis publicis exponunt, ſi à feris, porcis, canibus deuorentur, aut quoquomodo enecentur; Secùs ſi à quodam prætereunte illæ ſaluentur, vt aliquando nobis propoſitum eſt, quia tunc, cùm oppreſſio realiter ſecuta non ſit, ſolùm peccant mortaliter.

Septimò, & illos, qui proles ex ſe natas tradunt nutricibus educandas, ſub quarum negligenti curâ ſciunt proles vt frequentius mori, ſi mors conſequatur; Quin & ipſæ nutrices, ſi, quia hoc parentibus gratum forę exiſtimant, prolium debitam curam non habent, aut cibo, & potu ita puerorum naturæ diſconueniēti nutriunt, vt morbi, & mors, ſiue citò, ſiue tardè conſequantur.

Octauò, & parentes illos, qui cùm ſciant flumen, aut puteum vicinum periculoſum eſſe, ſæpiùs proles ad hauriendam aquam nullâ iuſtâ cautelâ adhibitâ mittunt ad flumen illud, aut puteum, vnde ſubmerſio ſequitur.

Poſtremò, extendēdus eſt hic quoque caſus, vt incurrant etiam illum mandantes, conſulentes, adiuuantes prolem opprimi. *per illa quæ 3. c. diximus, & alibi aliquot locis.*

QVAESTIO TERTIA.

Quæ obſeruanda circa contritionem, confeſſionem, & abſolutionem opprimentis prolem?

CIRCA confeſſionem duæ potiſſimùm circumſtantiæ ſunt conſiderandæ, perſonæ, & temporis;

Perſonæ, vtrum mater, an nutrix, aut alius prolem oppreſſerit, quia in primo caſu circumſtantia mutat ſpeciem, & vocatur parricidium.

Temporis, vtrum diu in voluntate opprimēdi prolem hæſerit; An verò caſu, & negligentiâ acciderit; quia in priore caſu probabiliter multæ

multæ volitiones opprimēdi interpolatæ intercurrerunt, quæ ſunt ſigillatim, quantum fieri poteſt, confitendæ, vt docet Nauarrus clariùs reliquis *c. 6. nu. 16. 17. 18.*

Circa abſolutionem duo præſertim obſeruanda.

Primum, opprimentem propriam prolem voluntariè non debere abſolui, niſi grauiſſima impoſita pœnitentia, tali tamen, per quam nulla ſequatur confeſſionis reuelatio, cùm, *iuxta Gloſſam ſuperiùs citatam*, antiquitus etiam illi, qui caſu, & negligentia mortali prolem oppreſſiſſet, ſoleat imponi pœnitentia quinque, aut ſeptem annorum, & legibus ciuilibus grauiſſimæ infligantur parricidis pœnæ; Primò enim ſecundú illas debent virgis cædi: Deinde ſacco conſui vnà cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & ſimia, & ſic in mare, vel in amnem proximum iactari; Et ſi mare, vel fluuius non ſit proximus, debent beſtijs ad deuorandum dari *c. ad l. Pompeiam de parricidiis, & ff. eodem tit. l. penultima.*

Alterum, viros opprimentes proles ſuas, ſiue alienas incurrere irregularitatem; In qua quidem, ſi voluntariè oppreſſerint, nemo poteſt diſpenſare niſi Summus Pontifex: Si verò caſu, & negligentia mortali, poteſt etiam Epiſcopus per illa, quæ habet Concil. Trident. *ſeſſ. 14. c. 7. & ſuprà c. 3. latiùs demonſtrauimus.*

CAPVT

CAPVT VNDECIMVM.

De ſtupro, ſiue violentâ virginis defloratione vndecimo caſu reſeruato.

Qvaestio prima.

Quale ſtuprum hoc loco reſeruatur?

Vt intelligas hanc quæſtionem quatuor prænotanda ſunt;

Primum, ſtuprum accipi duobus modis; Primò largè pro omni ſpecie luxuriæ; Quo modo accipit D. Ambroſius *lib. 1. de Abraham c. 4. circa medium: Nemo* (inquit) *ſibi blandiatur de legibus hominum, omne ſtuprum adulterium eſt*, Hoc modo etiam accipitur *Numerorum 5. c. Vir, cuius vxor errauerit, maritumq́; contemnens dormierit cum altero viro, & hoc maritus deprehendere non quiuerit, ſed latet adulterium, & teſtibus argui non poteſt, quia non eſt inuenta in ſtupro, &c.* Secundò, ſtrictè pro violatione virginis ſub curâ parentum exiſtentis; Sic accipiunt D. Thomas *2. 2. q. 154. art. 6.* Et Syluester *verb. Luxuria q. 2.* Vbi ſtuprum ſpeciem luxuriæ à reliquis diſtinctam eſſe oſtendunt, prout & nos infrà oſtendemus.

Secundum quod virgo violatur tribus modis; Primò, cùm virgo vltrò ſe violandam offert, vel ſaltem leuiter à viro rogata conſentit. Secundò,

cundò, cum blanditiјs, precibus importunis, promiſſis, iuramentis, & conſimilibus rationibus allecta admittit virum. Tertiò cùm, illatâ violentiâ, vir illam cognoſcit.

Tertium, quod raptus, qui eſt alia ſpecies luxuriæ, quandoque inuenitur cum ſtupro, quãdoque ſine ſtupro; quandoque contrà, ſtuprum inuenitur ſine raptu. Inuenitur raptus cum ſtupro, cùm, illatâ violentiâ, virgo illicitè corrũpitur. Inuenitur raptus ſine ſtupro, quando violentia infertur coniugatæ, viduæ, vel etiam iuuenculæ ſed antè corruptæ: Inuenitur ſtuprum ſine raptu, quando quis virginem corrumpit abſque illatione alicuius violentiæ.

Quartum, quod violentia apud Doctores nõ ſolùm dicitur, cùm interuenit vis, ſiue violentia vera, ſed etiam quando interueniunt importunæ preces, illecebræ, blanda verba, promiſſiones maximè iuratæ, & ſimilia. Quod annotauit Antoninus *2. p. ſumma theologica tit. 8. c. 6. §. 1.* Et poſt illum de Graſſijs *lib. 2. deciſionum aurearum c. 78. nu. 4.*

His ita prænotatis reſpondendum; Primò reſeruari ſtuprum hoc loco ſtrictè, & propriè ſumptum, vt eſt ſpecies diſtincta à reliquis luxuriæ ſpeciebus; quia aliàs dicendum eſſet fornicationem, adulterium in foro conſcientiæ Epiſcopo Leodienſi reſeruari, quod nemo dicit.

Secundò, neque illud pro omni latitudine ſuæ ſignificationis reſeruari; non enim reſeruatur ſtuprum illius virginis, quæ ſeſe viro vltrò corrumpendam offert, vel leuiter rogata conſentit,

ſentit, quod indicat coniunctio in ipſa reſeruatione appoſita, quando dicitur ſtuprum, ſiue violenta virginis defloratio. Nam diſtinguens tacitè violentum modum deflorandi virginem à non violento, ſatis indicat non reſeruari deflorationem virginis, quæ fit abſque violentia.

Tertiò, neque propriè reſeruari ſtuprum, quod fit adhibita violentia vera, qualitercumque illa inferatur ſiue virgini ipſi tantùm, ſiue patri virginis tantũ, ſiue virgini, & patri ſimul, ſiue etiam virgo violentata tandem conſentiat, ſiue non conſentiat. Ratio eſt, quia quocumque modorum prædictorum adiungatur violentia vera, ſtuprum illud tranſit in ſpeciem raptus, vt docet D. Thomas *2. 2. q. 154. art. 7.* quem ſequitur Nauarrus *c. 16. nu. 3.* & Antoninus *2. p. tit. 5. c. 7. ſub initium*: Quamuis, ſi virgo violentata non conſentiat, nón ſit ſtuprum ex parte ipſius, ſed tantùm ex parte viri, *vt annotauit ſuprà Nauarrus*; Imò neque virginitatem, neque aureolam, quæ debetur virginitati amittit *ſecundum D. Thom. in ſupplemento 3. p. q. 96. art. 5. ad 4. & in 4. ſent. diſt. 49. q. 5. art. 3. & communem.* Certum eſt autem, quod raptus non reſeruatur hoc loco, ſed ſequenti, vt ibi latiùs oſtendemus.

Quartò, & poſtremò, Reſolutoriè ergo, & breuiter reſpondendum eſt reſeruari hoc loco ſtuprum ſtrictè, & propriè ſumptum, quô virgo precibus importunis, promiſſis magnis, dolis, & alijs exquiſitis, & compoſitis modis allecta defloratur, & corrumpitur.

Difficultas prima: An ſtuprum ſit ſpecies luxuriæ ab alijs

lijs diſtincta?

Dicendum diſtinctam eſſe cum cõmuni ſententia, quicquid dicat Sotus *in 4. ſent. diſt. 18. q. 2. art. 4.* Ratio eſt, quia vbi circa materiam alicuius peccati occurrit aliqua ſpecialis deformitas, ibi debet poni ſpecies determinata illius peccati: Eſt autem luxuria peccatum conſiſtens circa materiam venereorum. In virgine verò ſub cuſtodia patris, vel alterius exiſtente occurrit ſpecialis deformitas, ſi per veneream delectationem à viro corrumpatur extra matrimonium, & hoc tam ex parte ipſius puellæ, quæ, ex eo quod defloratur, & ſigillum virginitatis amittit, nulla pactione coniugali præcedente, impeditur à legitimo matrimonio conſequẽdo. Nam, cùm ſcitur puella corrupta eſſe, ſolet ab omnibus reijci, & vili fieri inſtar meretricis: Tum ex parte patris, cui cuſtodia virginitatis filiæ ſuæ propter eius infirmitatem à natura concredita eſt, iuxta illud *Eccleſiaſtici 7. c. Filiæ tibi ſunt, cuſtodi corpus illarum*; Ergo cenſenda eſt ſpecies diſtincta. Eſt ratio D. Thomæ *2. 2. q. 154. art. 6.* quam doctè, & fusè explicat ibi Caietanus.

Non obſtat primum fundamentum Soti, quo dicit, Scienti, & conſentienti nõ fieri iniuriam; ſi ergo virgo ſe corrumpendam offerat, vel leuiter rogata conſentiat, & illa fortè orbata ſit patre, nulla fiet illi, & minùs patri iniuria, atque ita hoc caſu non reperietur alia deformitas, quàm in ſimplici fornicatione reperiri ſolet, ergo ſaltem hoc caſu ſtuprum non erit alterius ſpeciei à fornicatione; Quia reſponderi poteſt, quod

quod conſenſus in his, quorum non ſumus pro libitu Domini, non impediat quin ſcienti, & conſentienti fiat iniuria; Quare maxima illa vera eſt in his tantùm, quorum homo eſt Dominus pro libitu ſuæ voluntatis, vt ſunt bona fortunæ, & non in his, quæ, etſi noſtra ſunt, non poſſimus tamen, vt volumus, de illis diſponere. Nam licet manus tua ſit tua, non poteſt tamen etiam de conſenſu tuo à te tolli ſine tuâ iniuriâ; eſſet enim mutilationis ſuæ reus, qui hoc facinus patraret. Similiter licet vita tua ſit tua, non poteſt tamen etiam de conſenſu tuo ſine iniuriâ tuâ tolli, quia, ſicut iam diximus, non, ſumus ſecundum libitum voluntatis noſtræ taliũ Domini, ſed ab altiori principio dependent quoad aliquid, ſeruato certo ordine, contra quem ſi fiat, iniuriæ locus reſtat. Quia ergo ſignaculum virginitatis nec virginis, nec patris ſubeſt voluntati ad libitum, ſed à naturâ vtrique tributum eſt ſeruandum vſque ad nuptias, ideò neutrius iniuria euitatur etiam ex vtriuſque conſenſu, ſi contra naturale debitum, quô vterque ſigillum, & decus virginale conſeruare tenetur, corrumpatur. Deinde, quod virgo fortè mortuo patre ſub nulliùs ſit cuſtodia, quamuis de facto ſit poſſibile, quia tamen hoc eſt per accidens, adhuc non impeditur, quin defloratio talis virginis ſit ſtuprum, quia ſpecies in moralibus conſiderantur ſecundum id, quod communiter fieri ſolet. Conſtat autem, quod virgines communiter ſub parentum, vel alicuius loco parentum cuſtodiâ ſint, vel eſſe debent.

Non

Non obſtat quoque aliud fundamentum, quô dicit; Quando iuuenis primò fornicatur cum aliquâ muliere, non dicitur ex parte ſuâ committere peccatum ſtupri, ſed tantùm fornicationis, tametſi per illam primam venerem perdat & caſtitatem, & virginitatem, hoc eſt, integritatem corporis ſui coniunctam cum propoſito perpetuo abſtinendi à venereâ re extra matrimonium; Ergo nec, quando puella primò fornicatur, dicenda erit committere peccatum ſtupri: Non, inquam, obſtat, quia reſponderi poteſt, quod in iuuene non reperiuntur rationes deformitatis, quæ in puellâ virgine, nam ex naturâ rei puella eſt ſub cuſtodiâ parentum ſpecialiter quantum ad ſignaculum virginitatis ſuæ; Deinde, per corruptionem ſignaculi virginitatis, puella fit ineptior ad matrimoniũ, quorum neutrũ habet locum in viris adoleſcẽtibus.

Difficultas ſecunda: An puella virgo, quæ ſeipſam primò polluendo veneream experitur delectationem, committat ſtuprum?

Ex iam dictis patet non committere, quia puella procurans in ſe pollutionem non frangit ſignaculum virginitatis, quia adhuc remanet integritas carnis, cuius corruptione fit virgo ineptior ad matrimonium; Cuius ſignum eſt, quod ſi quis ſciret puellam aliquando fuiſſe per pollutionem corruptam, non idcirco eius nuptias reijceret; quod experientiâ manifeſtum eſt, alioquin ferè omnium nuptias reijcere oportet. Perdit nihilominus virgo per primam pollutionem virginitatem, & aureolam, de

quibus ſuprà aliquid ex D. Thomâ diximus.

Difficultas tertia: An vir cognoſcens puellam contaminatam priùs per pollutionem carne tamen adhuc integram, & conſignatam, committat peccatum ſtupri?

Conſequenter ex prædictis dicendum eſt cōmittere; quia licet talis coram Deo non corrumpat virginem, cùm ſit corrupta per pollutionem, & virginitatem amiſerit: quia tamen ſignaculum virginitatis eius non erat reſeratū, vt ponit difficultas, virgo erat coram mundo, & in ordine ad matrimonium, cuſtodiamque parentum; atque ita cognoſcens illam extra matrimonium illi, & parentibus eius, qui cuſtodiam eius habent, iniuriam facit; Ergo ſtuprum committit.

Qvaestio secvnda.

Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum?

EX præmiſſis ſequitur; Primò non incurrere hunc caſum diuitem illum adoleſcentem, cui paupercula virgo corporis ſui copiam fecit ſperans ab eo dotem conſequi; quia, quamuis vterque peccet mortaliter, & ſtuprum committat, non tale tamen quale hîc reſeruatur, cùm hîc nulla reperiatur violentia neque vera, neque interpretatiua.

Secundò, neque illum, qui cùm offendiſſet virginem ſolam, à quâ ſciebat ſe amari, nullis precibus, aut promiſſis, ſed ſolis amoris ſignis præuijs illam cognouit, & deflorauit; Quia neque hîc reperitur ſtuprum hoc loco reſeruatum prop-

propter eandem rationem; Imò neque incurriſſet hunc caſum, ſi illam tunc aliquoties rogâſſet; aut etiam munuſcula quædam promíſiſſet, aut obtuliſſet, quia cùm virgo tam facilè, & tam vili ſe proſt tuit, ſignum euidens eſt non violenter, ſed volenter, & libenter corrumpi.

Tertiò, neque illum adoleſcentem, qui, cùm à quadam virgine carnaliter amaretur, & illa, vt viciſſim ab illo amaretur, ſæpius eius conſpectui ſe obtuliſſet, & per lænas ſuum amorem illi indicaſſet, cœpit viciſſim illam amare, multiſque precibus, & promiſſis magnis corporis eius copiam ſollicitare, quibus præuijs, illa tandem conſenſit; Quia neque hic reperitur ſtuprum, quale hîc reſeruatur: nam quamuis communiter blanditiæ, preces importunæ, & promiſſiones magnæ ſecundum Doctores faciant, vt virgo cenſeatur vim paſſa fuiſſe, & non voluntariè conſenſiſſe, hoc caſu tamen aliter iudicari debet; quia nullo pacto cenſeri poteſt virginem precibus ab eo vim pati, quem priùs in ſui amorem precibus, & conſimilibus rationibus allexit, & prouocauit.

Quartò, neque illum, qui honeſtam virginem multis precibus, & ampliſſimis promiſſis in ſui amorem pellexit, illamque deflorare ſæpius niſus fuit, ſi illam nō corrupit; quia hîc reperitur ſolum ſtuprum mentale, quale reſeruationi non ſubiacet, vel ſaltem externum, ſed non ſubſecuto effectu; Imò etiam verum erit, ſi illam per tactus impudicos ad pollutionem prouocauit; Imò, etiam ſi contra naturam cognouerit,

quia neque per pollutionem, neque per concubitum contra naturam tollitur ſignaculum virginitatis, in quô ratio ſtupri conſiſtit.

Quintò, neque illum, qui filiam ab omnibus reputatam virginem longâ ſollicitatione tandem allexit ad copulam, ſi illa reuera non erat virgo. Quod procul dubio verum eſt in foro conſcientiæ, in quo ſoli veritati locus eſt, quãuis in foro exteriori talis ſtuprator iudicabitur, & vt talis punietur.

Sextò, è contrario ſequitur incurrere hunc caſum qui, vt honeſtâ virgine potiretur, quæ ſui copiam frequentiùs negauerat, fidem dat contrahendarum nuptiarum, ſiue illam det coram parentibus filiæ, Notario, & teſtibus, ſiue ſecretò, nullo præter illam præſente, ſiue ſcripto, aut arrhis datis, ſiue ſolo verbo, ſiue iuramento, aut promiſſione adhibitis; Quia preces frequentiùs repetitæ, & fides futurarum nuptiarũ quocumque prædictorum modorum data ſufficiunt, vt quis ſibi perſuadeat, vel perſuadere debeat filiam non omninò voluntariè ſui corporis copiam facere, ſed inuitam, & quodammodo violenter.

Septimò, & illum nobilem adoleſcentem, qui cum iuramento ducẽdi in vxorem rem habuit cum filiâ cuiuſdam ruſtici mediocris fortunæ, ſi virgo honeſta fuit, & bene educata, nunquam conſenſura in ſtuprum niſi certa ſpe datâ futuri matrimonij; quia, ſicut in præcedente caſu, interpretandum eſt promiſſionem matrimonialem iuramento firmatam virgini aliàs

aliàs honeſtæ, & caſtæ violentiam quandam intuliſſe. Non obſtat, quod plures Doctores dicunt in hoc caſu, & ſimilibus propter imparitatem generis, & fortunarum præſumi puellam non eſſe deceptam, ſed potiùs finxiſſe ſe deceptam ad colorandam ſuam turpitudinem; Quia vtrumque verè dicitur, ſed in diuerſo foro: Dictum illorum verum eſt in foro exteriori: Quod hîc aſſerimus, verum eſt in foro conſcientiæ, in quo verſamur, & in quo pręſumptioni locus non eſt.

Poſtremò, & illum, qui ſponſam de futuro ante matrimonium coram Parocho, & teſtibus contractum ad actum matrimonialem induxit, timore illi incuſſo, quod, niſi conſentiret, aliam de facto duceret, ſiue illam, ſiue aliam ducat; quia hoc caſu reperitur violentia ſaltẽ interpretatiua propter metum incuſſum illã deſerendi.

QVAESTIO TERTIA.

Quæ obſeruanda circa contritionem, confeſſionem, & abſolutionem ſtuprantis virginem?

CIRCA Confeſſionem aliquot circumſtãtiæ neceſſariò animaduertendæ ſunt;

Prima, Perſonæ, tum ex parte ſtupratæ, tum ex parte ſtuprantis. Ex parte ſtupratoris, num ille ſit coniugatus, ſacris initiatus, voto caſtitatis, aut religionis aſtrictus, cognatus, affinis, num vim, & violentiam veram intulerit; ille enim omnes circumſtantiæ mutant ſpeciem, & diſtinctis & ſpecialibus præceptis prohiben-

tur. Nam ſi ſtuprator ſit coniugatus, eſt adulterium; Si ſacris initiatus, vel religioſus eſt ſacrilegium; Si cognatus, vel affinis, incæſtus; Si violentiam veram intulit, raptus. Ex parte ſtupratæ eædem circumſtantiæ circumſpiciendæ ſunt, & maximè ſi illa monialis ſit, & profeſſa aliquẽ ordinem approbatum; Nam, præterquam quod ſacrilegium committit, vt ſtatim diximus, ſi ſtuprum admiſſum eſt intra ſepta monaſterij, tam ſtuprator, qui ingreſſus eſt ſepta, quàm ſtuprata, quæ intromiſit, incurrit excommunicationem, tum per Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 5. tum maximè per Bullam Gregorij XIII. emanatam anno 1576. idibus Iulij, per quam abſolutio reſeruatur Papæ; quod non fit per Conc. Trid. de quâ re oportunius infrà circa caſum incæſtus plura dicemus.

Secunda, temporis; ferè enim fit, vt longo tempore virginis pudicitiam quis ſollicitet, antequam eâ potiatur; quo durante præter interpolatas ſtupri volitiones, quæ ſingulæ ſunt peccata mortalia, ſingulatim quantum fieri poteſt, confitenda; notorium eſt frequentiſſimè pluralia committi crimina, de quibus vel generatim, vel ſpeciatim pro ratione perſonarum, & aliarum circumſtantiarum interrogare debebit prudens Confeſſarius.

Sotus *in 4. ſent.* dedit quibuſdam occaſionem dubitandi, An, circumſtantia virginitatis ſit cõfitenda in peccatis carnis? v. g. eſt virgo, quæ neque pollutione, neque actu coniugali virginitatem hucuſque perdidit, conſentit in actum

con-

coniugalem extra matrimonium, vel etiam illum experitur, petunt an neceſſariò debeat confiteri ſe fuiſſe virginem? Sotus innixus fundamento falſo (quod primâ quæſtione huius capitis refutauimus) dicit non neceſſariò confitendam eſſe. Meliùs dicendum videtur cum communi ſententiâ, quam ibi defendimus, eſſe neceſſariò confitendam. Ratio eſt, quia neceſſum eſt, ſecundum omnes confiteri circumſtantias mutantes ſpeciem, ita vt contrarium dicere nouiſsimè Conc. Tridentinum *ſeſſ. 14. c. 5.* definiuerit eſſe hæreticum; Sed illa circumſtantia ſpeciem mutat ſecundum cõmunem: Ergo, &c.

Et quidem Sotus concedit confitendam eſſe, ſi quæ virgo virginitatem amittat per actũ coniugalem externum extra matrimonium, non autem ſi per ſolum conſenſum: Sed contra iſtã ſuam ſententiam eſt argumẽtum ad hominem euidentiſſimum: Peccata cordis, oris, operis, quæ circa idem obiectum verſantur, ſunt eiuſdẽ ſpeciei, nec aliter differunt, quàm quod vnũ ſit alio perfectius: Ergo ſtuprũ mentale, quale eſt illius, quæ, cùm virgo ſit, conſentit in copulã extra matrimonium, erit eiuſdem ſpeciei cum ſtupro actuali, quæ eſt ipſa copula: Sed qui rem habet cum virgine, ſecundũ Sotum, neceſſariò debebit confiteri circumſtantiam virginitatis; ergo & illam debebit confiteri, qui conſentit in copulam cum virgine extra matrimonium.

Hæc tamen communis ſententia, vt conſulatur pudori tum Confeſſariorum, tum pœnitentium, quibus valde graue eſt vel interrogare, vel

confiteri hanc circumſtantiam, à quibuſdam non malè, vt apparet, limitatur, niſi Confeſſor ſtatum perſonæ confitentis nouerit. v.G. Si monialis confiteatur, quæ in copulam conſenſit, vel admiſit illam, non debebit neceſſariò confiteri ſe virginem fuiſſe: quia ſtatus eius ſatis hoc indicat; Et, ſi fortè illa corrupta ſit, non debebit etiam neceſſariò dicere ſe corruptam antè fuiſſe: quia præcedens corruptio peccatũ extenuat. Sic limitat hanc communem doctrinam Angles *in 4. ſent. de confeſſione art. 4.*

Circa abſolutionem obſeruandum; Primò, an ſubſit aliqua excommunicatio Papalis incurſa per id, quod antè obiter diximus: quia ante omnia procuranda erit ab illa abſolutio. An Epiſcopus poſſit ab illa abſoluere, ſi caſus, vt fere fit in hac materia, ſit occultus vigore Concilij Trid. dicemus oportuniori loco circa caſum incæſtus.

Secundò, An ſtuprator ſatisfecerit virgini, vel ſaltem ſatisfacere paratus ſit iuxta arbitriũ viri prudentis; quia ſine illo abſolui non poteſt defectu contritionis.

Tertiò, ſintne ex ſtupro natæ proles; quia parentes tenentur ad alimẽta ſuarum prolium, ſiue illæ ſint legitimæ, ſiue illegitimæ; Iure enim canonico tam pater, quàm mater tenentur alere ſpurios, *vt refert Syluester verb. alimenta, nu. 2. & Doctores per eum ibi citati*: Et ad matrem quidem ſpectat ius alimentorum toto triennio. *l. nec filium c. de patris poteſtate.* Quod intellige verum, ſi mater poſſit; Exacto triennio ſpectat ad patrẽ,

niſi

niſi fortè ille pauper eſſet, & mater diues, quia tunc ipſam prolem alere teneretur.

Poſtremò, An ſemotæ ſint occaſiones propinquæ peccatorum; quod ſpecialiter notandum eſt in ſpeciebus luxuriæ; quia ſine amotione illarum abſolutio impendi non poteſt, *ſecundum communem*, propter defectum contritionis. An poſſit abſolui filius familias qui rem habet cum virgine in ſuâ domo habitante, dicemus infrà circa caſum incæſtus.

Difficultas prima: Ad quid tenetur ſtuprator virginis?

Dicendum; Primò, Qui corrupit virginem vltrò ſe offerentem, vel leuiter rogatam, ad nihil ei tenetur in foro conſcientiæ, *ſecundum communem, quam refert Nauarrus c. 16. nu. 16.* Ratio ſecundum Nauarrum eſt, quia ſcienti, & conſentienti non fit iniuria; Vel potiùs, quia illa conſentiens in iniuriam ſui corporis, videtur illam remittere, & ſuo iuri cedere, maximè quoad reſtitutionem. Dixi, *in foro conſcientiæ*, quia in foro contentioſo tenetur ad illam ducendam, vel dotandam, *c. de adulteriis, & ſtupro.* Quia virgo in foro exteriori ſemper præſumitur decepta eſſe.

Secundò, qui importunis precibus, & magnis promiſſis præmijs corrupit virginem, tenetur quoque in foro contentioſo illam ducere, vel dotare, *ſecundum Nauarrum ſuprà, & omnes*; In foro conſcientiæ, ſi, & vbi à Iudice impoſitum fuerit; quia ducere, vel dotare pœna eſt fori exterioris, quæ in foro conſcientiæ non debetur, niſi à iudice imponatur: Simpliciter verò, & omni tempore, & omni iure tenetur ad reſarcien-

dum illi damnum omne, quod inde illi euenerit, & imprimis tantum, quanto maioris egebit, quo talem adipiſcatur maritum, qualem manēs virgo adepta fuiſſet, iuxta arbitrium boni viri, & ad aliquid amplius, *ſecundum Nauarrum ſuprà*, propter verecundiam, quam tota vita paſſura eſt, & ob contumelias, quas ob id à marito eſt acceptura, ſi corruptionem aduertat.

Tertiò, qui corrupit virginem fide matrimoniali datâ, ſiue illam vero animo, ſiue fictò dederit, obligatur ad ſeruandam fidem, hoc eſt, ad ducendam illam in vtroque foro, & multo magis ſi fidem iuramento firmauit, ſecundum D. Thom. *in 4. ſent. diſt. 28. q. 1. art. 2.* Et Richardum *ibidem art. 2. q. 3.* Et omnes Theologos. Quæ doctrina limitari debet, *ſecundum Nauarrum*, niſi virgo eſſet valde inæqualis genere, potentiâ, vel diuitijs, putà ſi ſtuprator eſſet nobilis, & illa agricolæ cuiuſpiam, vel artificis mechanici filia: eo enim caſu præſumi poteſt illam fingere ſe deceptam, vel potiùs, cùm non ſit locus præſumptionibus in foro conſcientiæ, quia illa allegare non poteſt ſe deceptam eſſe, quia non eſt decepta, vel non debuit decipi; Quare non tenebitur neceſſariò ad eam ducendam, vel dotandam, ſed tantum ad dandum ei tantum, quātò magis opus habet ad talem maritum adipiſcendum, qualem ſi non eſſet infamata adipiſceretur, vel ad reponendam in aliquo ſtatu honeſto, ſi conſentire velit, in quô Dei obſequio viuat; Ad alterū tamen horū etiam ex præcepto tenebitur, qui a licet nō præſumatur decepta ad eſſe-

effectum ducendi illam, tamen tenebitur ad reſarciendum damnum, eo quod promiſſio ducēdi vim ſaltem habet precum importunarum. Idem dicendum *ſecundum Nauarrum ſuprà* in eo caſu, quô promiſſio fuit vera, & ex animo facta, ſed probabile eſt, quod ex matrimonio eam ſecuturo grande aliquod ſcādalum naſceretur, ſed etiam quando is, qui promiſit eſt ſacris initiatus, aut aliam habet vxorem, aut pater renuit omninò illam ei tradere.

Quartò, qui rem habuit cū ea, quam putauit virginem, & non erat, etiam ſi precibus importunis, & pollicitationibus magnis copulam extorſerit, nihil tamen ei reſarcire tenetur in foro conſcientiæ ob virginitatem amiſſam, quia virgo non erat; Ob famam tamen ereptā, ſi cauſſa fuit, vt illam perderet, aliquid arbitrio viri boni reſarcire tenetur, quod annotauit Maior *in 3. ſent. diſt. 37. q. 33.* Dixi *in foro conſcientiæ*, quia in foro fori etiam in iſto caſu tenetur ad ducendam, vel dotādam illam, quia in illo præſumitur virgo fuiſſe, niſi ille probet contrarium, quod ordinariè difficile eſt.

Quintò, qui ſecretò corrumpit virginem, quæ poſtea æque bene nubit, ac ſi corrupta non fuiſſet, nec maritus defectum huiuſmodi in conſummatione matrimonij deprehendit, imò exiſtimat eſſe virginem, in neutro foro aliquid reſarcire tenetur, *ſecundum Nauarrum.* Ratio poteſt aſſignari talis, quia recompenſatio exigitur ad compenſandum damnum acceptum; cùm igitur in hoc caſu, vt præſupponitur, puella nullum perpeſſa ſit damnum, probabile eſt valdè quod

nihil ſit ei compenſandum; Secùs dicendum erit ſi maritus eius huiuſmodi defectum deprehendit, & fortè propterea eam relinquat, & peregrè proficiſcatur, aut eam aſpere, & ſeuerè nimis tractet; Quia tunc ad omne damnum quod illa ſuſtinet ſtuprator tenebitur in foro conſcientiæ, ſi fortè illam precibus importunis & ſimilibus rationibus decepit, *vt antè diximus.*

Sextò, & poſtremò, Stuprator virginis quocumque modo illam ſtuprârit, ſiue vltrò oblatam, ſiue aliter, obligatur in vtroque foro ad placandum illius patrem, & ad ſatisfaciendum illi pro iniuriâ illatâ, *ſecundum D. Thomam 2. 2. q. 154. art. 6. Caietanum ibi, & alios.*

Difficultas ſecunda: An ad aliquam reſtitutionem è diuerſo teneatur illa, quæ aſſeruit ſe fuiſſe ſtupratam à quodam nobili, & eâ ratione extorſit ingentem aliquam dotem, ſi illa verè ſtuprata non fuit, cùm antè ab alio corrupta fuiſſet?

Dicendum videtur, quod ſi nobilis ille hâc ſolâ intentione, quia ipſam putauit ſe reperiſſe virginem, & ſtuprâſſe, illam dotauit, aliàs non dotaturus, ſi in copula deprehendiſſet defectũ virginitatis, tenetur ad reſtitutionẽ; Secùs eſt, ſi aliàs etiam, deprehenſo defectu, dotaturus fuiſſet, putà, quia pulchra erat, & ingenua, vel aliàs illi multum grata; Sed ſi fortè ratione iacturæ, & defectus virginitatis non tantam dotem illi aſſignâſſet, illo caſu non totum, ſed tãtùm exceſſum illa reſtituere debebit, in quantum probabiliter creditur illi auxiſſe dotem, quia credidit illam eſſe virginem. Ratio iſtorum

rum omnium eſt, quia in hac donatione fraus eſt, nec ſubſiſtit cauſſa, ſcilicet virginitas, ob quam donatio facta eſt.

CAPVT DVODECIMVM.

De raptu duodecimo caſu reſeruato.

QVAESTIO PRIMA.
Quid raptus hoc loco?

RAPTVS dupliciter accipitur; Generaliter, vt ſit quilibet illicitus concubitus. Sic accipit Iſidorus *lib. 2. Etymologiarum c. 3.* Strictè, & propriè, & eſt ſpecies luxuriæ ab alijs diſtincta, quâ perſona violenter contra eius, vel parentum voluntatem carnaliter cognoſcitur; Quô modo hoc loco accipitur. Colligitur prædicta definitio ex decreto *36. q. 1. & 2. per diuerſa capitula.* Et ex D. Thoma *2. 2. q. 154. art. 7.* Et alijs ſcholaſticis *in 4. diſt. 41.*

Dicitur primò *ſpecies luxuriæ*, pro genere.

Dicitur ſecundò, *perſona*, non autem virgo, quia non tantùm eſt raptus virginum ſicuti ſtuprum, ſed etiam mulierum corruptarum, ſiue illæ ſint coniugatæ, ſiue viduæ, ſiue ſolutæ, etiã meretrices. *26. q. 2. c. raptores, & c. ſi quis non dicam.*

Non dicitur, mulier, quia eſt etiam raptus virorum, vt ſi mulier rapiat per ſe, vel per alios virum, quò eum in matrimonium ducat, vel vt

eius

eius amplexibus fruatur, quamuis frequentiùs cōtingat, vt vir mulierē rapiat; Quod annotauit Hoſtienſis *in ſummâ lib. 5. rub. de pœnis raptoris nu. 1.*

Dicitur tertiò, *violenter*, ad diſtinctionem, & differentiam aliarum ſpecierum luxuriæ. Si enim copula carnalis habeatur cum virgine, cōiugatâ, ſanctimoniali, affine, cognata, & vis nō inferatur, non eſſet raptus, ſed aut ſtuprum, aut adulterium, &c.

Intelligitur definitio de violentiâ verâ non interpretatiua, de quâ ſuperiore capite q. 1. diximus; & infertur multis, vel perſonæ tantùm, quæ rapitur, vel parentibus eius tantùm, vel vtriſque ſimul. *36. q. 1. c. de raptoribus*: Deinde quandoque perſona violenter abducitur à domo parentum, & violenter copula extorquetur; quādoque, etſi violenter abducatur, non tamē violenter corrumpitur. Quocumque modorū horum rapiatur violenter, ſaluatur ratio raptus, *vt notat D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 7.*

Ex quibus ſtatim ſequitur, quod raptus ex ſuo genere peccatum mortale eſt, cùm fiat cum iniuria notabili proximi, reperiturque coniunctum cum reliquis ſpeciebus luxuriæ fornicatione, adulterio, ſtupro, incæſtu, ſacrilegio; eorumque grauitatem auget; nam raptus etiā meretricis grauius peccatum eſt ſimplici fornicatione; Raptus coniugatæ grauius eſt adulterio; raptus virginis grauius ſtupro, & ſic in alijs. Grauitas huius peccati agnoſci poteſt ex pœnis, quibus omni iure punitur raptor; Iure Ciuili capite plectitur, & bona eius raptæ cedunt,

ſi fue-

ſi fuerit ingenua; Si verò fuerit ancilla, vel libertina, mulctatur raptor morte, ſed bona eius raptæ nõ cedunt. Neque refert vtrũ quis rapiat volentem, vel inuitam, ſponſam propriam, vel alienam, coniugatam vel non coniugatam: Puniuntur quoque capite omnes fautores raptorum. *c. de raptu virginum.* Iure Canonico raptor efficitur ſeruus raptæ, niſi velit ſe redimere: Si fortè mulier volũtariè rapta ſit, tenetur ſeruire eius patri, aut ſe redimere. *36. q. 1 c. de raptoribus.* In quibuſdam caſibus raptor has pœnas non incurrit: Primus, Si prius fuit tractatũ de nuptijs, & puella abducitur, vt cum illa matrimonium contrahatur, eo quod in domo parentum non poteſt liberè contrahere. *Panor. in c. cùm cauſſam, de raptoribus, quem ſequitur Couar. de ſponſalibus p. 2. c. 3. §. 9.* Secundus, quãdo quis rapit ſponſam propriam, &, alijs vijs tentatis, non potuit illam habere. *Gloſſa in c. lex illa, & in c. ſi quis virginem 26. q. 1.* Tertius, quando puella conſentit in matrimonium, *vt in dicto c. cùm cauſſam.* Intellige in matrimonium etiam contra volũtatem parentum; Secùs ſi conſentit ſolùm in rapinam. Quartus, quando quis rapit fæminas turpis vitæ, quia ſecundũ leges ſi quis rapiat meretricem, vt illâ abutatur, non punitur dictis pœnis. *l. qui adulterium, c. de adulterijs.* Iure nouo Concilij Tridentini *ſeſſ. 24. c. 6.* raptor, & omnes auxiliũ, conſilium, & fauorẽ præbẽtes ſunt ipſo facto excõmunicati, & perpetuò infames, omniũque dignitatum incapaces; & ſi clerici fuerint de proprio gradu decidunt, & tenetur raptor mulie-

rem

rem raptam, ſiue eam duxerit in vxorem, ſiue non, decenter arbitrio iudicis dotare.

Difficultas prima: An omnis raptus impediat matrimonium contrahendum?

D. Thomas locis ſuprà allegatis ſic videtur docere. Caietanus interpretans D. Thomam non audet eius opinionem reijcere, maximè propter *c. ſi autem 36. q. 2.* Quod videtur inſinuare vniuerſaliter raptum eſſe vnum ex impedimentis impedientibus matrimonium contrahendum, & non dirimentibus contractum, his verbis: *Iterare coniugium non præſumat.* Dicendum cum communi ſententia Scholaſticorum *in 4. ſent. diſt. 37.* non omnem raptum, ſed ſolùm raptum alienæ ſponſæ impedire matrimonium contrahendum, vt expreſsè habetur *c. ſtatutum 27. q. 2.* & pœnæ ſunt reſtringendæ, nec facilè multiplicanda ſunt impedimenta matrimonij, maximè contra communem intellectum Doctorum ſcholaſticorum, qui vniformiter docent ſex tantùm crimina impedire matrimoniũ contrahendum.

Quod ad diſpenſationem huius impedimẽti attinet dicendum cum Caietano *in Summulâ verbo matrimonium.* & Soto *in 4. ſent. diſt. 37. q. vnicâ art. 2.* & Panormitano *in c. de eo, qui duxit in matrimoniũ, quam polluit per adulterium*, Epiſcopum poſſe diſpenſare, ſicuti poteſt in alijs impedimentis impedientibus contrahendum tantùm; Addit Caietanus, quod ſi contemptus abſit contrahere cum iſtis impedimentis abſque diſpenſatione, vbi non eſt conſuetum illam petere, non eſſe mor-

mortale, & vbi non eſt hominum memoria, vt Epiſcopi ſuper his diſpenſent, videri tacitè diſpenſare, vbi contrà conſuetum eſt petere, mortale eſſe non petere diſpenſationem; Imò Sotus *ſuprà* notat, quod ſi de facto abſque præuiâ diſpenſatione matrimonium contrahatur, nullâ poſtea opus eſſe diſpenſatione: Quod proculdubio verum eſt ſimpliciter, vbi non eſt conſuetum illam petere, ſed vbi conſuetum eſt, ſuaderem etiam poſt contractum petere, maximè propter forum contentioſum.

Difficultas ſecunda: An inter raptorem, & raptam poſſit conſtare matrimonium?

Difficultati huic ſic reſpondet Concil. Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 7.* de reformat. *Decernit ſancta Synodus inter raptorem, & raptam quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, non poſſe conſiſtere matrimonium; Quod ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in vxorem habeat, &c.*

Ex quibus verbis bene infert Nauarrus *c. 22. nu. 78.* raptum ſponſæ alterius per Concil. Trid. factum eſſe impedimentum non ſolùm impediens contrahendum, vt ſuperiori difficultate annotauimus, ſed etiam dirimens contractum, durante raptu, hoc eſt, quamdiu rapta eſt in poteſtate raptoris, ita vt ſi de facto contrahat, etiã coram proprio Parocho, & teſtibus, nullum ſit matrimonium.

Nota tamen ſingulariter Conc. Trid. *ſuprà* non loqui tantum de raptu ſponſæ alterius, ſicut videtur velle Nauarrus, ſed generaliter de

omni raptu mulieris, ſiue illa ſit ſponſa alterius, ſiue non.

Quare ex prædictis verbis Concilij bene, vt apparet, infertur, raptum eſſe impedimentum non ſolùm impediens contrahendum, ſed etiã dirimens contractum inter raptorem, & raptam, non ſimpliciter quidem, ſed quamdiu rapta eſt in poteſtate raptoris.

Non obſtat prædictis verbis Concilij Tridentini Concilium Meldenſe, quod (vt refertur *36. q. 2. c. placuit*) decernit nullum poſſe eſſe matrimonium inter raptorem, & raptam, etiamſi illa non ſit amplius in raptoris poteſtate, his verbis; *Placuit, vt hi, qui rapiunt fœminas, vel furantur, vel ſeducunt eas, nullatenus habeant vxores, quamuis eas poſtmodum nuptialiter cum conſenſu parentum ſuorum ſuſceperint*; Quia reſponderi poteſt, *ſecundum Gloſſam illius c. & D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 7. ad 3.* illa verba intelligi de fœminis, quæ ſunt alijs deſponſatæ per verba de præſenti; Vel fortè meliùs, Concilium illud, per concilia poſteriora, pro illâ parte, abrogatum eſſe.

Qvæstio secvnda.

Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum?

Ex præmiſſis ſequitur; Primò, non incurrere hunc caſum illum, qui tentauit abducere virginem ad eam ſtuprandam, aut etiam in matrimonium ducendam, ſed aliunde impeditus non potuit, licet peccârit mortaliter toties, quoties tentauit; Imò, ſi virgo monialis erat,

quam abducere niſus fuit, pœnam capitis ſecundum leges eſt meritus : Sic enim dicit Iuſtinianus *c.de Epiſcopis, & clericis*; *Si quis non dicam rapere, ſed attentare tantummodo matrimonij iungendi cauſsâ ſacratiſsimas virgines auſus fuerit, capitali pœnâ feriatur.*

Secundò, neque illum, qui virginem vi abduxit è domo paternâ, ſed pœnitentiâ ductus, aut vlteriùs progredi non auſus, eam integram parentibus remiſit; quia non reſeruatur raptus, niſi ſubſecuto effectu.

Tertiò, neque illum, qui virginem, quã ſibi per verba de futuro deſponſauit, per vim abduxit è domo paternâ, & rem cũ eâ habuit, ſi, alijs vijs tentatis, non potuit illam habere. Ratio eſt, quia quamuis peccârit violentiam inferendo, excuſatur tamen à crimine raptus, quia *ſicut dicit D. Thomas ſuprà*, ſponſus ex ipſà deſponſatione habet aliquod ius in ſuam ſponſam; Hinc Gelaſius Papa dicit; *Lex illa præteritorum Principum ibi dicit, raptum eſſe commiſſum, vbi puella, de cuius nuptijs nil actum fuerat, videbatur abducta.* Refertur *36. q. 1. c. Lex illa.*

Quartò, neque illum, qui ſponſam de præſenti volentem ante matrimonij conſummationem ingredi monaſterium rapit, & cognoſcit, quamuis grauiter peccet. Ratio prioris eſt, quia vtitur re ſuâ. Poſterioris, quia illa, *ſecundum communem opinionem ab omnibus ſcholaſticis receptam ſuper 4. ſent.* poteſt conuolare ad monaſterium ante conſummationem matrimonij.

Quintò, neque illum, vt apparet, qui virginem blanditijs, & magnis promiſſis è domo paren-

tum abduxit, & conſimilibus rationibus copulam extorſit, ſiue poſtea in matrimonium duxerit, ſiue non, quia nulla reperitur violentia ſaltem vera, ſed ſolùm interpretatiua, qualis ad raptum non ſufficit: Incurrit tamen alium caſum, *de quo ſuperiori capite.*

Sextò, è contrario ſequitur incurrere hunc caſum illum, qui per ſe, vel interpoſitas perſonas puellam è domo paternâ ad aliam domum vi tranſtulit, etiamſi blanditijs poſtmodum ab illâ copulam extorſerit; Imò etiamſi matrimonium in formâ Eccleſiæ, hoc eſt, coram proprio Parocho, & teſtibus cum ea contraxerit, quia ad raptum ſufficit qualiſcumque violētia vera.

Septimò, & illum, qui blanditijs virginem quandam ad domum ſuam allexit, eâque ſimilibus blanditijs potitus eſt, ſed quia illam pater puellæ ſibi renuit in matrimonium dare, minas patri, vt conſentiret, dedit. Ratio eſt, quia etſi nulla vis hactenus puellæ illata fuerit, vis tamen infertur patri; quod ad rationem raptus ſufficit, *per prædicta.*

Octauò, & illum, qui concubinam ſuam reſipiſcere volentem, & à ſe ſeparatam vi ad domum ſuam reuocat, & illa abutitur. Ratio eſt, quia vis mulieri infertur. Neque refert, quod hactenus eius concubina fuerit, quia propterea in illam nullum ius habet, & raptus non ſolùm virginum eſt, ſed quarumcumque mulierum.

Poſtremò, & illum, qui per prædones ſibi domicellam capi iuſſit, & adduci, vt illa potiretur, ſi corpore eius potitus eſt, non autem ſi tantùm

ab

ab illa pecuniam extorſit, *per prædicta.*

QVAESTIO TERTIA.
Quæ obſeruanda circa Confeſſionem, & Abſolutionem Raptoris?

CIrca Confeſſionem aliquot circumſtantiæ ſunt notandæ; Perſonæ, Loci ſacri, & per quos.

Perſonæ, tum ex parte raptoris, tùm ex parte raptæ. Ex parte raptoris, num ſit coniugatus, Sacerdos, Religioſus, quia illæ omnes, & ſingulæ mutant ſpeciem, & diſtinctis præceptis prohibentur, faciuntque, vt quod vno reſpectu eſt mortale, fiat etiam mortale altero. Ex parte raptæ eædem circumſtantiæ conſiderandæ, vtrum ſoluta, coniugata, ſanctimonialis propter eandem rationem.

Loci ſacri, vt ſi monialis rapta ſit, vtrum ex loco ſacro, & ſeptis monaſterij educta ſit, tum quia, quod vno reſpectu erat ſacrilegium, fit etiam ſacrilegium alio, tum propter illa, quæ in præcedente caſu, quæſt. 3. diximus.

Per quos, ſi multos, & quot induxit ad mulierem rapiendam propter ſcandalum datum.

Circa abſolutionem nota; Primò, raptorem omnem debere abſolui ab excommunicatione latâ per Conc. Trid. à quâ tamen, quia nemini reſeruatur, poterit per quemcumque Confeſſarium abſolui.

Secundò, debere ſatisfacere; Si virgo rapta fuit, tenetur illi ſatisfacere prout *ſuperiori c. q.*

3. diximus; Si coniugata, tenetur illam reddere marito, & ſi illam cognouit, tenetur omne dãnum, quod illa inde pati poſſet, reſarcire, & inſuper ad placandum maritum, & parentes arbitrio boni viri, perpenſis omnibus circumſtantijs; Si monialis rapta ſit, tenetur reddere Chriſto, & eius monaſterio, omneque damnum reſarcire, quòd illa idcirco perpeſſura eſt, arbitrio ſimiliter prudentis Confeſſarij; Si rapta ſit ſpõſa alterius, tenetur quoque illam ſuo ſpõſo reddere, niſi ſponſalia iuſtâ de cauſsâ ſoluta ſint.

Poſtremò, ſi rapta ſit meretrix, ad aliquid etiam tenetur raptor, quia facta eſt illi iniuria: non enim tenetur inuita cum quocumque fornicari, quicquid quidam Iuriſperiti non ſatis conſideratè dicant, inter quos eſt Decius *in l. inuitus nu. 7. ff. de regulis iuris.* Ratio eſt, quia meretrix non tenetur cum quolibet peccatum mortale committere, ergo nec inuita poteſt à quolibet ad coïtum compelli. Quare ſi vſpiam tales ſint leges, parum ſunt chriſtianæ. De hâc quæſtione vide, ſi vis, plura apud Couar. *lib. 3. variarum reſolutionum c. 13. nu. 2.*

Tertiò, Nota raptorem non poſſe abſolui niſi ſit ſeparatus à raptâ, ſiue illa conſentiat illi cohabitare, & in maritum habere, ſiue non: Quia ſi conſentit, & in maritum habere vult, nõ poteſt illam ducere, vt antè ex Conc. Trid. oſtendimus, niſi priùs à ſe ſeparatam; nam raptus, quamdiu rapta eſt in poteſtate raptoris, eſt impedimentum dirimens etiam contractum matrimonium; Deinde, qnia tolli debet occaſio propin-

propinqua peccati. Si illa non conſentiat, non poteſt ſimiliter abſolui, quia non ſolùm peccauit rapiendo, ſed etiã peccat retinẽdo inuitam.

Poſtremò, ſi raptor ſponſam alterius, quam rapuit, in vxorem accipere velit, eget diſpenſatione Epiſcopali in vtroque foro, propter dicta in primâ quæſtione iuxta limitationes tamen ibi poſitas: Si raptor virginem, vel quamcũque aliam mulierem ſolutam à ſe ſeparatã, & loco tuto conſtitutam, illâ etiam liberè conſentiẽte, accipere velit in vxorẽ, nullâ eget diſpẽſatione; quia raptus ſolutæ mulieris nullum ponit impedimentum, quando raptor, & rapta ſeparatim ſunt, & liberè in matrimonium conſentiũt, *per illa, quæ diximus in primâ quæſtione diff. 2. & vltimâ.*

CAPVT XIII.

De Matrimonio contracto poſt votum caſtitatis, aut in gradu prohibito ſcienter, vel priore adhuc vxore viuente decimo-tertio caſu reſeruato.

Reſeruantur hoc loco tria peccata illicitè contrahentium matrimonium:

Primum, eorum qui contrahunt poſt emiſſum votum caſtitatis.

Secundum, eorum qui contrahunt in gradu prohibito ſcienter.

Tertium, eorum qui ſcienter cõtrahunt priore adhuc vxore viuente: De quibus ex ordine conſuetâ methodo agendum eſt.

Quaestio prima.

Quale peccatum contrahere matrimonium poſt emiſſum votum caſtitatis?

PEccatum mortale eſt poſt emiſſum qualecumque votum caſtitatis abſque diſpẽſatione præuiâ matrimonium contrahere. *Sotus in 4. diſt. 38. q. 2. art. 1. & eſt communis omnium.* Ratio eſt, quia voluntariè facit impoſſibilem obligationem, quâ aſtrictus erat ſeruare caſtitatem; coniux enim in matrimonio tenetur lege iuſtitiæ alteri debitum coniugale ſoluere. Hinc D. Hieronymus, *Vouentibus virginitatem non ſolùm nubere, ſed etiam velle nubere damnabile eſt. diſt. 37.* & can. ſequenti, *Si nupſerit virgo, non peccat, nec illa virgo, quæ ſe cultui diuino dedicauit; harum enim ſi quæ nupſerit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit.* Alludit D. Hieronymus ad illud Pauli 1. ad Timotheum 5. c. *Adoleſcentiores viduas deuita, cùm enim luxuriatæ fuerint, in Chriſto nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Loquitur enim D. Paulus de viduis, quæ votum caſtitatis emiſerant.

Dixi; *qualecumque votum caſtitatis*, quia quoad peccatum mortale incurrendum, non oportet facere differentiam inter votum caſtitatis ſolenne, & ſimplex, niſi quod, ſicut magiſter *ſent. in 4. diſt. 38.* bene annotauit, grauiùs ſit facere

cere contra ſolenne, *quia* (inquiunt) *violare ſimplex votum peccatū eſt, violare verò ſolenne peccatum eſt, & ſcandalum.* Ad quē ſenſum oportet intelligere verba Cæleſtini Pontificis dicentis, *apud Deum ſimplex votum non minus obligare, quàm ſolenne.* Non enim intelligit, ſicut quidam malè exponunt, quod ſimplex votum perinde matrimonium dirimat, ac ſolenne, ſed quod ſit peccatum mortale non ſecus frangere ſimplex votum, quàm ſolenne: eſt etiam differentia ex hâc parte, quod contrahentes matrimonium poſt votum ſolenne caſtitatis incidant in excommunicationem, in quam nō incidunt qui contrahunt poſt ſimplex, vt patet ex *Clem. c. vnico de conſanguinitate, & affinitate* his verbis: *Nos, qui diuino timore poſtpoſito in ſuarum periculum animarū ſciēter in gradibus conſanguinitatis, & affinitatis canonica inſtitutione interdictis, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur, nec non religioſos, ac moniales, ac clericos in ſacris ordinibus conſtitutos matrimonium contrahentes, refranare metu pœnæ ab huiuſmodi eorum temeritate, & audaciâ cupientes, ipſos excommunicationis ſententiæ ipſo facto decernimus ſubiacere.*

Dixi, *abſque prauia diſpenſatione*, quia poſt illam ab eo, qui auctoritatem habet iuſtâ de cauſsâ impetratam, nubere nullum peccatum eſt.

Poteſtatem diſpenſandi in voto caſtitatis tam ſimplici, quàm ſolenni, ſiue per ſuſceptionem ordinis ſacri, ſiue per profeſſionem religionis approbatæ ſolenniſato, habet Summus Pontifex, ſecundum probabiliorem opinionem Nauarri *c. 12. nu. 75.* & aliorum quos ipſe Nauarrus

rus *in c. literis, de reſtitutione ſpoliatorum* ſtudioſè enumerat.

Imò & illam habet Epiſcopus in certis caſibus, vt ſi ſit votum ſimplex caſtitatis temporarium, & ſi quidem perpetuũ ſit, ſed ſubeſt magnum periculum incontinentiæ, & Summus Põtifex facilè adiri non poteſt, *vt priore parte ex Nauarro, Syluestro, & aliis oſtendimus.*

Nemo verò poteſt, ne Summus Põtifex quidem ſine iuſta cauſſa in voto diſpenſare, quum obligatio voti ſit à iure diuino, *vt ibidem quoque annotauimus.*

Difficultas prima: An peccet, qui poſt votum caſtitatis matrimonium contrahit animo ingrediẽdi religionem ante illius conſummationem?

Quidam dicunt peccare mortaliter, vt Nauarrus *c. 22. nu. 73.* poſt Syluestrum, & alios ibi citatos; Primò, quia talis facit contra ſuum votum: Deinde, quia iniuriam infert ei, cum qua contrahit, quæ non poterit tam facilè alteri nubere ob ſuſpicionem copulæ cum priore habitæ, niſi (inquiunt) ſubſit cauſſa notabilis, ob quam ita contrahere debuerit, & det operam ne ſponſa capiat inde detrimentum.

Alij, vt Caietanus, & Armilla poſt Scotum, dicunt nõ eſſe mortale, & videtur probabilior iſtorum ſententia; Primò, quia Pontifex, *in c. commiſſum de ſponſalibus, & matrimonio*, conſulit illi qui monaſterium ingredi volebat, iuramento priùs facto de quadam in vxorem ducendâ, vt priùs matrimonium contraheret ad iuramentum ſeruandum, & poſtea ante matrimonij con-

conſummationem ad monaſterium conuolaret, quod non conſuluiſſet, ſi hoc eſſet peccatum. Deinde traditio corporum, quæ fit in cōtractu matrimonij, non eſt contra votum caſtitatis, ſi conſenſus ſit in copulam quantum ad potentiam tantùm, & non quantum ad actum, vt accidit B. Mariæ Virgini. Quod notat Couar. *de ſponſalibus p. 2. c. 3. §. 1. nu. 4.* Poſtremò, non fit iniuria parti, quod videri poſſet; quia pars debet ſcire poſt matrimonium ratum, & non cōſummatum licere, etiam ipsâ inuitâ, ingredi religionem *ſecundum omnium opinionem*, quod nō liceret, ſi eſſet iniuria.

Difficultas ſecunda: An periculum mortis temporalis ſit iuſta cauſſa diſpenſandi cum illo, qui votū caſtitatis emiſit, vt contrahere poſſit? V. G. ſi medici dicerent aliquē à graui morbo non poſſe ſanari niſi per actum matrimonialem?

Recenſuimus priore parte plures cauſſas, ob quas cenſuimus iuſtè diſpenſationem dari poſſe; De hac ſpecificè ſaltem mentio facta non fuit.

Dicēdum videtur, quod ſic, quia ob multò leuiores cauſſas poteſt impetrari diſpenſatio, vt patet ex ibi dictis; quamuis quibuſdā hic caſus videatur metaphyſicus; Nam, vt ipſi dicūt, nullus morbus eſt, qui aliter ſanari non poſſit, ſi ſanari poteſt, quàm per actum generationis.

Non obſtant dictis D. Thomas *2. 2. q. 88. art. 11. ad 3.* & D. Bonauentura *in 4. diſt. 38. art. vltimo*, qui dicunt periculū mortis non eſſe iuſtā cauſſam diſpenſandi cum aliquo in voto caſtitatis, quia

quia ibi loquuntur de voto ſolenni, in quo Eccleſia propter particularem talem cauſſam non diſpenſat, cùm in illius diſpenſatione ſolùm attendere ſoleat ad bonum commune.

Difficultas tertia: Quid dicet Paſtor, aut Confeſſarius, ſi poſt emiſſum votum ſimplex caſtitatis, aliquis petat, an validurum ſit matrimonium, ſi contraxerit?

Cauebit quantum in ſe eſt, ne conſulens ex ſuo reſponſo accipiat occaſionem peccandi; quâ cautelâ adhibitâ, poterit libere reſpōdere, matrimonium tale fore validum, ſed cum peccato mortali coniunctum, & cum onere non petendi debitum coniugale.

Neque ſic reſpondendo peccabit mortaliter, vt videntur quidam ſentire, inter quos eſt Hoſtienſis *apud Nauarrum c. 22. nu. 73.* etiamſi conſulendo, ex tali reſponſo anſam quis accipiat peccandi mortaliter, quia ille ex ſuâ parte nullam dat occaſionem peccandi, licet alius ex eius vero, & prudenti reſponſo illam accipiat; Imò nec peccabit venialiter, ſi, vt dictum eſt, iuſta cautela adhibeatur, nimirum ſi tali perſonæ, tali tempore, loco, & modo reſpōdeatur, vt nulla detur illi voti violandi occaſio.

Difficultas quarta: Quid faciet, qui poſt votum caſtitatis contráxit?

Primò tenetur ſeruare votum, quantum in ſe eſt, non petendo debitum, ſed ſolùm reddēdo. *Nauar. c. 22. nu. 37. cum communi.* Peccat enim mortaliter exigendo debitum, nec ſolùm primâ vice, vt quidam Canoniſtæ volunt, ſed toties quoties exigit, *ſecundum D. Thomam, quem ſequitur Nauarrus*

uarrus c. 16. nu. 30. Ratio eſt certa, quia obligatio voti eſt perpetua ex parte vouentis; Poſſet tamẽ ſine peccato petere debitum, quãdo coniux præ verecundiâ non audet petere, quia talis exactio eſt potiùs tacita redditio debiti.

Petitur enim debitum coniugale multis modis, vt docet Nauarrus *c. 16. nu. 26.* & omnes in *4.*

Nunquam verò peccat reddendo, ne quidem primâ vice, quicquid quidam dicant, inter quos eſt noſter Nauarrus ſuprà, *quia* (inquit) *poſſet talis ſatisfacere voto ante illum, ingrediendo religionem*; hoc enim verum non eſt; quia ingreſſus religionis debet eſſe liber, & nimis durum eſt obligare quem illo caſu ad ingreſſum religionis pro conſeruatione voti, quia ſeruare poterit illud in matrimonio, quantum in ſe erit, nõ exigendo debitum.

Secundò, mortuâ vxore nõ poteſt aliam ducere ſine diſpenſatione. *Nauar. ſuprà poſt D. Thom. in 4. diſt. 38 & communem.* Ratio eſt, quia votum nõ fuit ſublatum per matrimonium, ſed solùm eius executio, idque pro aliquâ parte.

Quod verum eſt, etiamſi iurâſſet aliam ducere, quia neque tale iuramentum tollit votũ, imò votum præcedens reddit iuramentum ſubſequens illicitum, atque ita non ſeruandum.

Tertiò, Si vterque maritus, & vxor votum caſtitatis emiſerit, neuter poterit petere, aut reddere debitum abſque diſpenſatione, ſi vterque ſit conſcius voti per alterum emiſſi: Quod dico, quia ſi alter ignoraret, etſi ipſe petere nõ poſſet, poſſet tamen reddere, *iuxta prædicta, &*

Nauar.

Nauar. c. 12. nu. 59.

Quartò, qui contrahit cum eâ, quam ſcit emiſiſſe votum caſtitatis, peccat mortaliter, quia participat cum eâ in crimine, tenet tamen matrimonium, & ille poterit debitum exigere, *ſecundum Nauar. c. 22. nu. 37.*

Quintò, qui contrahit matrimonium poſt emiſſum ſimplex votum caſtitatis in religione Societatis IESV, inualidè contrahit, quia nouo iure Gregorij XIII. *in extrauagante* quæ incipit, *Aſcendente*, tale votum ſimplex factum eſt impedimentum dirimens, cum pœna excommunicationis latæ ſententiæ.

Sextò, & poſtremò, illis, qui extra illam contraxerint cum ſimplici voto caſtitatis, Epiſcopus poteſt dare facultatem petendi debitum propter iuſtam cauſſam, putà quia periculum eſt incontinentiæ, vel quia ad Papam non eſt facilis aditus, *ſecundum communem.*

Facultatem verò de nouo contrahendi poſt mortem vxoris, non poteſt dare niſi Summus Pontifex, quia ipſe ſolus diſpenſat in ſimplici voto perpetuæ caſtitatis, *ſecundum omnes.*

QVAESTIO SECVNDA.

Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum?

EX præmiſſis ſequitur; Primò, non incurrere hunc caſum, quamuis peccet mortaliter, illũ, qui contraxit poſt emiſſum votum non nubendi, quia tale votum non eſt votum caſtitatis, *vt priore parte docuimus.*

Secun-

Secundò, neque illũ,qui contraxit matrimonium poſt emiſſum ſimplex votum religionis. Ratio ſimilis,quia votũ ſimplex religionis non eſt votũ caſtitatis. Probatur,& explicatur;quia, qui vouet aliquem ſtatum ſuſcipere, nõ ſe obligat ad leges illius ſtatus,quouſque ſtatum illum re ipſa aſſumat; Quare, qui vouet religionem, non ſtatim obligat ſe ad caſtitatem, & reliqua onera regulæ, quia aliàs teneretur ſtatim ieiunare,ſilentium ſeruare, noctu vigilare,cantare, &c. quæ omnia videntur abſurda;

Imò neque peccat nubendo, ſi iuſta ſubſit cauſſa; quare nubere antequam ingrediatur religionem, vt antè docuimus; peccat tamen cõſummando matrimonium prima vice, quia tũc voti ſolutionem facit ſibi impoſſibilem. Poſt primam verò conſummationem, neque reddẽdo peccat, neque petendo,quia,ſicuti iam diximus, votum religionis non includit caſtitatem, niſi quando iam aliquis eſt in religione. Quod annotauit de Beja *in reſponſionibus caſuum cõſcientiæ.*

Tertiò, neque illum,qui contrahit poſt emiſſum votum ſacrorum ordinum, hoc eſt, ſacris initiandi, propter eandem rationem; quia tale votum non eſt votum caſtitatis,vt in ſimili iam explicauimus, quamuis initiatus ſacris caſtè viuere teneatur.

Quartò, neque illum, qui poſt emiſſum votum caſtitatis iuſta de cauſſa matrimonium cõtrahit, animo ingrediendi religionem ante cõſummationẽ, *iuxta c. commiſſum ſuperiùs allegatũ de ſponſa-*

ſponſalibus, & matrimonio; Secus, vt apparet, ſi ſine iuſta cauſſa id faceret, & magis, ſi animo peruerſo, & doloſo, *per illa, quæ in præcedente quæſt. diff. 1, diximus.*

Quintò, neque illum, qui emiſſo voto caſtitatis aliquam cognoſcit, etiam promiſſione data futurarum nuptiarum; quia hoc loco ſolum reſeruatur peccatum illius, qui poſt votum caſtitatis contrahit matrimonium, non eius, qui aliquam cognoſcit, aut etiam ſponſalia contrahit.

Sextò, neque illum, vt apparet, quæ nubit poſt emiſſum votum caſtitatis ante annos pubertatis, dubitans num ſufficientem habuerit vſum rationis, quando votum emiſit; quia in tali caſu iudicandum eſt pro parte vouentis, nō habuiſſe ſufficientem vſum rationis, atque ita nullum emiſiſſe votum, *per illa, quæ habet Sotus lib. 7. de iuſt. & iure q. 3. art. 7.*

Septimò, neque illam, vt videtur, quæ vult contrahere ſecundas nuptias poſt emiſſum votum caſtitatis, durantibus primis nuptijs, ſi illud maritus irritauit; Secùs ſi marito placuit, aut ſaltem non irritauit, quia maritus votum vxoris in ſui præiudicium factum irritare poteſt, *per illa, quæ diximus in priore parte.* Et votum irritatum nullum eſt, *ſecundum omnes.*

Octauò, è contrario ſequitur incurrere hunc caſum omnes illas, quæ vt liberiùs Deo ſeruirent, votum caſtitatis etiam apud ſe ſolas, etiã ſolâ mente emiſerunt, & poſtea, remiſſo priore charitatis feruore, nubere volunt, ſi tamẽ actu

nubant,

nubant, quia reſeruatio intelligitur de actibus exterioribus ſubſecuto effectu, aliàs tantùm peccant mortaliter.

Nonò, & poſtremò, & omnes illos, qui initiati ſacris, aut aliquam religionem profeſſi nubunt, niſi obtenta legitima diſpenſatione, quæ initiatis ſacris rariſſimè ſolet concedi, profeſſis religionem approbatam vix vnquam.

QVAESTIO TERTIA.

Quæ obſeruanda circa Confeſſionē, & Abſolutionem contrahentis matrimonium poſt votum caſtitatis?

CIRCA Confeſſionem vnica circumſtantia notanda venit; Perſonæ, Vtrum nimirum qui contrahit ſit religioſus, vel ſacris initiatus, vel tantùm ſimplex votum emiſerit; tum quia ſecundum pleroſque votum ſolenne, & ſimplex differunt ſpecie, quamuis non ſit minùs probabilis opinio aliorum, vt Caietani *2. 2. q. 88. art. 7.* & ſequacium, qui dicunt differre tantùm accidente; tum maximè quia contrahentes cum voto ſolenni incidunt in excommunicationem, non ſimiliter contrahentes cum ſimplici, *vt ante oſtenſum eſt.*

Circa abſolutionem videndum; Primò, vt ab excommunicatione impendatur abſolutio, ſi illa incurſa eſt.

Secundò, An ſic contrahens ſatisfecerit, vel ſatisfacere paratus ſit; Si enim cum voto ſolenni contraxit, & diſpenſatio, vt fieri ſolet, obtineri non poſſit, atque ita ſeparatio facienda eſt, te-

netur illo caſu ſatisfacere pro omni damno, quod ſic male coniugata perpeſſura eſt.

Quod verum eſt, ſi illa ignorauit illum eſſe religioſum profeſſum, vel in ſacris ordinibus conſtitutum. *argumento illorum, quæ c. 11. de ſtupro q. 3. diff. 1. & alibi diximus.*

Tertiò, & poſtremò, An ſublata ſit occaſio peccati propinqua, *propter illa, quæ c. 11. & 12. diximus.*

Qvaestio Qvarta.

Quale peccatum ſit contrahere matrimonium in gradu prohibito ſcienter?

Peccatum mortale eſt abſque præuiâ diſpenſatione contrahere in gradu prohibito ſcienter, illique ſubinde eſt annexa excommunicatio.

Dicitur primò, *mortale*; quia, qui ſic contrahit, conſtituit ſe in ſtatu peccandi mortaliter, vtendi nimirum matrimonio, cùm non ſit matrimonium, atque ita fornicandi.

Dicitur ſecundò, *abſque diſpenſatione*; quia ſi illa adſit, excuſat à peccato, *prout priore parte huius tractatus, & capite præcedenti diximus.*

Dicitur tertiò, *ſcienter*, quia ignoranter in gradu prohibito contrahens excuſatur, ad effectum ſaltem vt non incidat in reſeruationem huius caſus, à quâ quæuis ignorantia etiam craſſa excuſat, cùm verum ſit, quod quâcumque ignorantiâ, quis aliquid faciat, non faciat ſcienter, quamuis ſubinde aliter præſumi poſſit, ſed hìc ſumus in foro conſcientiæ, in quo ſola veritas

ritas attenditur.

Addidi, *ad effectum ſaltem ne incidat in reſeruationẽ*; quia fieri poteſt, quod ignorantia non excuſet à peccato, *per illa, quæ habet Nauarrus c. 27. nu. 141.*

Dicitur poſtremò, *illiq; ſubinde eſt annexa excommunicatio*; quia contrahentibus in gradibus prohibitis cognationis ſpiritualis, vel legalis nulla eſt annexa excommunicatio, ſed ſolum contrahentibus in gradibus prohibitis conſanguinitatis, vel affinitatis, *ſecundum Clementinam vnicam de conſang. & affin. & eius gloſſam.*

Difficultas vnica, ſed permaximi momenti: Quot ſunt gradus, quibus prohibetur matrimonium contrahi?

Nota inter impedimenta, quæ matrimonium non ſolùm impediunt, ſed etiam contractum dirimunt, eſſe duo, Cognationem, & Affinitatem, quæ habent lineas, & gradus, illaque impedire, & dirimere matrimonium, non pro omni ſuâ latitudine, ſed tantùm in certis gradibus.

Pro pleniori igitur reſolutione huius difficultatis permaxime ſcitu neceſſariæ, breuiter hoc loco dicendum.

Primò, de cognatione, eâque triplici, Carnali, Spirituali, Legali.

Secundò, de lineis, & gradibus illarum.

Poſtremò, In quo difficultati reſpondebitur, in quot gradibus prohibeatur matrimonium: Quæ eadem diſputanda etiã erunt de affinitate.

Cognatio eſt triplex, Carnalis, quæ etiam vocatur Conſanguinitas, Spiritualis, & Legalis.

Cognatio Carnalis, ſiue conſanguinitas eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite propinquo deſcendentiũ, vel qua-

rum vna deſcendit ab aliâ carnali propagatione contracta.

Eſt definitio communiter recepta in arbore conſanguinitatis apud Syluestrum *verb. matrimonium 8. q. 6. Nauar. c. 22. nu. 41.* Et Couar. *p. 2. de matrimonio c. 6. in principio,* Sotum *in 4. diſt. 40. q. 1. art. 2.*

Stipes hoc loco eſt perſona à quâ conſanguine deſcendunt.

Reliquarum partium explicationem habes apud præfatos auctores maximè Sotum.

Linea conſanguinitatis eſt ordinata collectio perſonarum conſanguinitate coniunctarum ab eodem ſtipite deſcendentium diuerſos continens gradus. *Sotus ſuprà.*

Conſanguinitas diſtinguitur per tres lineas.

Prima, eſt aſcendentium; in quâ ſunt pater, mater, auus, auia, proauus, proauia, abauus, abauia, atauus, atauia, tritauus, tritauia.

Secunda, eſt deſcendentium, in quâ ſunt filius, & filia, nepos, neptis, pronepos, proneptis, abnepos, abneptis.

Hæ duæ lineæ conſtituunt vnam, quæ vocatur recta; neque enim re differunt, ſed ratione, quatenus nimirum per eam ab vnâ perſonâ deſcenditur ad aliam; vel ab vnâ aſcenditur ad aliam.

Tertia, eſt collateralium, in quâ vna perſona non deſcendit ab aliâ, vt fratres, ſorores, horum filij, nepotes, pronepotes, abnepotes, & conſequenter reliqui. Hæc linea vocatur etiam tranſuerſalis.

Gradus eſt habitudo diſtantium perſonarum, quâ

quâ cognoſcitur quantâ diſtantiâ perſonæ inter ſe differant; vt habitudo filij ad patrem, vel, vt vulgo loquuntur, filius eſt primus gradus, quia inter filium, & patrem nulla eſt perſona media.

Gradus conſanguinitatis aliter computantur in iure ciuili, aliter in iure canonico, *vt habetur c. 2. 35. q. 5*. Nam in linea tranſuerſali ius Ciuile dempto ſtipite tot ponit gradus, quot ſunt perſonæ; Ius verò Canonicum ex duabus perſonis facit vnũ gradum. v. G. duo fratres, vel ſorores, ſecundum ius Canonicum ſunt in primo gradu lineæ tranſuerſæ, ſecundum ius Ciuile ſunt in ſecundo: Duo patrueles, hoc eſt, filij duorum fratrum, vel conſobrini, hoc eſt, filij duarum ſororum, ſecundum ius Canonicum ſunt in ſecundo gradu, ſecundum ius Ciuile ſunt in quarto, & ſic deinceps. Ratio iſtius diuerſitatis eſt, quia ius Ciuile non conſiderat gradus in ordine ad ſacramentum matrimonij, ſed ſolùm ad ſucceſſionem hæreditatum, quæ nonniſi vni dari poteſt; Ideò tot ponit gradus quot ſunt perſonæ; Sed ius Canonicum conſiderat gradus in ordine ad matrimonium, in quo ſunt duæ perſonæ, & ideò quilibet gradus canonicus cum lineâ tranſuersâ continet duas perſonas.

Omiſsâ igitur ratione cõputandi gradus iuris Ciuilis, quæ noſtro propoſito non ſeruit, conſideranda eſt ſolùm illa, quæ à iure Canonico traditur.

Pro quâ cognoſcendâ tradunt Canoniſtæ, quos ſequuntur omnes Theologi, & ſpecialiter per nos ſuprà allegati, tres regulas.

Prima regula. Si perſonæ, de quarum diſtantiâ in gradibus conſanguinitatis quæritur, ſint in eâdem lineâ rectâ, & inter illos nulla ſit perſona media, erunt conſanguinei in primo gradu, vt pater, & filius: Si verò interſit perſona media, vel plures perſonæ, tunc connumeratis omnibus perſonis medijs, & extremis, diſtant tot gradibus, quot ſunt perſonæ vnâ dempta. v. G. pater, filius, nepos, ſunt tres perſonæ, nepos diſtat à patre ſecundo gradu. Dixi, *vna perſona dempta*, quia ſola prima non facit gradum, *vt ex definitione gradus ſuprà poſitâ facilè colliges.*

Secunda regula, Si perſonæ, de quibus quæritur, ſint in linea tranſuerſa, & æqualiter à ſtipite diſtent, quoto gradu diſtant à ſtipite, eodem gradu diſtant inter ſe: vt duo fratres diſtant æqualiter à patre primo gradu, & ideò primo gradu ſimiliter inter ſe diſtant.

Tertia regula, Si perſonæ, de quibus quæritur, ſint in linea tranſuerſa, & inæqualiter à ſtipite diſtent, tunc quoto gradu remotior diſtat à ſtipite, eodem ſimiliter diſtant inter ſe. Habetur hæc regula *c. final. de conſanguinitate, & affinitate.* v. G. Duo nepotes ſunt in ſecundo gradu, ſed nepos, & pronepos ſunt in tertio, quia pronepos eſt in tertio: Filius & nepos ſunt in ſecundo quia nepos eſt in ſecundo. Ratio cur potiùs à remotiori quàm à propinquiori computari debeat, habetur *c. iam allegato*; quia perſonæ in linea tranſuerſa non coniunguntur niſi ratione ſtipitis; Ergo quoto gradu ab illo diſtant, eodem inter ſe diſtare debebunt. Quia, cùm non niſi per ſtipitem coniungantur, fieri non poteſt,

vt vllus ſit propinquior conſanguineo ſuo quàm ſtipiti.

Matrimonium in gradibus conſanguinitatis prohibetur vſque ad quartum gradum incluſiue. *c. non debet, de conſanguinitate, & affinitate.*

Quod intellige de linea tranſuerſali, quia in linea recta prohibetur vſque in infinitum ſecũdum pleroſque omnes Doctores, *Richardum, Durandum, Syluestrum ſuprà, q. 6. §. 5.* Quibus quidem contradicunt Bellarminus *lib. 1. de Sacramento matrimonij c.24.* dicit parum referre, quod quis dicat in hac quæſtione. Ratio eius eſt, quia vix cõtingere poteſt, vt aliquis ineat matrimonium in quinto gradu, aut vlteriori in linea recta; aut enim nõ inueniũtur homines, qui tamdiu viuãt, aut ita erunt inæquales quoad ætatem, vt abſurdiſſimum ſit eos inter ſe matrimoniũ velle contrahere: Nam, vt demus in aliqua linea ſingulos gignere, cũ per ætatẽ licet, hoc eſt, cùm ad annũ decimum quintũ peruenerint, quod tamẽ raro, aut nunquã accidit, ſi deberent in quarto gradu cõiungi, haberet vnus annos nonaginta, & alter quindecim, & ſi in 8. gradu, haberet vnus annos 135. & alter 15. Imò ipſe Adam, qui vixit 930. annos, non ſuperuixit tamẽ niſi ad octauã generationẽ, quô tẽpore, ſi extra cõſanguinitatem ſuã vxorẽ ducere voluiſſet, debuiſſet vir decrepitus annorum ferè nongentorum puellam annorũ 15. in vxorẽ accipere, quæ omnia ſunt abſurda.

Hæc ſufficiant de conſanguinitate, lineis, & gradibus illius, & in quibus matrimonium prohibeatur quoad illam. Sequitur, vt eadẽ de cog-

natione ſpirituali dicamus.

Cognatio ſpiritualis eſt propinquitas quædam perſonarum, quæ ex ſtatuto Eccleſiæ oritur ex Baptiſmo, & Confirmatione.

Colligitur hæc definitio *ex c. veniens de cognatione ſpirituali.*

Nec ſecus dirimit matrimonium, quàm prior, niſi forte ſuperueniat matrimonio iam contracto. Quod dirimat, patet ex *iam dicto c. & c. 1. 30. q. 1.* Hinc ſi adoleſcens teneat puellam in Baptiſmo, non poterit poſtea cum eâ contrahere, & ſi de facto contrahat nullum eſt matrimonium; ſicuti enim ex propagatione carnis oritur vinculum naturale dirimens matrimonium, ita ex ſuſceptione Sacramentorum oritur vinculum ſupernaturale, quia per Sacramenta naſcuntur filij ſupernaturales.

Dixi, *niſi ſuperueniat matrimonio iam contracto*; quia tunc non dirimet, ſed ſolùm impediet petitionem debiti coniugalis, *per c. ſi vir de cognatione ſpirituali.* v. g. Si pater filium de fonte Baptiſmatis ſuſcipiat, vel in confirmatione teneat, contrahit ipſe cum vxore ſuâ cognationem ſpiritualem, quæ tamen non dirimit eorum matrimonium, quia regula eſt generalis, quod matrimonium ſemel legitimè contractum nunquam dirimatur quoad vinculum, niſi per ingreſſum religionis ante conſummationem, vel legitimā diſpenſationem; Impedit tamen talis cognatio petitionem debiti coniugalis, ſi extra caſum neceſſitatis, vel ex ignorantia culpabili contracta fuerit.

Cogna-

Cognatio ſpiritualis olim ſecundum antiqua iura erat triplex; Paternitas, Compaternitas, Fraternitas.

Paternitas erat, quæ cōtrahebatur inter Baptizantem, & confirmantem, qui tenent locum patris, & patrinum, qui tenent locum matris, & Baptiſatum, & confirmatum, qui ſunt filij ſpirituales.

Compaternitas erat, quæ contrahebatur inter patrem & matrem Baptiſati, & confirmati ex vna parte, & inter baptiſantem, & confirmantem, atque patrinum, vel patrinos, qui ex ſacro Fonte ſuſcipiunt, vel in confirmatione tenent ex altera parte.

Fraternitas erat, quæ contrahebatur inter Baptiſatum, & confirmatum, & filios naturales baptiſantis, & patrinorum.

Dixi, *olim ſecundum antiqua iura*; quia hodie ceſſat fraternitas, & aliquâ ex parte compaternitas: Nam per Conc. Trid. *ſeſſ. 24. c. 2. de reformatione matrimonij*, tota cognatio ſpiritualis in Baptiſmo redacta eſt ſolùm ad eam, quæ eſt inter patrinum & baptiſatum, patrem, & matrem baptiſati, & inter baptiſantem, & baptiſatum, & patrem, & matrem beptiſati; Ita vt hodie nulla ſit fraternitas vel confraternitas, nulla item compaternitas inter baptiſantem, & patrinos, nulla item inter baptiſatum, & coniuges, & concubinas prædictorum, & minus inter ipſoſmet patrinos: Quæ eadem locum habent in confirmatione.

Ex quibus patet, quid reſponderi debeat ad

quæſtiones intricatas, quæ hactenus à Doctoribus fieri ſolebant, nimirum; An inter fratres baptiſati, & omnes filios, & quos patrinorũ, vel baptiſantis ſit hoc impedimentũ? Et; An inter baptiſatũ, & vxorem, vel cõcubinam, vel maritũ patrini, vel matrinæ, vel baptiſantis? Et; An cognatio tranſeat per actionẽ, vel paſſionem in coniugem, vel cõcubinam ante, vel poſt cognitam? *De quibus vide Nauarrum c. 22. nu. 36. 37. & 38.*

Hæc quoque ſufficiãt de cognatione ſpirituali, lineis, & gradibus eius, & in quibus gradibus matrimonium prohibeatur quoad illam: Sequitur eadem dicere de cognatione legali.

Cognatio legalis eſt propinquitas quædam ex adoptione alicuius in filium proueniens. Eſt communis Doctorum, Nauarri, Soti, Syluestri locis ſuperiùs allegatis poſt Gloſſ. *c. 1. de cognatione legali.*

Adoptio eſt extraneæ perſonæ in filium, vel nepotem, vel deinceps legitima aſſumptio.

Extranea perſona dicitur hoc loco, quæ ante in adoptantis poteſtate non erat, ſiue illa ſit cõſanguinea, ſiue non; Nõ poteſt tamen eſſe frater, vel ſoror *ſecundum Syluestrum verb. adoptio nu. 1. & Sotum ſuprà.*

Dicitur in definitione, *legitima aſſumptio*; quia, vt valeat, ſecundum leges multa requiruntur, tum ex parte ipſius adoptantis, tum adoptati.

Ex parte adoptantis requiritur: Primò, vt adoptans ſit ſenior 18. annis adoptato, vt nimirum poſſit eſſe eius pater naturalis. Secundò, vt ſit vir, quia fœmina adoptare non poteſt ſine peculiari conceſſione Principis. Tertiò, vt non

ſit ſub alterius poteſtate, ſed ſui iuris, & per cõſequens debet eſſe maior 25. annis, quia illuc vſque non poteſt adminiſtrare ſua bona. Quartò, vt non ſit tutor, vel curator. Quintò, vt nõ ſit caſtratus, quia ille nec generare poteſt, nec coire. Ex quo ſequitur frigidos non poſſe adoptare. Nam, qui iure Ciuili vocantur caſtrati, iure Canonico dicũtur frigidi. Spadones autem, ſeu Eunuchi ab hominibus facti, & ſteriles poſſunt adoptare, quia licet non poſſunt generare, poſſunt tamen matrimonium conſummare.

Ex parte adoptati requiritur; Primò, vt ſit præſens, quia abſens per procuratorem non poteſt adoptari. Secundò, vt det conſenſum. Tertiò, vt Princeps, vel Magiſtratus det veniam. Hæc ſunt breuiter tacta, quia illorum non eſt magnus vſus hodie. Habes, ſi vis plura legere, *apud Syluestrum ſuprà. & alios Summiſtas verb. adoptio.*

Adoptio eſt duplex: Perfecta, & Imperfecta. Perfecta dicitur arrogatio: Imperfecta dicitur ſimplex in filium adoptio.

Sotus ſubdubitat, An adoptio imperfecta ſit impedimentum dirimens, ſicut perfecta; Sed non eſt dubitandum, quia alij Doctores non diſtinguunt, ſed docẽt generaliter cognationem legalem oriri ex adoptione, & eſſe impedimẽtum dirimens.

Arrogatio, & ſimplex adoptio in hoc differunt, quod per arrogationem arrogatus conſtituitur in poteſtate arrogantis, vt iam ſit quaſi filius naturalis, nec poſſit eum pater adoptans priuare ſuâ legitimâ, hoc eſt, parte hæreditatis,

ſed

ſed filius adoptatus non tranſit in poteſtatem adoptantis, niſi fuerit auus eius, vel proauus, & poteſt, ſi velit, eum priuare hæreditate: In eo tamen conueniunt, quod tam adoptatus, quàm arrogatus ſuccedant ab inteſtato. *Colliguntur hæc ex Soto in 4. ſuprà, & Summiſtis.*

Tres ſunt ſpecies huius cognationis, quæ etiã à quibuſdam lineæ vocantur, in quibus quidam gradus impediunt, & dirimunt matrimonium.

Prima eſt paternitas legalis, quæ eſt quaſi recta linea aſcendentium, & deſcendentiũ: Nam non poteſt eſſe matrimonium inter adoptantẽ, & adoptatum vſque ad quartum gradum, hoc eſt filium, vel filiã, nepotem, vel neptem, pronepotem, vel proneptem, abnepotem, vel abneptem adoptati; Et hæc adoptio eſt perpetuò dirimens etiam poſt ſolutam adoptionem per mortem adoptantis. *Nauarrus c. 22. nu. 44. & alij ſuprà citati, poſt c. ita diligere 30. q. 3.*

Secunda eſt fraternitas, & eſt quaſi linea collateralis, ſeu tranſuerſalis nimirum inter adoptatum, & filios, vel filias naturales adoptantis; Quia filius adoptatus non poteſt contrahere cũ filiâ naturali adoptantis; Sed hæc non eſt perpetua ſicut præcedens, quia nõ durat poſt mortem patris, nec poſt ſolutionem adoptionis, aut emancipationem prolis naturalis, *per c. adoptionem 30. q. 3.*

Tertia eſt quædam legalis affinitas ſcilicet inter adoptantem, & vxorem adoptati; Quare inter hos non poteſt contrahi matrimonium, ne quidem alterutro mortuo; quia hæc perpetuò

tuò durat ſicut prima. *l. adoptiuus ff. de ritu nuptiarum.* Poteſt tamen adoptans cõtrahere cum matre filij adoptiui adhuc viuentis. Et vir, ac mulier ab eodem patre legali adoptati poſſunt inter ſe contrahere. *Armilla verb. matrimonium nu. 19. poſt D. Thomam, & Antoninum per illam citatos.* Ratio illorum eſt, quia id legibus non reperitur prohibitum.

Hæc de cognatione legali, lineis & gradibus eius, & in quibus gradibus matrimonium prohibeatur, quo ad illam plus ſatis ſufficiant; quia illius hodie rarus eſt vſus. Reliquum eſt eadem quoque de affinitate oſtendere.

Affinitas eſt propinquitas perſonarum ex copula carnali prouenien̄s, & carens omni parentelâ. Colligitur ex Doctoribus ſuperiùs allegatis.

Oritur affinitas ex quauis copula carnali ſiue licita, ſiue illicitâ, imò etiam per vim extortã, vel cum dormiente habitâ, modò tamen in vaſe debito fiat, & ſequatur ſeminum cõmixtio.

Fuerunt olim tria genera affinitatis, vt patet *39. q. 3. per totam*; Pro quorum cognitione, & diſtinctione tradunt Doctores tres regulas, quas refert Syluester *verb. matrimonium 8. nu. 19.*

Prima regula, Perſona adiuncta ſanguini alterius per copulam carnalem facit primum genus. v. G. Si Maria fratri meo eſſet vxor, eſſet mihi affinis in primo genere.

Secunda regula, Perſona ſecunda per copulam addita dictæ primæ perſonæ, ſeu facienti primum genus facit ſecundum. v. G. Si, fratre meo defuncto, relicta fratris mei nuberet Petro, Petrus

tris eſſet mihi affinis in ſecundo genere.

Tertia regula, Perſona tertia addita ſecundæ, ſeu illi quæ faciebat ſecundum genus, per copulam carnalem facit tertium genus. v. g. Si, Maria defunctâ, Petrus duceret Annam, illa eſſet mihi affinis in tertio genere,

Olim ad iſta tria genera extendebatur impedimentum matrimonij, ita vt conſanguinea primi mariti non poſſet contrahere cum ſecundo marito, vxore mortuâ, neque conſanguinea ſecundi mariti cum tertio marito, non quidem propter affinitatem, aut conſanguinitatem, ſed propter iuſtitiam publicæ honeſtatis; Verùm hodie non remanet niſi primum genus affinitatis *per c. non debet de conſanguinitate, & affinitate.*

Affinitas igitur primi generis diſtinguitur per lineas tres, aſcendentium, deſcendentium, & collateralium. In lineâ rectâ aſcendentium, & deſcendentium affinitas impedit matrimonium in infinitum ſecundum communem opinionem, quamuis non deſint, qui dicant impedire ſolùm vſque ad quartum gradum; Sed hæc quæſtio magis ſubtilis eſt, quàm vtilis propter rationem, quam in ſimili quæſtione de conſanguinitate paulò ante ex Bellarmino attulimus.

In lineâ tranſuerſali collateralium affinitas ſecũdum ius antiquum impedit, & dirimit matrimonium vſque ad 4. gradum, tam ea, quæ oritur ex copulâ licitâ, quàm illicitâ, ita vt perſona ab aliquo cõſanguineo cognita non poſſit contrahere cum aliqua illius conſanguinitatis, niſi

niſi ab illo diſtet vltra quartum gradũ; Verùm ſecundum ius nouum Conc. Trid. *ſeß. 24. c. 4. de reformat. matrimonij* hoc ſolùm verum eſt in affinitate, quæ oritur ex copula licita; in illa verò affinitate, quæ oritur ex copula illicita, ſolùm impedit vſque ad primum, & ſecundum gradũ: ita vt non ſolùm non impediat, aut dirimat, ſi contrahitur in 3. vel 4. gradu, ſed etiam nõ peccetur; Quod declarauit Pius quintus *motu proprio ſub hoc edito in extrauaganti ad Romanum Anno 1566. vt refert Nauarrus c. 22. nu. 43. ſub initium.*

Ad dignoſcendum, & numerandum gradus affinitatis aſſignari ſolet à Doctoribus vnica regula.

Quo gradu quis eſt conſanguineus vxori alicuius, eodem gradu eſt affinis marito eius, & quo gradu quis eſt conſanguineus marito alicuius, eodem gradu eſt affinis vxori illius.

Quod hæc ſola regula ſufficiat, patet, quia affinitas non habet gradus, niſi ratione eiuſdem ſanguinis, cui maritus per vxorem cõiungitur, & vxor per maritum, v. g. Frater, & ſoror ſunt in primo gradu conſanguinitatis, ergo maritus ſororis attingit fratri in primo gradu affinitatis, & eadem ratione vxor fratris attingit ſorori ſimiliter in primo gradu. Rurſus filia ſororis, & filia fratris attingunt ſe in ſecundo gradu conſanguinitatis, Ergo maritus filiæ ſororis attingit filiam fratris in ſecundo gradu aſſinitatis; & ſic conſequenter in reliquis.

Ex præmiſſis patet euidenter, quod conſanguinei mariti, & cõſanguinei vxoris nõ ſint ſibi affines

affines ſaltem primi generis, quia ſolùm diximus, quod conſanguinei mariti ſint affines vxori, non autem conſanguineis vxoris; Similiter conſanguinei vxoris ſunt affines marito, non conſanguineis mariti, quod diligentiſſimè annotandum eſt.

Hinc ſequitur conſequēter duos fratres poſſe matrimonium contrahere cum duabus ſororibus, & patrem, & filium cum matre, & filia, & filium vxoris ex alio marito cum filia mariti ex alia vxore, & virum, mortuâ vxore, cum relicta fratris vxoris ſuæ, & diuerſis temporibus poſſe aliquem duas, vel plures fœminas vxores ſibi accipere, quæ cum duobus, vel pluribus fratribus contraxerint. Quæ vtiliſſimè annotârunt Syluester *ſuprà verb. matrimonium 8. nu. 15. notabili 3.* Couar. *ſuprà, & alij.*

Qvaestio qvinta.

Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum?

Ex præmiſſis ſequitur: Primò, non incurrere hunc caſum illum fratrem, qui ducit in vxorem ſuam atneptem, quia frater, & atneptis attinent ſibi ſolùm in quinto gradu conſanguinitatis lineæ tranſuerſalis, per regulam tertiam ſuperiùs allegatam. Nam licet frater ſit in primo gradu, atneptis tamen eſt in quinto, frater enim, & ſoror conſtituunt primum gradum lineæ tranſuerſalis, illorum nepos, & neptis ſecundum, pronepos, & proneptis tertium, abnepos, & abneptis quartum, atnepos, & at-

& atneptis quintum: Iam verò ſecundum illam regulam quoto gradu diſtat remotior perſona in lineâ tranſuerſâ à ſtipite, eodem diſtant inter ſe, ergo attinent ſibi ſolùm in quinto gradu, in quo matrimonium non prohibetur.

Secundò, neque illum, qui denunciationibus, ſiue proclamationibus, continuis tribus Dominicis diebus in Eccleſiâ ſub Miſſæ ſolennijs publicè factis, ducit in vxorem abneptem ſuam, quam hactenus putauerat ſe non attingere; quia non contrahit in gradu prohibito ſcienter, ignorauit enim ſuam eſſe conſanguineam, maximè cùm ſolennes denũciationes in Eccleſiâ publicè factæ ſint iuxta decretum Conc. Trid. *ſeſſ. 24. c. 1. de reformat. matrimonij*, nec vllus aſſiſtentium impedimentum deprehenderit; Imò neque incurrit, vt apparet, hunc caſum, ſi idem, falsâ cauſsâ narratâ. rubrum ſigillum, quod vocant, hoc eſt, remiſſionem duarum denunciationum impetrauit, & vna tantùm facta fuit, idque veſpertinâ horâ coram duobus, vel tribus tantùm teſtibus; Ratio, quia ſemper verum eſt, quod ignoranter contraxit cum conſanguineâ in quarto gradu, licet peccârit grauiter impetrando rubrum ſigillum ex falſis narratis, exponendo ſe periculo contrahendi in gradu prohibito, cùm denunciationes matrimonij ad hoc præceptæ ſint, vt impedimentum, ſi quod ſubſit futuro matrimonio, hac ſaltem ratione deprehendi poſſit.

Tertiò, neque illam quæ nubit filio patrini ſui, quia omnis fraternitas ſpiritualis, quæ olim

cõtrahi ſolebat tam in Baptiſmo quàm in Confirmatione per Conc. Trid. eſt ſublata; Imò neque incurrit, ſi, mortuo patrino, quis nubat cũ relictâ ipſius, *per Concil. Trid. ſuprà.*

Quartò, neque illum fratrem, qui accipit in vxorem ſororem vxoris fratris ſui, quia, ſicut ante dictum eſt, etſi omnes cõſanguinei fratris, inter quos eſt frater ſuus, ſint affines vxori illius, non ſunt tamen affines conſanguineis vxoris, inter quos eſt ſoror vxoris, loquendo ſemper de affinitate primi generis, quæ hodie ſolũ impedit matrimonium; Imò neque incurret filius, ſi accipiat in vxorem filiam vxoris patris ſui ex altero marito genitam propter eandem rationem, quia, etſi omnes conſanguinei patris ſint facti affines vxori patris, non ſunt tamen facti affines conſanguineis vxoris, inter quos eſt filia ex alio marito genita.

Quintò, neque illum, qui, mortuâ vxore, accipit in vxorem mulierem, quæ fuerat vxor alicuius de conſanguinitate prioris vxoris, quia licet omnes conſanguinei prioris vxoris fuerint effecti illi marito affines, non tamen affines illius vxoris effecti fuerint illi marito affines, per illa, quæ ſuperiore quæſtione ex Syluestro vtiliſſimè annotauimus.

Sextò, & poſtremò, è contrario ſequitur facillimè colligi poſſe, qui in illum incidant, vt vix egeat admonitione.

QVAES-

QVAESTIO SEXTA.

Quæ ſunt obſeruanda circa Confeßionem, & Abſolutionem contrahentis ſcienter in gradu prohibito?

CIRCA Confeſſionem ſingulariter notanda eſt circumſtantia gradus prohibiti, An ſit primus, ſecundus, tertius, quartus conſanguinitatis, vel affinitatis; non enim ſufficit dicere in confeſſione, contraxi ſcienter cum illâ, quæ me cōtingebat in gradu prohibito, ſed oportet ſpecificare gradum; quia licet ſit vtrobique incæſtus, & peccatum eiuſdem ſpeciei, non eſt tamē eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ (vt loquuntur dialectici) quæ neceſſariò confitenda venit, ſed diuerſæ; Nam ſub ſpecie ſubalternâ incæſtus continentur incæſtus cognatorum, & affinium diuerſorum graduum, quæ ſunt diuerſæ ſpecies ſpecialiſſimæ, *ſecundum Nauar. c 7. nu. 4. & apertiùs c. 16. nu. 3. ſub finem.*

Circa abſolutionem obſeruandum.

Primò, An ſubſit aliqua excommunicatio, quia ab illâ ſtatim impendi debet abſolutio. Annexa eſt excommunicatio contrahentibus in gradibus prohibitis conſanguinitatis, & affinitatis, non tamen cognationis legalis, vel ſpiritualis: Quod annotauit *Nauar. c. 22. nu. 45. ſub finē, poſt Clementinam vnicam de conſanguinitate, & affinitate & eius gloſſam*; A quâ tamen quilibet Confeſſarius abſoluere poteſt, quia nemini reſeruatur, vt patet ex textu Clementinæ iam allegatæ, & Nauarro *c. 27. nu. 141.* illam explicante.

Secundò, non poſſe talem abſolui niſi ſatisfecerit, vel ſatisfacere paratus ſit; Si enim non poteſt impetrari diſpenſatiò, & ſeparatio facienda eſt, debet ſatisfacere pro omni damno, quod illa paſſura eſt ex coniugio ſic malè contracto: Quod verum eſt, ſi illa ignorauit ſe illi coniunctam in gradu prohibito, ille verò ſciuit, & importunis precibus, & alijs ſimilibus modis ad matrimonium allexit *per illa; quæ ex Nauarro c. 11. q. 3. diff. 1. diximus.*

Tertiò, videndum an proles ſint natæ, quia neutri poterit impendi abſolutio, niſi præſtent officium parentum erga illas. Ad quid teneantur parentes erga proles etiam illegitimas, diximus ſuperiùs *c. 11. q. 3. circa abſolutionem ſtupratoris virginis.*

Quartò obſeruandum, an ſublata ſit occaſio propinqua peccati, quod antè ſingulariter notandum diximus circa peccata carnis.

Difficultas vnica: An nulliter coniugati, qui in gradibus prohibitis cognationis, vel affinitatis ſcienter, vel ignoranter contraxerunt, poſſint abſolui, interim dum expectant diſpenſationem abſque ſeparatione?

Non poſſunt regulariter abſolui. *Nauar. c. 3. nu. 16. & 24.* Ratio eſt, quia nemo poteſt abſolui, ſecundum omnes, qui non proponit ſaltem virtualiter ſe nunquam in poſterũ mortaliter peccaturum, & conſequenter vitaturum occaſionem, quæ vel ex ſe peccatum mortale eſt, vel talis, quã credit probabiliter cauſſam fore peccati mortalis, iuxta illud Eccleſiaſtici *5. Qui amat periculum, peribit in illo.* Et ſecũdum regulam Theologi-

logicam, *exponere ſe periculo peccati mortalis eſt peccatum mortale*; At talis occaſio eſt cohabitatio cum muliere illâ, cum quâ quis hactenus peccauit, *ſecundum D. Thomam in 4. diſt. 15. q. 1. art. 1. Antoninum 3. p. tit. 14. c. 26. Nauar. c. 16. nu. 20. Et latiùs in c. ſatisfactio de pœnit. diſt. 3.*

Dixi *regulariter*; quia ſecundum Nauarrum, loco ſuperiùs allegato, poterunt abſolui, quando tales occurrent circumſtantiæ, quibus ipſe Confeſſarius, aut ipſi ſic coniugati ſibi perſuadere poterunt, quod nunquam, aut rarò peccabunt, etiam ſi ab illa occaſione ſe non abſtineant, putà ſi hæc quatuor adſint; Primum, vera contritio peccatorum præteritorum. Secundũ, verum propoſitum in poſterum non peccandi. Tertium credulitas, quod, Deo iuuante, non peccabunt. Quartum, quod ſubſit aliqua rationabilis cauſſa ab illa occaſione ſe non abſtinendi: Sed hæc adeſſe, & præcipuè tertium non ſibi facilè perſuadebit Cõfeſſarius, maximè ſi negotium illi eſt cum lubricis, ſecùs, ſi cum illis, qui hactenus caſtè vixerunt, omniaque ſalutaria conſilia hac in parte deinceps amplecti parati ſunt.

QVAESTIO SEPTIMA.

Quale peccatum ſcienter contrahere matrimonium priore vxore adhuc viuente?

PEccatum mortale eſt ſcienter contrahere matrimonium, viuente priore vxore, niſi illa religionem approbatam ante conſummationem profeſſa ſit, aut legitima Pontificis

 diſ-

diſpenſatio acceſſerit.

Quod ſit mortale, patet; quia ſic contrahens iniuriam facit Sacramento matrimonij, illud quantum in ſe eſt diſſoluendo, quod tamen diſſolui non poteſt, dicente Chriſto: *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Patet idem ex grauiſſimis pœnis, quæ ſic contrahentibus inferuntur tùm iure Canonico, tùm Ciuili; Nam Canonico iure talibus imponi debet pœnitentia 40. dierum in pane, & aqua, qua impleta iniungi inſuper debent ſeptem anni pœnitentiæ, *vt habes c. 2. de ſponſa duorum.* Quæ pœnitentia non ſolet imponi niſi pro mortalibus, ijſque grauioribus. Puniuntur quoque publica ignominia, *ſecundum Abbatem in c. Cum haberet. de eo, qui duxit in matrimonium, &c.* Habentur etiam ſuſpecti de hæreſi, quaſi non benè ſentiant de Sacramēto matrimonij, poteſtque procedi contra illos per inquiſitores hæreticæ prauitatis, *vt habes apud Couar. p. 2. de matrimonio c. 7. §. 7. nu. 6.* Non ſunt tamen excommunicati ſecundum eundem, quicquid ſentiant quidā, quos ipſe refutat. Iure Ciuili, puniūtur pœnâ ſtupri, quæ in perſonis honeſtis eſt amiſſio dimidię partis bonorū, & in vilibus verberatio cū relegatione quinquēnali. *l. eum, qui duas C. de adulterijs.*

Dixi primò, *ſcienter*; quia contrahere ignoranter, putà ignorantiâ probabili vitæ vxoris, non eſt peccatum, Imò quæuis ignorantia, modò ſit vera, excuſat ſaltem ad effectum; vt quis non ſubiaceat reſeruationi *per illa, quæ quæſtione 4. huius 6. diximus.*

Dixi ſecundò, *viuente priore*; quia mortua illa, poteſt

poteſt quis contrahere abſque peccato, bis, ter, quater, & pluries: & erunt omnia matrimonia vera, imò & Sacramenta conferentia gratiam, *ſecundum Thomam in 4. diſt. 44.*

Nec vlla inuretur infamia, ſi contrahatur intra dies luctus. *c. ſuper illa de ſecundis nuptijs*, quod refert Syluester *verb. matrimonium 8. nu. 13. notabili primo.*

Dixi tertiò, *niſi illa approbatam religionem ante conſummationem matrimonij profeſſa ſit*: quia illo caſu matrimonium carnale diſſoluitur, & conſequẽter maritus aliam vxorem ducere poteſt, vxore priore in monaſterio viuente; Sic enim differunt ſecundum omnes *in 4. diſt. 27.* matrimoniũ ratum, & conſummatum. & matrimonium ratum, & non conſummatum, quod illud nonniſi morte diſſolui poſſit, iſtud verò etiam profeſſione religionis approbatæ.

Dixi quartò, & poſtremò, *aut niſi legitima Summi Pontificis adſit diſpenſatio*; quia ſecundum multos Doctores, illa accedente, matrimonium ratũ, ſed non conſummatum diſſolui poteſt, atque ita ſecundum illos maritus poterit etiam hoc caſu aliam vxorem, etiam priore vxore viuente, accipere abſque peccato.

Difficultas prima: Quid ſi vxor putetur mortua, poteritne maritus tutâ conſcientiâ cum aliâ contrahere?

Dicendum; primò, Ante omnia debet maritus ſibi perſuadere illam eſſe mortuam, quia aliàs peccaret contrahens contra conſcientiam. *c. 2. de ſecundis nuptijs.*

Secundò, debet id ſibi perſuadere non ex le-

uibus coniecturis, ſed ex certis, & grauibus argumentis *ſecundum Gloſſam c. in præſentiâ de ſponſalibus, quam ſequitur Couar. loco ſuperiùs allegato.*

Certa autem, & grauia argumenta, quoad præſentem materiam, communiter aſſignantur iſta tria; Primum, ſi afferatur certum nuncium mortis. Secundum, ſi fama eſt publica, & communis. Tertium, ſi ſubſint vehementia indicia, quæ probabilem faciant præſumptionem: Non erit tamen ſemper expectandum per ſeptem, vel octo annos, donec certum nuncium mortis afferatur, vt videtur velle *ſupradictum c. in præſentiâ de ſponſalibus*, quia ille rigor poſtea mitigatus fuit per Innocentium 3. *c. final. §. ſi autem, vt lite non conteſtatâ*, Vbi dicit, *Si autem de carnali coniugio ſit agendum, tamdiu alteruter coniugum expectetur, donec de ipſius obitu veriſimiliter præſumatur.* Ex quibus verbis clarè patet non eſſe neceſſe tamdiu expectare, donec feratur certum nuncium, ſed ſufficere indicia, quæ veriſimilem mortis præſumptionem faciant; Quare benè, vt apparet, dicit *Couar. ſuprà* ſtandum eſſe hâc in re prudentis viri arbitrio, putà Paſtoris, aut Confeſſarij in foro conſcientiæ, aut iudicis competentis in foro exteriori.

Tertiò, ſi vir temerè, ac ſine iuſtis mortis indicijs alteri mulieri nubat, etſi peccet etiã mortaliter, vt dictum eſt, non debebit tamen per Iudicem Eccleſiaſticum ſeparari à ſecundâ, niſi certò conſtiterit priorem adhuc viuere. *Ita habet c. 2. de ſecundis nuptijs, & ibi Gloſſ. Quam ſequuntur Hoſtienſis, Ioannes Andrea, Præpoſitus. Couar. & alij.*

Diſſi-

Difficultas ſecunda : An tutâ etiam conſcientiâ poterit cognoſcere ſecundam vxorem, ſi fortè incipiat dubitare de vitâ prioris?

Diſtinguẽdum eſt; Si dubitat ex leuibus quibuſdam argumentis, debet ex conſilio viri prudentis deponere dubitationem, & non ſolùm reddere, ſed etiam exigere debitum: Si verò dubitat iuſtis argumentis motus, poteſt reddere, ſed non exigere. Ita clare reſpondetur *in c. Dominus, de ſecundis nuptijs, &c. Inquiſitioni, de ſententiâ excommunicationis*; cuius verba, quia præſentẽ quæſtionem plurimum elucidant, ſubijciam; *Inquiſitioni tuæ reſpondentes credimus diſtinguendum, vtrum ſit alter coniugum certò ſciat impedimẽtum matrimonij, propter quod ſine mortali peccato non valeat carnale commercium exercere, quamuis illud apud Eccleſiam probare non poßit; An non ſciat pro certo, ſed credat; In primo caſu, debet potiùs excommunicationis ſententiam humiliter ſuſtinere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortale: In ſecundo, diſtinguimus, vtrum habeat conſcientiam huiuſmodi ex credulitate leui, & temerariâ, an probabili, & diſcretâ; Et quidem ad ſui Paſtoris conſilium conſcientiâ leui, & temerariæ credulitatis explosâ, licitè poteſt non ſolùm reddere, ſed exigere debitum coniugale; Verùm cùm conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili diſcretâ quamuis non euidenti, & manifeſtâ, debitum quidem reddere poteſt, ſed poſtulare non debet, nè in alterutro vel contra legem coniugij, vel contra iudicium conſcientiæ committat offenſam.*

Non obſtat dictis regula Theologica eum, qui facit aliquid de quo probabiliter dubitat, an ſit mortale, mortaliter peccare, non poſſe ergo

ne quidem reddere debitum, ſtante dubio probabili.

Quia reſponderi poteſt ſecundum Nauarrũ, quæ eſt eius ſingularis, & à multis laudata reſponſio *c. 22. nu 55. & latiſſimè de pœnit. diſt. 7. à nu. 87. vſque ad 114.* aliquẽ poſſe etiam probabiliter dubitare de aliquâ re, quoad vnum effectum, putà ad petendum debitum coniugale, & non dubitare ſatis probabiliter quoad reddendum. Ratio diuerſitatis eſt, quia maior requiritur certitudo, vt debeat non reddere, quàm non petere: In priore enim caſu fieri poſſet coniugi iniuria, vti indicat Pontifex ſuprà, non in poſteriori, quia nullum in illo periculum eſt, poteſt enim quilibet pro libitu ſuo vti re ſuâ, modò illâ nõ abutatur, non ſic vti re alterius, vt patet.

Difficultas tertia: Quid faciet maritus, ſi, contracto altero matrimonio, intelligat certò priorem vxorem viuere?

Debet relinquere ſecundã, & redire ad priorem. Sic decreuit Leo Papa *can. cùm inter bellicã, & can. cùm in captiuitate 34. q. 2.* Et ratio eſt clara, quia prius matrimonium non fuit ſolutum, atque ita ſecundum non potuit eſſe validum.

Ex quo ſequitur, quod licet vxor viginti, aut triginta, pluribúſve annis fuerit abſens, eademque mortem obijſſe credita fuerit, atque maritus idoneis, legitimiſque teſtibus certior eius mortis factus aliam vxorem duxerit, ex illaque plures liberos ſuſceperit, quandocumque prior comparuerit, tenetur, ſecundo prætenſo matrimonio ſoluto, ei vt legitimæ vxori adhærere.

Diffi-

Difficultas quarta: Quid ſi maritus, cùm putaret vxorē ſuam viuere, & reuerà mortua eſſet, acceperit ſecundam; an ſubſiſtat matrimonium?

Habet hanc difficultatem Nauarrus *c. 22, nu. 56.* cui reſpondet cum diſtinctione; Aut enim maritus, cùm contraheret matrimonium, credebat matrimonium fore validum, etſi putaret ſe mortaliter peccare; Aut non credebat fore validum; Si primum, ſubſiſtit matrimonium, quia adeſt intentio contrahendi, & in rei veritate nullum ſubſiſtit impedimentum, quia mortuā eſt prior vxor; Si ſecundum, non ſubſiſtit matrimonium, quia deeſt intentio contrahendi, atque ita non cōſentit legitimè in matrimonium. *Ita Nauar. ſuprà poſt Syluestrum verb. matrimonium 8. q. 13. §. 5.*

QVAESTIO OCTAVA.

Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum?

EX præmiſſis ſequitur; Primò, non incurrere hunc caſum illum, qui contrahit cum ſecūda vxore, viuente priore, exiſtimans probabiliter illam eſſe mortuam, etſi reuera mortua non ſit: quia ſic contrahens non contrahit ſcienter; Imò neque incurrit, ſi, mortuâ ſecundâ, contrahit cum tertia, & mortuâ tertiâ, cū quartâ, ſemper priore viuente.

Secundò, neque illum, qui cùm diu mortem vxoris deſiderâſſet, audito quodam leui rumore de morte illius per quoſdam ex induſtria diſſeminato, perſuadet ſibi illam eſſe mortuam, nullâque morâ interpoſitâ, matrimonium cum

alia

aliâ cõtrahit. Ratio eſt, quia licet grauiter peccet non expectando alia grauiora, & probabiliora mortis indicia, & ideò in vtroque foro grauiter puniendus veniat, verum eſt tamen, quòd non contrahit ſcienter viuente priore; quod præcedẽte quæſtione diximus ſufficere ad hoc ſaltem, vt quis non cenſeatur in reſeruationem iſtius caſus incidiſſe.

Tertiò, neque illum, qui exiſtimans vxorem ſuam viuere, cùm ſit mortua, contrahit cum ſecundâ. Ratio eſt, quia verum eſt eum non cõtrahere viuente priore, quamuis ſic contrahẽdo peccet mortaliter, iniuriamque, quantum in ſe eſt, inferat Sacramento, & priori vxori; Imò neque ſubſiſtit matrimonium, ſi, dum contraheret, credebat ſe non poſſe contrahere propter matrimonium cum priore vxore ſecundum eius opinionem viuente, ſubſiſtens, *per illa, quæ in præcedente quæſtione difficultate vltimâ diximus.*

Quartò, neque illum, qui intelligens inter ipſum, & priorem vxorem ſubeſſe aliquod impedimentum dirimens contrahit cum ſecũdâ: Quod verum eſt, etiamſi contrahat ſine licentiâ ipſius, & poſſit diſpenſatio impetrari, ſed illam non vult ſollicitare; imò neque oblatam accipere: Quia prior, licet putata fuerit vxor, in rei veritate tamen non fuit, atque ita liber eſt, vt aliam ducat, neque tenetur diſpẽſationem ſollicitare, aut oblatam accipere, vt cum illâ remanere poſſit, niſi quid aliud narretur.

Quintò, & poſtremò, ſequitur è contrario incidere in hunc caſum: Primò, mulierem illam,

lam, quæ ſciens maritum ſuum viuere fingit in bello eſſe mortuum, & cum alio contrahit. Nõ obſtat, quod in reſeruatione ſolùm fiat mentio de marito ſcienter contrahente, &c. Quodque odia, & pœnæ ſint reſtringendæ, & non extendendæ vltra ſuum caſum: Quia, *vt ſuprà c.5. q. 3. ex Nauarro docuimus*, regulæ illæ iuris fallunt in correlatiuis, in quibus eadem ratio idẽ ius ſuadet; Eadem autem ratio, imò maior ſuadet idẽ dicendum de vxore, quod de marito, quia longè turpius eſt, quod vna mulier habeat duos viros, quàm quod vir vnus habeat duas vxores. Secundò, omnes illos milites, chirurgos, medicos, iaculatores, & ſimiles vagabundos homines, qui cùm ſciant in patriâ ſuâ vxores viuere, nihilominus varijs in locis plures ducunt vxores: Cum quibus qualiter agendum ſit, grauiter ſanciuit Conc. Trid. *ſeſſ. 24. c. 7. de reformatione matrimonij* his verbis: *Multi ſunt, qui vagantur, & incertas habent ſedes, & vt improbi ſunt ingenij, primâ vxore relicta, aliam, & plerumque plures, illâ viuente, diuerſis in locis ducunt; Cui morbo cupiens Sancta Synodus occurrere, omnes ad quos ſpectat, paternè monet, ne hoc hominum genus vagantium ad matrimonium facile recipiãt; Magiſtratus etiam ſæculares hortatur, vt eos ſeuerè coërceant, Parochos autem præcipuè, ne illorum matrimonijs interſint, niſi priùs diligentem inquiſitionem fecerint, & re ad Ordinarium delatâ, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.*

QVAES-

Qvaestio IX. et postrema.

Quæ obſeruanda circa Confeſſionem, & Abſolutionem contrahentis matrimonium priore vxore viuente?

Circa Confeſſionem ſingulariter hodie interrogandum, An errore intellectus cum ſecunda contraxerit; An verò ſola paſſione: Si ex errore exiſtimans licitum eſſe, hæreticus fuit, atque ita in excommunicationem Bullæ cœnæ Domini incidit: Sin verò ex ſola paſſione, non fuit reuera hæreticus, quamuis præſumi poſſit talis in foro exteriori, & contra illum vti talem inquiri.

Circa abſolutionem videndum; Primò, vt ab excommunicatione abſoluatur, ſi, vt dictum eſt, propter hæreſim in illam incidit.

Secundò videndum; An, dum contraheret, exiſtimauerit ſe matrimoniũ poſſe contrahere, viuente prima vxore: quia ſi putabat nõ poſſe, non contraxit, neque ſtat matrimonium, *per prædicta*, etiamſi prior vxor fortè mortua ſit; atque ita hoc caſu non poterit abſolui, niſi ſecundò nubat: ſecùs, ſi putauerit poſſe.

Tertiò ſciendum, quod ſiue putauerit contrahere, ſiue non, non poteſt abſolui priore viuente, niſi ſeparetur à ſecunda, & ad ſe recipiat priorem, vt patet.

Quartò, & poſtremò: Quod ſi, relicta ſecunda, ad priorem viuentem redire velit, vt debet, non poterit abſolui, niſi ſatisfecerit, vel ſatiſfacere arbitrio viri prudentis paratus ſit ſecundæ.

dæ. An aliquid illi debeat in foro conſcientiæ, & quantum, habes ſuperiùs, *hoc eodem capite, q.3. & 6. & c.11. q. 3. diff.1. & c. 12. q. 3.*

CAPVT XIIII.

De incæſtu cum conſanguineis, aut cũ virgine ſacrâ, ſeu moniali profeſſa.

QVAESTIO PRIMA.

Quid incæſtus, & an omnis hoc loco reſeruatur?

INCAESTVS duobus modis ſumitur; Primò, generaliter, & minus propriè, & ſignificat quemuis illegitimum concubitum: Dicitur à ceſto Veneris illegitimo cingulo, quo amor maritalis in legitimis nuptijs conciliari putabatur à gentilibus; Hoc pacto adulterium, fornicatio, dicuntur incæſtus, quibus ſcilicet cingulum illud iuſtarum nuptiarum inſigne non adhibetur. *l. ſi adulterium ff. ad l. Iuliam.*

Secundò, ſtrictè, & propriè, & ſignificat concubitum illegitimum perſonarum conſanguinearum, vel affinium vſque ad quartum gradum incluſiuè: Quomodo paſſim à Theologis, Iuriſperitis, & hoc loco accipitur. *Vide D. Thomam 2. 2. q. 154. art. 9. ad 1. & Sotum in 4. diſt. 37. q. vnica art. 2. & Canoniſtas in c. Lex illa prateritorum 36. q. 1.*

Ad propriè dictum igitur, & conſummatum incæ-

incæſtum, de quo hoc loco, requiritur ſecundũ præfatos Doctores, vt ſit conſanguineorum, vel affinium perfecta, & naturalis, hoc eſt, in vaſe debito facta commixtio.

Vnde ſequitur neque per tactus impudicos conſanguineorum, vel affinium, neque per oſcula, neque per reſerationem, vel penetrationẽ clauſtri virginalis ſine concubitu, imò neque per effuſionem ſeminis extra vas naturale, neque per nefariam ſeminationem contra naturam committi propriè incæſtum:

Quia verò virgines ſacræ, hoc eſt, moniales per profeſſionem in aliquo ordine approbato Deo conſecrantur tanquã ſpirituales eius ſponſæ; qui virginem talem cognoſcit, dicitur quoque incæſtum ſpiritualem committere, quaſi rem habens cum matre ſua ſpirituali ſpõſa ſcilicet Dei, qui eſt pater omnium noſtrûm. *Sic docet D. Thomas ſupra 2. 2. q. 154. art. 10. ad 1. quem ſequitur Armilla verb. incæſtus nu. 2. ſub finem, & Nauarrus c. 16 nu. 3. poſt c. virginibus 27. q. 1.*

Reſolutoriè ergo ad vtramque partem quæſtionis dicendũ; quod incæſtus propriè loquendo eſt conſanguineorũ, vel affinium intra quartum gradum illegitimus concubitus; Qualis neque omnis, neque ſolus hoc loco reſeruatur: Non omnis, quia non reſeruatur incæſtus inter affines commiſſus dicitur enim in reſeruatione incæſtus cum conſanguineis: Neque ſolus, quia etiam reſeruatur quidam incæſtus impropriè dictus; Qualis eſt illegitimus concubitus cum virgine ſacrâ, hoc eſt, in aliquo ordine appro-

bato

bato legitimè profeſsâ, vt patet ex verbis ipſius reſeruationis : Quod minimè dicendum eſſet, niſi in ipſa reſeruatione exprimeretur, cùm reſeruatio ſit ſtrictè, & propriè interpretanda.

Incæſtus propriè ſumptus eſt ſpecies luxuriæ ab alijs diſtincta: Quia in commixtione conſanguineorum, vel affinium plures reperiuntur deformitates, quæ in alijs ſpeciebus non reperiuntur. Quod D. Thomas loco ſuperiùs allegato ſic probat; Primò, quia homo naturaliter debet quandam reuerentiam parentibus, & conſequenter alijs conſanguineis, qui proximè ab ijſdem conſanguineis originem trahunt; Hinc apud veteres Romanos non erat fas filium cum patre balneari, ne ſe inuicem nudos conſpicerent, vt teſtis eſt Valerius Maximus *lib. 2. tit. 1. c. 4.* Certum eſt autem commixtioni corporum ineſſe quandam turpitudinem reuerentiæ huic maximè contrariam, quod inſinuat ſacra ſcriptura Leuitici 18. *c. Mater* (inquit) *tua eſt, non reuelabis turpitudinem eius.* Secundò, quia perſonas conſanguinitate, vel affinitate iunctas neceſſarium eſt frequentiùs ſimul verſari; Si ergo à commixtione non arcerentur, nimia daretur illis luxuriæ occaſio: Quod etiam voluit ſacra ſcriptura, quando inter eas perſonas prohibuit matrimonium, quas neceſſum eſt ſimul habitare. Tertiò, quia per coniunctionem matrimonialẽ conſanguineorum, & affinium impeditur multiplicatio amicorum quando enim quis extraneam vxorem accipit, iunguntur ſibi quâdam ſpeciali amicitiâ omnes conſanguinei vxoris,

ac ſi eſſent conſanguinei ſui. Quartò, quia cùm naturaliter conſanguineam diligamus, cùm illi adiungitur amor, qui ex coniunctione matrimoniali oriri ſolet, nimis ardor amoris creſcit, qui caſtitati etiam matrimoniali repugnat.

Ex quibus ſequitur incæſtum peccatum eſſe mortale; cùm per illum violetur reuerentia, quæ inter parentes haberi debet.

Eſtque inter peccata luxuriæ grauius fornicatione, & adulterio, ſed minus peccato contra naturam, de quo poſtea opportuniori loco plura dicemus.

Grauitas eius patet ex pœnis, quæ inceſtuoſis infliguntur; Nam præter æternam, quæ iure diuino debetur, iure Ciuili incæſtuoſus incurrit pœnam adulterij. *Doctores in l. ſi adulterium de adulterijs*. Iure regio priuatur dimidiâ parte bonorum ſuorum, eaque fiſco adiudicantur.

Iure canonico incæſtuoſus primò, priuatur facultate contrahendi matrimonium; Eſt enim i icæſtus crimen impediens matrimonium contrahendum cum quacunque muliere, ſed non dirimens contractum, *ſecundum omnes in 4. poſt c. 1. de eo, qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ*: Quod tamen intelligi debet naſci non ex omni incæſtu, *ſicut vult Nauarrus c. 22. nu. 74. circa medium*, ſed ſolùm de incæſtu commiſſo cum affine, *vt habet Syluester verb. matrimonium 7. circa finem*; Quia iura loquuntur ſolùm de incæſtu cum affine, non cum conſanguineâ, & pœnæ non ſunt ampliandæ, & conſequenter neque multiplicanda matrimonij impedimenta, quæ ſunt pœnalia.

Neque

Neque obſtat, quod maius ſit peccatum habere rem cum conſanguineâ, quàm cum affine; Quia ſicut dicit *Richardus in 4.* impedimentum hoc nō eſt inductum præcisè ob grauitatem criminis, ſed ob iniuriam, quæ fit Sacramento per coïtū cum cognatâ coniugis.

Secundò, incæſtuoſus coniugatus non poteſt exigere debitum ab vxore, ſi illam habuit antequam committeret incæſtum, niſi cum illo diſpenſetur, *per c. qui dormiebat 37. q. 2.*

Tertiò, ſi vxor commiſit incæſtum cum conſanguineo mariti de conſenſu mariti, ſi fortè vim paſſa fuit, & non conſenſit, non peccauit, & conſequenter non priuatur iure petendi debitum à marito, quia nemo priuari debet iure ſuo ſine culpâ; Si verò illum admiſit timore etiam cadente in virum conſtantem, peccauit quidem, & commiſit incæſtum, non priuatur tamen iure petendi debitum à marito, quinimo non ſolùm petere poteſt, ſed & ille reddere tenetur in deteſtationem criminis per illum cōmiſſi. Si illum admiſit ſolo leui metu peccauit mortaliter, & priuatur iure petendi debitum, ſi tamen vir petat, poteſt reddere, ſed nō tenetur, quia poteſt illi adulterium illud obijcere; Vir autem debitum petere non poteſt propter affinitatem contractam ſuâ voluntate. *Vide Syluestrū verb. luxuria q. 4.*

Quartò, Marito incæſtuoſo vxor poteſt debitum negare, *per c. transmiſſa, de eo qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ, & ibi Doctores Hoſtienſis, Panor. & alij*: Neque, ſi fortè ſemel vxor reddiderit de-

bitum, propterea debebit cenſeri marito recōciliata, ſicuti dici ſolet de viro adultero, à quô ſi ſemel vxor petierit debitum, videtur ſibi virum reconciliâſſe *c. ſi vir, de adulterijs*; Quia magna diuerſitas eſt: In adulterio enim vir priuatur iure petendi debitum ſolo reſpectu vxoris, cui fecit iniuriam: In incæſtu autem non vxoris tantùm intuitu, ſed etiam propter atrocitatem delicti. Vide Syluestrum *loco ſuperiùs allegato*, & poſt illum de Graffijs *lib. 2. Deciſionum aurearum c. 79. deciſione 5.*

Quintò, Clericus incæſtuoſus perpetuò ab ordine deponitur, *argumento textus c. tua, de pœnis, & Gloſſ. in c. Maximianus diſt. 81. & in c. Lator 2. q. 7.* Quas ſequuntur Doctores *in c. at ſi Clerici §. de iudicijs*, dicentes Clericum pro fornicatione, quæ ſimplex non ſit, ſed maximam habeat deformitatem deponendum fore, ſicut pro adulterio, ſtupro, incæſtu, & ſimilibus, quibus conſentit Nauarrus *c. 27. nu. 248.* De quæſtione hâc latè tractat Couar. *2. p. de matrimonio §. 8. nu. 3.*

Sextò, & poſtremò, incæſtuoſus publicus cū virgine ſacrâ, ſeu moniali profeſſâ incurrit irregularitatem *ſecundum Nauarrum ſuprà*, vbi docet irregularem eum eſſe, qui notorio crimine, enormi, & digno depoſitione notatur, & inter crimina depoſitione digna ponit adulterium, & alia illo maiora, vt ſtuprum virginum, & alia ſimilia. *De quibus latè Panor. in c. at ſi Clerici, & nos ſequenti c. plura dicemus.*

Qvaes-

QVAESTIO SECVNDA.
Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum?

EX præmiſſis ſequitur; Primò, non incurrere hunc caſum illos conſanguineos ſimul dormientes, qui ſe mutuò impudicè tangunt, & polluunt, & alia nefanda committunt, quamuis ſe tangendo, & polluendo peccent mortaliter peccato incæſtus non conſummato, qui nō ſubiacet reſeruationi, & nefanda peccata committendo incurrant ſequentem caſum, *vt ibi explicabimus*; Imò neque incurrunt hunc caſum, ſi, cùm ſint vtriuſque ſexus, ſeſe cognoſcunt; ſi propter ætatis defectum non ſeminent, peccant tamen peccato incæſtus non conſummato, vt patet; Et ſi alter ſeminet, putà quia iam pubertatem attigit, vel vicinus eſt, & malitia ſupplet ætatem, & alter non, quia eſt tantum 8. 9. vel decem annorum, incurrit, vt videtur, ille, qui ſeminat, non ille, vel illa, quæ non ſeminat propter eandem rationem.

Secundò, neque illum, qui cognouit ſororē, vel neptem vxoris ſuæ, quia hoc loco non reſeruatur omnis incæſtus propriè dictus, ſed ſolùm ille, qui committitur inter conſanguineos, peccat tamen mortaliter, & committit adulterium incæſtuoſum propter affinitatem, & ab vxore deinceps debitum exigere non poteſt; Imò illâ mortuâ non poteſt ſecundò nubere ſine diſpenſatione, *per illa, quæ diximus præcedente quæſtione.* Vnde infertur interroganti me nuper, incur-

riſſétne hunc caſum illa, quæ tres fratres ſucceſſiuè admiſiſſet, maritum ſuum, & duos eius fratres, bene fuiſſe reſponſum negatiuè: quia quamuis illa commiſerit incæſtum, grauiſſimèque peccârit propter primum gradum affinitatis, quo duo illi fratres illam contingebant, verum tamen eſt, non commiſiſſe illam incæſtum cum conſanguineis, qualis hîc reſeruatur.

Tertiò, neque illum Clericum, qui, cùm ſit ſacris initiatus, Sacerdos, aut Religioſus, rem habet cum ſolutâ muliere, meretrice, vel viduâ honeſtâ, imò & coniugatâ; quia quamuis ſit incæſtus ſpiritualis, *ſecundum Nauarrum c.16. nu. 3. poſt c. final. 31. q. 1. & Gloſſ. c. virginibus 27. q. 1.* Non eſt tamen cum virgine ſacrâ, ſeu moniali profeſsâ, qualis incæſtus ſpiritualis hîc ſolum reſeruatur: Imò neque incurrit hunc caſum Sacerdos Confeſſarius, qui illam, quam in cõfeſſione audiuit, cognoſcit, quamuis incæſtum ſacrilegum committat cum filiâ ſpirituali ſecundum omnes, & peccet mortaliſſimè, & grauiſſimè, ſecundum antiquos canones ex præſcripto Cæleſtini Papæ puniri ſoleat peregrinatione nimirum 22. annorum, *vt habes tom.1. Conc.fol.157.*

Quartò, è contrario ſequitur incurrere hunc caſum fratres, ſorores, cognatos, cognatas, agnatos, agnatas, qui in iiſdem, vel vicinis locis, vt fieri ſolet commorantes, & familiariter inter ſe conuerſantes, ſcholas frequentantes, ludentes, balneantes, condormientes ſe mutuo cognoſcunt, ſi pubertatem attigerint, *per illa quæ præcedente quæſtione diximus.*

Qvaes-

QVAESTIO TERTIA.

Quæ obſeruanda circa Confeſsionem, & abſolutionem committentis inceſtum cum conſanguineâ, vel virgine ſacrâ, ſiue moniali profeſsâ?

CIRCA Confeſſionem obſeruandæ ſunt aliquot circumſtantiæ:

Prima, gradus conſanguinitatis; Non enim ſufficit dicere in confeſſione, rem habui cum mea conſanguinea, ſed ſpecificandus eſt gradus primus, ſecundus, tertius, quartus. An cum matre rem habuerit, vel cum ſorore, vel cognatâ, agnatâ; quia ſicuti *c. 13. q. 6.* ex ſententia Nauarri diximus, diuerſi gradus cognationis diuerſificant ſpeciem incæſtus.] Quomodo verò confiteri debeat, qui cognouit matrem, vel filiam ſuam abſque reuelatione complicis, ſi ipſe, & ipſa ſint noti Confeſſario, docet Nauarrus *c. 7. nu. 5.*

Secunda, perſonæ: An incæſtuoſus ſit coniugatus, quia ſi exiſtens in cõiugio ſuam affinem, putà ſororem, vel neptem vxoris ſuæ cognouerit, perdit ius petendi debitũ, quod impedimentum, quamuis ſi nôſſet pœnitens, nõ neceſſariò circumſtantiam illam deberet cõfiteri, quia tamen plerique non nôrunt, videbit Confeſſarius prudẽs, an expediat interrogare, & docere. In hoc autem impedimento propter periculum peccati maximum, quod in tali caſu imminet, poteſt Epiſcopus diſpenſare, *ſecundum omnes arg. c. In adoleſcentiâ 33. q. 2. & c. ex literis, de eo, qui cogno-*

nit conſanguineam vxoris ſuæ: Imò ſecundum pleroſque vbi non eſt conſuetudo, vt petatur diſpenſatio, non eſt opus illa.

Tertia, loci ſacri: Nam præterquam, quod incæſtus ſacrilegus aſciſcit ſibi nouam, & ſpecie diſtinctam deformitatem propter locum ſacrum, eſt etiam incurſa excommunicatio Papalis, ſi religioſa virum intromittens admiſit inceſtum intra ſepta monaſterij per Bullam Gregorij XIII. emanatam anno 1575. Idibus Iulij: A quâ an poſſit abſoluere Epiſcopus, maximè ſi caſus ſit occultus, vt eſſe ſolet, poſtea dicemus.

Circa Abſolutionem multa animaduertenda ſunt:

Primum, An ſit aliqua excommunicatio incurſa, vt ab illa primum impendatur abſolutio.

Secundum, An ſatisfecerit; Ad quid teneatur in foro conſcientiæ, ſi illa, cum qua incæſtus commiſſus fuit, virgo fuerit, vel meretrix, vel coniugata, vel religioſa profeſſa, & An ſemper, & quando teneatur, diximus *c. 11. q. 3. diff. 1.* Similiter ad quid teneatur, ſi natæ ſint proles diximus *ibidem q. 3.*

Tertium, An ſemotæ ſint occaſiones propinquæ peccatorum; quod ſingulariter diximus in peccatis carnis obſeruandum, ſed maximè incæſtus propter conſanguineorum, & affinium cohabitationem, quæ in hac parte ſummam ſolet afferre Confeſſarijs difficultatem.

Poſtremum, Si eſt incæſtuoſus publicus, & fortè eſt in ſacris, debet cum illo diſpenſari in irregularitate.

Diffi-

*ifficultas prima: An poſſit abſolui filius familias qui rem
et cum ſuâ conſanguineâ in domo illius habitante, vel
er, qui rem habet cum ſorore, vel cognatus cum cognata?*
ReſoluIt hanc difficultatē Nauarrus *c. 3. nu. 31.*
n poſſe regulariter abſolui; Quia cohabitatio
ium, qui iam inter ſe ſic peccârunt, eſt occa-
propinqua peccati, propter quam Confeſſa-
is credere debet tales ferè ſemper mortaliter
ccaturos, niſi ſeparentur, *iuxta illa, quæ diximus
ecedenti c. q. 6. diff. vnica.*
Dixi *regulariter*, quia poterunt abſolui quatuor
ncurrentibus, quæ ibidem recenſuimus. Con-
mantur iſta, quia hæc quatuor faciunt, ne oc-
ſio ſit voluntaria, nec imputetur in peccatū,
ia quis tueri debet honorem ſuum, officium,
gnitatem, hæreditatem, & alia bona tempo-
lia, quæ per ſeparationem, & ſcandalum inde
ſciturum fortaſſe deperderet; Sicuti in ſimili
on peccat, qui periculo vitam exponit pro de-
nſione amici, vel virtutis. Vide *Viualdum de ab-
lutione, nu 91.*
Sed quid ſi tales, abſolutione impensâ, ite-
um, atque iterum reciderint, poterúntne ſe-
ndò, tertiò, & quartò abſolui? Dicit Nauarrus
oſſe, ſi toties concurrant prædicta quatuor, &
ræcipuè quartum, & tertium, credulitas nimi-
um, quod abſtinebunt in poſterum, & cauſſa
otabilis, propter quam facilè ſeparari non
oſſunt, ſcandalum nimirum, & grauia incom-
noda honoris, fortunarum, & ſimilium.
Dicit, *ſi toties concurrant iſta quatuor*, quia nō eſſent
bſoluendi, ſi vicibus præteritis nulla emen-
 datio,

uit conſanguineam vxoris ſuæ: Imò ſecundum pleroſque vbi non eſt conſuetudo, vt petatur diſpenſatio, non eſt opus illa.

Tertia, loci ſacri: Nam præterquam, quod incæſtus ſacrilegus aſciſcit ſibi nouam, & ſpecie diſtinctam deformitatem propter locum ſacrum, eſt etiam incurſa excommunicatio Papalis, ſi religioſa virum intromittens admiſit incæſtum intra ſepta monaſterij per Bullam Gregorij XIII. emanatam anno 1575. Idibus Iulij: A quâ an poſſit abſoluere Epiſcopus, maximè ſi caſus ſit occultus, vt eſſe ſolet, poſtea dicemus.

Circa Abſolutionem multa animaduertenda ſunt:

Primum, An ſit aliqua excommunicatio incurſa, vt ab illa primum impendatur abſolutio.

Secundum, An ſatisfecerit; Ad quid teneatur in foro conſcientiæ, ſi illa, cum qua incæſtus commiſſus fuit, virgo fuerit, vel meretrix, vel coniugata, vel religioſa profeſſa, & An ſemper, & quando teneatur, diximus *c. 11. q. 3. diff. 1.* Similiter ad quid teneatur, ſi natæ ſint proles diximus *ibidem q. 3.*

Tertium, An ſemotæ ſint occaſiones propinquæ peccatorum; quod ſingulariter diximus in peccatis carnis obſeruandum, ſed maximè incæſtus propter conſanguineorum, & affinium cohabitationem, quæ in hac parte ſummam ſolet afferre Confeſſarijs difficultatem.

Poſtremum, Si eſt incæſtuoſus publicus, & fortè eſt in ſacris, debet cum illo diſpenſari in irregularitate.

Diſſi-

Difficultas prima: An poſsit abſolui filius familias qui rem habet cum ſuâ conſanguineâ in domo illius habitante, vel frater, qui rem habet cum ſorore, vel cognatus cum cognata?

Reſoluit hanc difficultatē Nauarrus *c. 3. nu. 31.* non poſſe regulariter abſolui; Quia cohabitatio talium, qui iam inter ſe ſic peccârunt, eſt occaſio propinqua peccati, propter quam Confeſſarius credere debet tales ferè ſemper mortaliter peccaturos, niſi ſeparentur, *iuxta illa, quæ diximus præcedenti c. q. 6. diff. vnica.*

Dixi *regulariter*, quia poterunt abſolui quatuor concurrentibus, quæ ibidem recenſuimus. Confirmantur iſta, quia hæc quatuor faciunt, ne occaſio ſit voluntaria, nec imputetur in peccatū, quia quis tueri debet honorem ſuum, officium, dignitatem, hæreditatem, & alia bona temporalià, quæ per ſeparationem, & ſcandalum inde naſciturum fortaſſe deperderet; Sicuti in ſimili non peccat, qui periculo vitam exponit pro defenſione amici, vel virtutis. Vide *Viualdum de abſolutione, nu 91.*

Sed quid ſi tales, abſolutione impenſâ, iterum, atque iterum reciderint, poterúntne ſecundò, tertiò, & quartò abſolui? Dicit Nauarrus poſſe, ſi toties concurrant prædicta quatuor, & præcipuè quartum, & tertium, credulitas nimirum, quod abſtinebunt in poſterum, & cauſſa notabilis, propter quam facilè ſeparari non poſſunt, ſcandalum nimirum, & grauia incommoda honoris, fortunarum, & ſimilium.

Dicit, *ſi toties concurrant iſta quatuor*, quia nō eſſent abſoluendi, ſi vicibus præteritis nulla emen-

datio, ne quidem inchoatio eius extitiſſet, neque ſi circumſtantiæ infirmitatis, puſillanimitatis, & magna propenſio eorum ad peccandũ perſuaderent, quod, niſi ſeparentur, nulla conſequetur emendatio.

Eſſet verò ſecundum eundem faciliùs negãda abſolutio cognatis, quàm fratribus, & agnatis quàm cognatis: Quia regulariter in ſeparatione illorum minus immineret honoris, & bonorum periculum. Vide *Nauarrum ſuprà* prudenter multa ad hanc rem vtilia monentem, & cõſulentem.

Difficultas ſecunda: An Epiſcopus vigore capituli, liceat Epiſcopis, ſeſſ. 24. Conc. Trid. *poſſit abſoluere illum, qui ingreſſus ſepta monaſterij cum virgine ſacrâ, ſiue moniali profeſſâ commiſit inceſtum, ſi, vt ferè eſt, caſus ſit occultus?*

Non poteſt, quia licet capitulum præfatum concedat Epiſcopis facultatem abſoluendi ab omnibus caſibus occultis Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ſancta tamen congregatio Cardinalium ad interpretationem Conc. Tridentini deputata, vt plures Româ ſcribunt, cẽſuit vigore illius capituli Epiſcopum non poſſe abſoluere à caſibus occultis reſeruatis Sanctæ Sedi poſt promulgationem Concilij Trident. qualis eſt præſens: Nam quamuis ingrediens ſepta monaſterij Sãctimonialium ſine licentiâ Epiſcopi per Conc. Trid. Seſſ. 26. c. 5. excommunicationem incurrant nemini reſeruatam; Poſt promulgationem tamen Concilij Trident. huiuſmodi excommunicatio eſt Papæ reſeruata, tum quoad moniales admit-

admittentes intra ſepta monaſterij, tum quoad ipſos ingredientes ſine prædictâ licentiâ, vt patet per cõſtitutionem vigeſimam octauam Gregorij XIII. paulò antè allegatam.

CAPVT XV.

De concubitu cõtra naturam, putà Sodomiâ, & eius generis grauioribus criminibus decimo quinto caſu reſeruato.

QVAESTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex peccatum contra naturam, & quæ ſpecies peccati contra naturam hoc loco reſeruantur?

TRIA hîc quæruntur.

Ad primum dicendum, Peccatum cõtra naturam vocari illud, quod committitur non ſolùm contra rationem naturalem, vt fit in alijs ſpeciebus luxuriæ, & cuiuſcumque generis peccatis, ſed etiam contra ordinem, quem natura ad habendam copulam carnalem ordinauit. Ita definit *D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 11.* Ordo à natura inſtitutus ad habẽdam copulam in his conſiſtit; Vt ſit concubitus hominum vtriuſque ſexus ſecundum inſtrumenta naturalia generationis, modo debito, & honeſto; vt fusè explicat *Caietanus circa articulum 11. D. Thomæ iam allegatum.*

Ad

Ad ſecundum dicendum, peccatum contra naturam ſecundum eundem D. Thomam habere ſub ſe quinque ſpecies; Quæ ſpecierum diuerſitas ex eo ſumitur, quod ordo naturalis in copula carnali deficere poteſt quinque modis iuxta quinque; quæ iam diximus requiri ad ordinem naturalem copulæ carnalis; Primò, vt ſit concubitus. Secundò, vt ſit hominum. Tertiò, vt ſit vtriuſque ſexus. Quartò, vt fiat per naturalia vtriuſque ſexus ad generationem inſtrumenta. Quintò, vt fiat ſecundum debitum, & honeſtum modum: Igitur prima ſpecies vocatur Mollities, quæ oritur ex defectu concubitus: eius enim motiuum eſt delectatio venerea extra concubitum, & fit quando homo ſeipſum polluit, ſiue faciat ſolus, ſiue cum alio, ſiue per actum exteriorem operationis, ſiue interiorem, ſemper enim eadem eſt ſpecies, nimirum mollities. Committitur mollities nō ſolùm à viris, ſed à mulieribus, quando per tactus impudicos ſemen prouocant causâ experiendæ delectationis venereæ, ſiue ſemen extra fundāt, ſiue non, eſtque in illis, ſicut & in viris peccatum mortale. *Quæ omnia ſubtiliter, & doctè oſtendit Caietanus 2. 2. q. 100. art. 2.*

Secunda eſt beſtialitas, cui deficit concubitus humanus, cuius motiuum eſt venerea delectatio extra humanam ſpeciem, vt cùm quis beſtiæ commiſcetur; & eſt ſpecies ſpecialiſſima, ita vt in confeſſione non ſit neceſſe dicere cum quâ beſtiâ quis peccauit, quia vnum eſt ſpecie motiuum in omnibus, nimirum venerea delectatio cum

cum re diuerſæ ſpeciei.

Ad hanc ſpeciem pertinet concubitus cum dæmone, quando in aſſumpto corpore is ſit incubus, vel ſuccubus, ſiue aſſumat corpus beſtiæ, ſiue viri, ſiue mulieris, ſiue alterius rei; Quia, quantum eſt ex parte concubitus, ſemper eſt eadem ratio formalis, ſiue idem motiuum, ſcilicet delectatio venerea cum re, quæ in rei veritate eſt diuerſæ ſpeciei ab homine; Quamuis alio reſpectu concubitus cum dæmone differat à beſtialitatis ſpecie, ratione nimirum ſuperſtitionis, ad quam ſpectat ſocietas cum dæmone. Vide Caietanum *circa vndecimum art. D. Thomæ ſuperiùs allegatum in reſponſione ad 3. dubium.*

Tertia ſpecies eſt Sodomia, cui deficit diuerſitas ſexus, cuius motiuum eſt delectatio venerea cum re eiuſdem ſexus, vt ſi vir cum viro, vel mulier cum muliere carnaliter commiſceatur, ſecundum D. Thomam *ſuprà art. 11.* Quicquid dicat Couar. & alij per eum citati, *de ſponſalibus p. 2. c. 7. §. 5. nu. 7.* exiſtimans hoc peccatum etiam à viro cum fæmina poſſe committi: ſed non loquitur propriè, quia confundit Sodomiam cum alia ſpecie, quæ oritur ex parte modi, *ſecundum D. Thomam, & communem.* Nec bene per illum allegatur *c. vſus 3. q. 7.* Quia illud c. hoc non exprimit; Quare retinenda eſt communis opinio cum D. Thomâ.

Quarta ſpecies eſt ſubalterna apud D. Thomam, & retento nomine generis vocatur vitium contra naturam, in qua nimirum non ſeruatur modus naturalis vel quantum ad inſtru-

menta naturalia generationis, vel quantum ad monſtruoſos, & beſtiales modos, ex quibus nõ poteſt ſequi generatio.

Huius ſpeciei ſubalternæ prima ſpecies eſt, luxuria innominata contra naturam, quantum eſt ex parte inſtrumenti naturalis; Quod eſt duplex, *vt notat ibi Caietanus ad dubium quintum*; Vnũ ſolidum ſcilicet membrum genitale, Alterum fluidum ſcilicet ſemen; Ergo quando vir cognoſcit mulierem non in vaſe naturali, eſt peccatum contra naturam ex parte inſtrumenti ſolidi, quia mouet illum delectatio venerea partis non naturalis.

Secunda ſpecies, & ſpecialiſſima eſt luxuria contra naturam ex parte modi innaturalis, vt quum quis mulierem cognoſcit etiam in vaſe naturali, ſed eo modo, vt generatio ſequi non poſſit: Quod ex parte viri poteſt contingere, ſi non ſufficienter accedat ad vas naturale mulieris: Ex parte verò mulieris (quod tamen etiam fieri poteſt ex parte viri) ſi cum viro non ſeminet; Quotieſcũque enim in generatione ſeminum concurſus impeditur eſt peccatũ mortale, & luxuria contra naturam, etiamſi ſeruetur & ſpecies, & ſexus, & inſtrumentum naturale.

Si qui ſint alij modi turpes in concumbendo, vt ſunt plurimi, ex quibus tamen naturaliter poteſt ſequi generatio, vt ſi mulier ſupergrediatur virum, & ſimiles, non ſunt propriè peccata contra naturam, neque pertinent ad quintam ſpeciem, niſi reductiuè, ſicut imperfectum reducitur ad perfectum, & id quod eſt præter natu-

naturam ad id, quod eſt contra naturam, vt diligenter explicat Caietanus *circa articulum prædictũ in reſponſione ad dubium quartum.*

Dubitatur hoc loco à quibuſdam, An peccata contra naturam poſsint concurrere cum peccatis luxuriæ naturalis in eadem ſpecie; Putà, An ſit adulter, vel ſacrilegus, qui cognoſcit coniugatam, vel ſanctimonialem contra naturam? Reſpondendum cum diſtinctione; Si conſideretur in ſpeciebus luxuriæ cõcubitus ipſe naturalis, vel innaturalis, non poſſunt concurrere, quia concubitus naturalis, & cõtra naturã ſunt oppoſita: Si verò conſideretur deformitas ex parte iniuriæ, vel irreuerentiæ, poſſunt concurrere, quia non minùs ſacrilegus eſt, qui contra naturã abutitur ſanctimoniali, quã qui id facit naturaliter, quia vtrobique agitur contra reuerentiam, quæ debetur perſonæ Deo conſecratæ; Sic eſt adulter, qui abutitur coniugata cõtra naturam, & qui naturaliter, quia vtrobique fit iniuria matrimonio. licet ſit maior iniuria, quãdo cõiugata naturaliter cognoſcitur, tũc enim non ſolùm polluitur perſona, quæ eſt alterius ſiue mariti, ſed etiam vas alienum. Eodem modo dicẽdum eſt de ſtupro, & incæſtu, quia vtrobique fit iniuria vel reuerentiæ naturali, vt in incæſtu, vel paternæ cuſtodiæ, vt in ſtupro: Quamuis ſit maior iniuria quando naturaliter cognoſcitur virgo, quàm quando contra naturam, quia fit iniuria ſignaculo virginali, quod peculiariter cuſtodiendum erat; Idem de raptu, quia qui rapit mulierẽ, vt illâ abutatur cõtra naturam,

turam, non minùs peccat, quàm qui hoc facit vt eâ naturaliter abutatur: Verum tamen eſt quod concubitus contra naturam cum coniugatâ non ſit propriè adulterium, & cum cognata non ſit propriè incæſtus, & cum virgine non ſit propriè ſtuprum, ſed reductiuè tantùm. Ratio iſtorum, quia ſpecies luxuriæ naturalis ſignificant propriè deformitatem in concubitu naturali. Hinc eſt, quod ex huiuſmodi circumſtantijs innaturalibus non cōtrahatur affinitas, nec incurrantur pœnæ adulterorum, vel incæſtuoſorum; Propriè tamen videtur eſſe ſacrilegium, & raptus, quia iſta duo peccata non ſignificant deformitatem in certâ materiâ, ſed abſolutè in quacumque; dicitur enim committere ſacrilegium, qui rem habet cum perſonâ Deo conſecratâ ſiue naturaliter, ſiue cōtra naturam; Et dicitur raptor, qui rapit aliquam, vt ea quocumque modo abutatur. *Ita Caiet. quæſt. ſuperiùs allegatâ apud D. Thomam art. 12. in ſolutione ad dubium primum.*

Dubitatur quoque, quænam inter ſpecies luxuriæ ſit grauiſſima, quæ media, quæ infima, quod ad præſentem caſum intelligendum permaximi refert ſcire. Dicendum cum D. Thomâ *2. 2. q. 154. art. 12.* peccata quæ fiunt contra naturam eſſe grauiora peccatis, quæ fiunt ſecundum naturam; Et in ijs, quæ fiunt contra naturam, primum, & grauiſſimum eſſe beſtialitatem, Secundum Sodomiam, Tertium illud in quo non ſeruatur vas debitum, Quartum illud in quo non ſeruatur modus ad generationē ido-

idoneus, Vltimum mollitiem: In ijs verò, quæ fiunt naturaliter, primum locum tenere inceſtum, ſecundum adulterium, tertium ſtuprum, quorum vtrumque aggrauatur violentiâ, & fit raptus; quia raptus virginum, aut vxoris grauius eſt ſimplici ſtupro, aut adulterio: Et rurſus hæc omnia aggrauantur ſacrilegio: Infimum locum tenere ſimplicem fornicationem.

Grauitas peccati Sodomiæ patet ex pœnis, quę pro illo à iure infliguntur;

Primò, Sodomita punitur pœna ignis *lib. 9. C. Theodoſiani tit. 7.*

Secundò, eſt ipſo iure infamis, *l. cùm vir c. de adulterijs, & c. infames. 3. q. 7.* Ex quo ſequitur eum non poſſe teſtamentum condere, quia infamis ipſo iure teſtari prohibetur. *l. Is ciuis §. vltimo ff. de teſtam.*

Tertiò, vxor Sodomitæ poteſt petere matrimonij ſeparationem quoad thorum, *Syluester verb. diuortium poſt c. omnes accuſationes 32. q. 7.* quod verum eſt etiam ſi tantùm fuerit tentata à marito ad vſum contra naturam, *ſecundum practicam criminalem Lopes c. 86.* Nota hoc loco nos accipere quartam ſpeciem peccati contra naturam pro Sodomia abutendo nomine, ſicut facit Couar. & alij per eum citati, *de ſponſalibus p. c. 7. §. 5. nu. 6. & 7.*

Quartò, Clericus ſodomita iure veteri deponitur, ac in monaſterium detruditur. *c. clerici de exceſſibus Prælatorum*; Iure nouo, per conſtitutionem Pij V. anno 1586. emanatam omni priuilegio clericali, officio, beneficio, dignitate pri-

uatus degradatur, & brachio ſæculari traditur. Huius conſtitutionis tenorem quoad hanc pœnam habes apud Nauarrum *c. 27. nu. 249.*

Quintò, ſi ſit notorius Sodomita, eſt irregularis, ſicut & mnis ille, qui enormi, & depoſitione digno crimine publicè notatus eſt, *ſecundũ omnes.* Quæ crimina dicantur enormia tradunt Doctores Canoniſtæ in *c. at ſi clerici, de iudicijs.* Et Nauarrus *loco ſuperiùs allegato.*

Diſputatur etiam à Doctoribus, An occultus Sodomita ſit irregularis. Multi dicunt eſſe, vt Hoſtienſis, Archidiaconus, Ioannes Andreæ, quos ſequitur Couar. *p. 1. de homicidio §. 1. nu. 6.* propter criminis enormitatem; Meliùs videtur dicendum cum Nauarro *c. 27. nu. 249.* non eſſe. Ratio potiſſima eius eſt, quia in iure non exprimitur; nunquam verò incurritur irregularitas ſecũdum communem, niſi in caſibus à iure expreſſis, *per c. Is qui. de ſent. excommunicationis in 6.* Enormitas autem ſola, in quâ ipſe Couar. & alij ſe fundant, non ſufficit ad inducendam irregullaritatem; Quia, vt bene notat Nauarrus, hæreſis, odium Dei, peccata ſunt naturâ ſuâ grauiora Sodomiâ, ex quibus tamẽ, ſi occulta ſunt, ſecundum ipſummet Couar. & alios non naſcitur irregularitas.

Ad tertium dicendum reſeruari ſolùm duas ſpecies peccati contra naturam ſecundam, & tertiam, beſtialitatem, & Sodomiam.

Non reſeruatur prima Mollities, quia ſolùm reſeruatur illa, quæ fit cum concubitu; ſic enim habet reſeruatio, *Concubitus contra naturam, putà*

Sodo-

Sodomia, &c.

Non reſeruatur quarta, neque quinta, quia ſolùm reſeruantur illæ, quæ ſunt grauiores Sodomia, vt verba quoque reſeruationis indicant, *Sodomia* (inquit) *& alia eius generis grauiora crimina*, qualia non ſunt illæ, quia grauiùs læditur ordo naturæ quando abutitur quis ſexu, & inſtrumẽto, vt ſi vir viro, & mulier muliere abutatur, quod fit in Sodomia, quàm ſi quis abutatur ſolùm inſtrumento debito, putà ſi vir cognoſcat mulierem in vaſe non debito.

QVAESTIO SECVNDA.

Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum?

EX præmiſſis ſequitur; Primò, non incurrere hunc caſum illum, qui procurat pollutionem, quamuis peccet contra naturam per mollitiem, idque mortaliter, per illud 2. Corinth. c. 6. *Molles regnum Dei non poſſidebunt*: Quod verum eſt, etiamſi, operâ alterius adhibitâ, per tactus, aut alios nefandos modos illam procuret; licet grauiùs peccet propter participationem in alterius peccato; Imò etiam verum erit, ſi dum ſe polluit incidat perſonæ alicuius, etiam eiuſdem ſexus memoria, & voluntas cognoſcendi illam contra naturam; Quia voluntas concumbendi contra naturam non eſt concubitus contra naturam, qui hîc reſeruatur, vt patet.

Secundò, neque maritum illum, qui vxorem ſuam cognoſcit extra vas naturale, vel in illo quidem, ſed tali modô, quô ſemen ſuſcipi, aut

retineri non poſſit, quamuis non peccet mortaliter, *ſecundum omnes*; Quia quamuis ſit concubitus contra naturam, non eſt tamen propriè loquendo Sodomia, vt antè ex D. Thomâ oſtendimus, neque peccatum contra naturam illâ grauius, vt ex dictis ſimiliter manifeſtum eſt.

Tertiò, neque vxorem illam, quæ in copulâ carnali marito incumbit, quamuis grauiter peccet, dignaque ſit grauiſſima reprehenſione, vtpote quæ ſit peior bruto animali, quod in huiuſmodi actu ordinem, & ſitum à naturâ inſtitutũ ſeruat: Non peccat tamen mortaliter ſecundum pleroſque, D. Thomam *in 4. diſt. 31.* poſt Albertum magnum præceptorem ſuum, qui *in 4. ſent.* dicit, nihil eorum, quæ facit maritus cum vxore, vel vxor cum marito, ſeruato vaſe debito, ſecundum ſe eſſe mortale: Quod noto, ne Confeſſarij in ſimilibus inquirendis præter neceſſitatem ſint anxij.

Quartò, è contrario ſequitur incurrere hunc caſum illum maſculum, qui inſtrumento quidem, ad generationem apto cognoſcit alium maſculum, ſed in vaſe indebito; Similiter & mulierem illam, quæ inſtrumento ad generationem inepto cognoſcit aliam mulierem, licet in vaſe debito, quia talis concubitus propriè eſt ſodomiticus, qui hîc reſeruatur.

Quintò, & poſtremò, & illos, qui cum canibus, vaccis, dæmonibus incubis, aut ſuccubis rem habent, quia commitunt peccatum contra naturam grauius ſodomia, *per illa, quæ præcedente quæſtione diximus*, quod etiam hoc loco reſeruatur,

vt

vt patet ex verbis ipſius reſeruationis. De incubis, & ſuccubis vide, quæ diximus *ſuprà c. 7. de maleficio diff. 3.*

QVAESTIO TERTIA.

Quæ ſunt obſeruanda circa Confeßionem, & Abſolutionem Sodomitarum, & huiuſmodi peccantium contra naturā.

CIRCA Confeſſionem aduertendum; primò, An, ex ſolâ paſſione, an verò ex hæreſi, aut apoſtaſiâ à fide in hæc crimina inciderint; quia ſi ex hæreſi, aut apoſtaſiâ ſunt excommunicati. Bene ſi quidem notat Sonnius Doctor Louanienſis celeberrimus *l. 3. demonſtrationum Chriſtianæ religionis tract. 7. c. 6.* homines non ſic à Deo derelinqui, vt in tam abominabilia crimina incidant, niſi priùs in perfidiâ cæperint apoſtatare à Deo, vt ſic ſentiant, ſicque viuant, quaſi non ſit Deus: Quod inſinuat D. Paulus *c. 2. ad Rom.* loquens de infidelibus, *Propter quod* (inquit) *tradidit illos Deus in deſiderium cordis eorum, & in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis.* Et paulò poſt, *Tradidit illos Deus in paßiones ignominiæ, &c.*

Secundò obſeruandum, an dum maſculus maſculum cognoſcebat contra naturam, aut maſculus, vel fœmina dæmonem incubum, vel ſuccubum, erat voluntas cognoſcendi mulierem, vel virum, & qualem, an coniugatum, cognatum, virginem, religioſum, quia ſunt circumſtantiæ mutantes ſpeciem, & neceſſariò confitendæ: Non erit tamen neceſſarium in confeſ-

ſione explicare cum quali dæmone, vel quali beſtiâ rem quis habuerit; Quia beſtialitas eſt ſpecies ſpecialiſſima, infra quam in confeſſione non eſt neceſſarium deſcendere.

Circa abſolutionem videndum, vt primò abſoluantur ab excommunicatione, ſi quæ ſubſit.

Secundò, obſeruandum, an ſublata ſit occaſio propinqua peccati; quia cum illâ non ſunt capaces abſolutionis, niſi fortè quatuor concurrentibus, de quibus antè ex ſententia Nauarri diximus.

Quare ſi viri abſoluendi ſunt, qui pueris abutuntur contra naturam, & in eiſdem fortè ædibus commorantur, ex vna parte cauẽdum erit, ne nimis facilè impendatur abſolutio; ex altera parte quàm diligentiſſimè videndum, ne Confeſſarius violati ſigilli reus accuſetur. Similiter, ſi abſoluendi ſunt malefici, vel maleficæ, qui cum dæmonibus incubis, vel ſuccubis negotiũ habent, hæc eadem aduertenda erunt, & alia, quæ ſuperiùs *c. 7. de maleficio* annotauimus.

Difficultas vnica, ſed grauiſſima: An poſſit abſolui clericus occultus Sodomita, qui beneficium, vel dignitatem, vel officium Eccleſiaſticum habet abſque dimiſſione? Ratio difficultatis eſt, quia diximus in prima quæſtione, per conſtitutionem nouam Pij V. ſodomitã priuari omni beneficio, officio, dignitate.

Dicendum; Primò dictam conſtitutionem loqui de clerico exercente ſodomiam. Quare procul dubio poterit abſolui abſque dimiſſione clericus ille, qui ſemel, atque iterum inciderit in ſodomiam, & pœnitet incidiſſe, quia talis pro-

priè

priè loquendo, non poteſt dici exercere ſodomiam.

Secundò, exercentem ſodomiam, hoc eſt, qui ſic labitur in præfatum crimen, vt boni viri arbitrio cenſeri debeat exercitor eius, poſſe abſolui etiam retento beneficio, officio, dignitate, interim dum per Confeſſarium, vel alium virum ſecretum procuratur noua prouiſio beneficij, dignitatis, officij, &c.

Tertiò, talem videri poſſe abſolui abſque noua prouiſione, aut dimiſſione, ſi opinionem habeat ſe non obligari in foro conſcientiæ ad ferendam pœnam latam per illam extrauagātem ante ſententiam Iudicis declaratoriam. Ratio eſt: quia opinio talis eſt probabilis, & innititur opinioni grauium Doctorum, Sylueſtri *verb. pœna §. 25. & verb. Aſſaſinus §. 4.* & Soti *lib. 1. de iuſt. & iure q. 6. art. 6.* Iam autem certum eſt, *ſecundum omnes*, quòd ſequens opinionem probabilem non peccat. Ergo abſolui poteſt.

Poſtremò, quia etiam ſecundum opinionem contrariam, quam alibi niſi fuimus probare eſſe probabiliorem, dubitari poteſt, An ſicut in foro exteriori, ita etiam in foro interiori conſcientiæ recepta ſit extrauagans (*de quâ dubitatione vide Nauarrum c. 27. n. 25.*) Quia ſi non ſit recepta, prout apparet, poterit talis Sodomita, ſi ſit contritus etiam retento beneficio, officio, dignitate, abſolui.

CAPVT XVI.

De falſitate circa monetam decimoſexto caſu reſeruato.

Qvaestio prima.
Vnde moneta, & quid falſitas circa monetam?

Moneta, ſi vocabulum aſpicias, ſecundum pleroſque dicitur à monendo, quia certarum figurarum impreſſione admonet nos ex vnâ parte Principis cudentis monetam, ex alterâ parte ipſius pretij, ſiue valoris; vt & appareat ne audeamus ſine Principis ſcitu, & permiſſu monetam cudere, transformare, corradere, extenuare, vel eius pretium, ſiue iuſtum valorem immutare. *Secundum Clingium in locis communibus c. 91. de falſo numiſmate*, moneta admonet, ne fraudem in metallo, pondere, formâ (in quibus tribus tota ratio monetæ conſiſtit) committamus. Hinc ſecundum eundem, in monetis Chriſtianorum valdè aptè ex vnâ parte figura Crucis, vel Saluatoris, vel Michaëlis Archangeli, vel alterius alicuius Sancti depingitur; vt nimirum ſicut Chriſtus eſt veritas, & iuſtitia, & Sancti veritatis, & iuſtitiæ teſtes, ſic moneta noſtra vera ſit, & iuſta in ſubſtantiâ, pondere & formâ.

Si rem ipſam attendas, moneta ex neceſſitate ortum habet ſecundum Philoſophum *lib. 2. Ethicor.*

cor. c. 9. Nam cùm res inter ſeſe facilè commutari non poſſint, propter diſtantiam locorum, & difficilem eorum tranſportationem: homines verò ſine earum permutatione viuere non poſſint, cùm non omnes omnia habeãt, neceſſe fuit inuenire medium quantitate paruum, vt facilè de loco ad locum transferatur, & in ſe pretioſum, vt cum rebus etiam maximis iuſtè commutari poſſit, & charactere Principis inſignitum, ne ſi quilibet monetam cuderet, ſubſtantia, pondus, forma monetæ nimium variarentur, & conſequenter facillimè falſificarentur.

Falſitas hoc loco eſt mutatio veritatis cum dolo, & iacturâ.

Quare vt falſarius monetæ quis dicatur, tria requiruntur; Primùm, vt immutet veritatem, ſiue circa ipſius monetæ ſubſtantiam, ſiue pondus, ſiue formam. Secũdùm, vt hoc fiat dolosè. Tertiùm, cum iacturâ, ſiue detrimento alicuius. Quæ licet colligere ex *c. quanto, de iureiurando, & Syluestro verb. Falſarius n. 1. 7. 8. 9. 10.*

Ex quibus ſequitur falſare monetam ſuo genere peccatum eſſe mortale: cum obligatione reſtituendi, & prohiberi præcepto 7. Decalogi, *Non furtum facies*. Eſt enim ablatio rei alienæ, inuito Domino. Quod declaratur, & cõfirmatur. Nam v. G. vendens mercem exigit pro pretio iuſtam monetam in ſubſtantiâ, pondere, & formâ, mercem alioquin non expoſiturus. Si igitur quis obtrudat monetã falſam, mercem eius ſurripit, furtum igitur committit.

Quod ſit ſuo genere mortale, patet; Primò,

quia charitatem proximi lædit, & mutuam ſocietatem, amoremque iure naturali præceptum. Deinde quia eſt directè contra iuſtitiam eodem iure præceptam; violare autem iuſtitiam, & charitatem genere ſuo mortale eſt.

Hoc ipſum patet ex pœnis, quæ tum iure canonico, tum ciuili falſarijs monetarum infliguntur.

Iure ciuili, qui ſub imagine Imperatoris, ipſiusúe Imperatoris nomine falſam monetam percuſſerit, igni comburendus eſt, *L.2.C.de Falſa*, ſecundum communem eius interpretationem, quam ibi tradunt *Gloſſ. Cynus & alij*; omniaque eius bona publicantur, vt eâdem lege conſtitutum eſt. Si quis crimen hoc commiſerit circa numiſmata Principis inferioris Imperatore, punitur pœna capitali. *L.1. de falsâ monetâ* ſecundum interpretationem Couar. *in collatione veterum numiſmatum. c. 8.nu. 3. & 4.*

Iure canonico, in extrauagante Ioannis 21. vt refert Syluester *verb. falſarius nu. 7.* excommunicantur falſarij in regno Francorum. Nouiſſimè Pius V. in extrauaganti, quæ incipit, *Cùm nihil maius*, vult extremo ſupplicio puniri cudentem falſam monetam, non ſolum auream, ſed etiam argenteam, & ita ab omnibus, quibus officium iudicis commiſſum eſt, in ſtatu Eccleſiaſtico, vult iudicari, prohibens ſub pœnâ excommunicationis, ne quiſquam Dominorum temporalium ſic iudicantes impedire, inquietare, aut moleſtare audeat.

Quod hoc crimen obligationem reſtituendi

ſecum

ſecum annexam habeat, manifeſtum eſt; quia hoc reſtitutionis proprium eſt, vt læſionem, & iniuriam illatam reſarciat; ſed falſarij omnes, ſiue cudentes falſam monetam, ſiue iuſtam extenuantes, circumcidentes iniuriam Principi, proximo, & reip. inferunt, vt ex ſuperioribus conſtare poteſt, & ſtatim fiet manifeſtum: ergo reſtitutioni ſunt obnoxij.

Difficultas prima: An qui monetam aliàs iuſtam in ſubſtantia, & pondere, priuatâ auctoritate cudit ſub charactere Principis teneatur ad reſtitutionem?

Nauarrus putat non teneri *c. 17. nu. 167.* Idem videtur docere Syluester *verb. falſarius nu. 9.*

Dicendũ probabilius obnoxiũ eſſe reſtitutioni, primò quidem Principi, & monetario, quibus iniuriam infert, nam quò falſarius talis plus de monetâ adulterinâ exponit, eò minus Princeps, & monetarius ſuam veram exponunt; vnde ſit euidens Principi & monetario lucrum auferri, idque fraude, & mendacio. Sicut ergo ſi quis libros imprimeret ſecretò ſine licẽtia eius, qui priuilegiũ habet, reſtituere teneretur arbitrio boni viri, quantum videlicet ea fraude impeditus eſt priuilegiatus à vendendo, & lucrando: ita cùm Princeps, & Monetarius ſoli ius habeant cudendi monetam, eaque via lucrum capiendi, tenetur impediens iniuſtus veriſimile illud lucrum arbitrio boni viri reſtituere. Secundò, tenetur ſubinde reſtituere perſonis etiam priuatis; nam talis moneta non eſt vera moneta, ſed ſimplex aurum, aut argentum non habẽs aliũ valorẽ, quàm ponderis, ſicut quoduis aliud aurum,

aurum, aut argentum: qui igitur illam exponit pro pretio auri ſignati à Principe, quod eſt maius, illud maius fraude proximo eripit, ſaltem illo caſu adulterina moneta cognoſcitur, &, ne vlteriùs exponatur, prohibetur.

Difficultas ſecunda: An cudens monetam minoris iuſto pondere, quia priùs cuderat iuſto exuberantioris teneatur ad reſtitutionem?

Sylueſter *ſuprà* putat teneri, ex Hoſtienſi, Ioanne Andreæ, Innocentio, & alijs. Quod verum eſt, niſi fortè idem, qui monetam minoris ponderis recepit, recepiſſet & exuberantis, hoc enim caſu abeſt iniuria. Deberet tamen recipiēs monetam minoris ponderis moneri, ne illam expendat in alienum damnum, ſed potiùs tantum de pretio remittat, quantum deeſt de iuſto pondere.

Difficultas tertia: An Princeps, vel Reſpub. teneatur ad reſtitutionem, ſi maiorem imponat monetis valorem, quàm ſit pondus, & materia?

Quidam dicunt teneri, inter quos videtur eſſe Gloſſa *in l. de falsâ monetâ*, & Bartholus *in l. 2. §. 1. ff. ſi certum petatur.* Ratio eorum eſt: quia ſecundum illos, tantus debet eſſe ſimpliciter monetæ valor; & non maior, quantus erat priùs valor materiæ.

Alij dicunt non teneri, quod eſt longè probabilius. Sic *Innocentius, & communiter Doctores Canoniſtæ in c. quando, de iureiurando.* Ratio iſtorum eſt; quia Princeps ſupra valorē materiæ poteſt æſtimare expenſas ſuas, & laborem; nemo enim tenetur expenſis ſuis monetam cudere.

Imò

Imò ſecundum eundem Innocentium poteſt Princeps vltra pondus, expenſas, & laborem, aliquid inſuper accipere lucri, modò illud ſit modicum. Cuius fortè ratio poteſt aſſignari talis: quia quod hoc metallum fiat res alterius ordinis, videlicet moneta valore excedens metallum ipſum rude, & informe, & per quam res appretiantur, & commutantur, imò omnia cõparantur, quod ſignificat illud vulgatum, *Pecuniæ obediunt omnia*, hoc habet ex ſigno publico Principis; poterit ergo Princeps etiam ratione illius dignitatis, quam moneta ab ipſo habet, aliquid accipere.

Neque neceſſe eſt limitare hanc doctrinam, vt vera ſit ſolùm, ſi moneta nõ expendatur, & ſpargatur extra territoriũ ipſius Principis, quod videtur velle *Panor. in dictum c. quanto, de iureiurando*; Quia ratio, quâ ad id aſſerendum mouetur, quia nimirum externis fieret iniuria, falſa eſt: nam talem monetam exuberantioris, vt apparet valoris, nemo tenetur recipere pro illo, vel illo pretio, ſed poteſt Princeps vicinus, ſi fortè exceſſus videatur, reducere ad moderatius pretium, & non aliter monetam illam recipere, vel exponere in ſuo territorio. Deinde, non eſt intentio Principis cudentis monetam, vt extra ſuum territorium deferatur, quod ex eo apparet, quia frequentiſſimè condunt illi leges, ne pecunia extra territorium illorum deportetur.

Difficultas quarta: An falſarius monetæ, vel eius hæres teneatur reſtituere Principi, vel alijs damnum paſſis, ſi à Principe comprehenſus, vt frequentiùs fieri ſolet, extremo

afficia-

afficiatur ſupplicio?

Videtur teneri propter rationem in ſimili allatam *ſuprà c.3.* Quia nimirum reſtitutio eſt iuris naturalis, ad quam falſarius tenebatur etiam, antequam extremo ſupplicio afficeretur, & per illud ſupplicium non ſatisfacit partibus, quas in bonis fortunæ læſit, ſed ſolùm ſcandalo, quod reip. intulit.

Quod quidem veriſſimum eſt in foro conſcientiæ: ſed in foro exteriori non videtur habere locum ſaltem in his partibus, in quibus, legibus municipalibus Qui luit in corpore, non luit in ære.

QVAESTIO SECVNDA.

Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum?

EX præmiſſis ſequitur, primò non incurrere hunc caſum Principes, vel eorum nummularios, qui reprobant monetam iuſtam, vt eam vili aliquo pretio emant, & inde aliam fabricent, ei nihilominus priorem valorem conſtituendo. Ratio eſt, quia hîc nulla fit falſitas circa materiam, pondus, formam ipſius monetæ, ſed fraus forte fit in mutatione pretij; Quod ſi fiat, peccatum eſt mortale ſuo genere, ſed nõ reſeruatum hoc loco, vt patet.

Dixi *fortè*, quia Principes poſſunt mutare, alterare, & reformare monetam, & ſubinde eius pretium multis caſibus abſque peccato. Primò, ſi quidam cudiſſent monetam falſam, quæ à populo à verâ diſcerni non poſſet, poteſt, imò verò debet Princeps mutare monetam, & veram cudere,

dere, ſeruato ſemper iuſto valore, ſubſtantiâ, & pōdere, ſic vt diſcerni poſſit ab introductâ monetâ falsâ, per quam populus decipitur. Secundò, ſi antiqua moneta nimiâ vetuſtate in ſubſtātiâ, & pondere eſſet imminuta per continuam attrectationem, illo caſu poteſt, & debet Princeps monetam nouam cudere, & ſimul prohibere curſum prioris ſic, vt dictū eſt, diminutæ. Tertiò, ſi materia cudendæ monetæ non poſſit haberi tali pretio, quô priùs ſolita eſt haberi, tunc debet mutari moneta, vel conſtituendo alium valorem, vel fabricando nouam minoris ponderis, & æqualis pretij cum priore. v. g. ſi vncia argenti nō monetati aliqua ex cauſſa valeret nunc quinquaginta ſtuferos, quæ priùs valebat tantùm quadraginta, eo caſu dalerus habens vnam vnciam mutādus eſſet in valore, ita vt ſi priùs tātùm valuit 40. ſtuferos, valeat poſtmodum 50. Aut cudenda eſſet noua moneta argentea minoris quidem ponderis, quæ tamen valeret 40. ſtuferos; & ſic in reliquis monetis.

Secundò, neque illos, qui monetas exuberantis ponderis circumcidunt, aut acribus aquis, ſiue, vt loquuntur, viuis extenuant, ſi modò iuſtum pondus relinquant. Ratio eſt clara, quia neque materiam, neque pondus, neque formā falſificant, imò verò, vt apparet, iuſtum pōdus reſtituunt. Peccant tamen grauiter, quia priuata auctoritate vſurpant ſibi officium Principis, aut monetarij publici: illius enim eſt exuberantem monetam ad iuſtum pondus reducere; teneanturque tales ipſi Principi, aut eius moneta:io

tariò ad reſtitutionem.

Tertiò, neque illos, qui recipiunt falſam monetam pro verâ, & ſcienter alteri obtrudunt; quia licet iniuriam faciant proximo, & peccēt mortaliter, ſi ſumma ſit notabilis, non poſſunt tamen dici falſarij, quia nihil mutant de veritate materiæ, formæ, ponderis.

Non excuſat illos à peccato, quod pro verâ ab alijs acceperint, quia illorū error alteri nocere non debet.

Dixi ſuprà, *ſcienter alteri obtrudunt*; quia, durante ignorantiâ, excuſantur etiam à peccato. *Nauar. c. 17. nu. 167.*

Quartò, neque illos mercatores, qui monetā exponunt maiori pretio, quàm receperunt, quāuis peccent contra ſeptimum præceptum decalogi, *Non furtum facies*, cum obligatione reſtituendi; faciunt enim iniuriam Principi, cuius eſt monetæ pretium pro rerum, & circunſtantiarum exigentiâ augere, vel minuere, etiam proximo, qui fortè minori pretio illam exponere debebit, quàm ab eis accepit. Tamen quia neque materiam, neque formam, neque pondus mutant, non poſſunt dici falſarij; imò non peccant, ſi in vno loco pecuniam viliori pretio currentem colligant, vt ad alium locum transferāt, in quo maiori pretio exponitur, quia nemini faciunt iniuriam. Licet enim vnicuique ex ſua induſtria ditiorem fieri, *per ea, quæ habet Sylueſter ſuprà n. 8.*

Quintò, è contrario ſequitur incurrere hunc caſum illos nummularios, & quoſcūque alios, qui

qui cudendo monetam vnum metallum ſubſtituunt pro alio, aut iuſtum metallo pondus ſubtrahunt, niſi hoc fiat auctoritate Principis, & iuſtâ aliquâ de cauſsâ: quia tunc nulli fit iniuria, *per illa, quæ priùs diximus.*

Sextò, & illos, qui ſine ſcitu Principis monetam cudunt, etiamſi illa ſit iuſta in ſubſtantiâ, & pondere, imò & charactere Principis ſignata; quia character talis eſt falſus, ſignificat enim monetam iuſſu, & auctoritate Principis cuſam, quod eſt falſum: Quâ fraude tales homines ſubinde & Principis, & reip. theſauros exhauriunt.

Septimò, & illos Alchimiſtas, qui auro, aut argento ſophiſticato nummos etiam iuſſu Principis cudunt, quos pro iuſtis, & legalibus exponunt.

Dixi *ſophiſticato*; quia non incurrerent, ſi verum aurum, aut argentum per alchimiam facerent: Quod impoſſibile eſſe, ſimpliciter loquendo, docet D. Thom. *in 2. ſent. diſt. 7. q. 4. art. 1.* Quia ſecundum illum forma ſubſtantialis auri non poteſt introduci per calorem ignis, quo vtuntur Alchimiſtæ, ſed tantùm per calorem ſolis in loco determinato; vbi viget virtus naturalis. Verùm ſecundum eundem D. Thomam *2. 2. q. 77. art. 2. ad 1.* non eſt impoſſibile ſimpliciter, ſed ſolùm moraliter loquendo: quia licet Alchimiſtæ (inquit) poſſint verum aurum facere, tamen quia actiua, & paſſiua, quæ ad hoc neceſſaria ſunt communiter inuenire non poſſunt, vix ſunt aliqui veri Alchimiſtæ, hoc eſt, callentes veram alchimiam.

Qvaestio tertia.

Quæ ſunt obſeruanda circa confeßionem, & abſolutionem falſificantis monetam?

Circa Confeſſionem aduertendum: Primò Nummularium, qui multis annis vacauit cudẽdis quibuſcumque adulterinis monetis, aureis, argenteis, circumcidendis etiam probis, & legalibus, aut acribus aquis extenuandis, poſſe confiteri vno verbo, dicendo, ſe talem ſtatum tot annis exercuiſſe, inſtar meretricis, quæ multis annis corpus ſuum cuiuſcunque generis hominibus venale expoſuit, cui ſufficit dicere ſe corpus ſuum ſic, & tanto tempore omnibus indifferẽter expoſuiſſe, per illa, quæ doctè, & prudenter monet *Nauarrus c.6.n 5.* Et ante illum *Caietanus 1. tom. opuſculorum opuſc. 18. q. 3.*

Secũdò obſeruandum, quot ſocios in hoc crimine allexit propter ſcandalum illis datum.

Circa abſolutionem obſeruandum non poſſe abſolui niſi præmiſsâ reſtitutione, quæ inprimis fieri debet Principi, vel eius Nummulario, maximè ſi notabilem ſummam monetarum falſificauerit, & hoc quidem iuxta arbitrium boni viri, conſiderando quantum ipſi Principi, & quãtum Nummulario eius lucrum auferre potuerit, *per illa, quæ diximus. 1. q. diff. 1.*

Si inſuper alijs faciẽda ſit reſtitutio, & incertum ſit quibus, & proinde veniat faciẽda pauperibus, *per illa, quæ docent Doctores in c. cùm tu, de vſuris*, poterit ipſe falſarius ſi velit per ſe reſtitutionem facere, neque ad hoc opus eſt adhibere Epiſcopũ, vel Cõfeſſariũ, vt docẽt *Syluest. verb. reſtitutio 8. n. 6.*

n.6. Et Nauar. c.17. n.92. & latiùs in c.cùm ſit de Iudaiſ.

Quinimò ſi pauper eſt, poterit per Epiſcopũ, vel Confeſſarium tanquam pauperi vel totum, vel pars donari.

Neque erit neceſſe ei iniungere alia agenda pro animabus eorum, quibus reſtitutio fieri debuiſſet, quàm iniungi neceſſe eſt alijs pauperibus, *per illa, quæ Nauarrus ſuprà allegat.*

CAPVT XVII.

De falſitate circa litteras alicuius Prælati inferioris Papâ decimo-ſeptimo caſu reſeruato.

QVAESTIO PRIMA.

Quid falſitas hoc loco; & quæ falſitas circa litteras commiſſa hoc loco reſeruatur?

FALSITAS à qua quis falſarius, & crimen falſi commiſiſſe dicitur, eſt immutatio veritatis cum dolo, & iniuriâ, *vt ex Hoſtienſi, & alijs Canoniſtis ſuperiore caſu oſtendimus.*

Crimen igitur falſitatis circa litteras dicitur committere, qui doloſè veritatem illarum immutat cum alterius iniuriâ.

Et fit multis modis addendo, demendo, mutando, radendo, lacerãdo, combũrendo, celãdo, nouas effigendo, ſigillum adulterando, & alijs.

Modi falſificandi communiores habentur *in c. licet ad regimen, de crimine falſi:* Et comprehendũtur per gloſſam dicti c. relatis:

Forma, ſtylus, filum, membrana, litura, ſigillum,
Hæc ſex falſata dant ſcripta valere puſillum.

Non falſat litteras propriè, qui vtitur litteris falſis; quia ſunt diuerſa falſare, & vti falſis.

Neque qui corrigit illas, ſi ſit aliquis error in illis manifeſtus; quia non falſificat, ſed potiùs verificat. Quod proculdubio verum eſt in foro conſcientiæ, in quo ſolius veritatis habetur ratio, non ita in foro exteriori, in quo locus eſt præſumptionibus.

Neque qui punctum inordinatè appoſitum radit, aut contra punctum omiſſum pro clariori diſtinctione & intelligentiâ adijcit: Secùs ſi punctum, aut litteram vnam apponit aut tollit, per quæ ſenſus verborum immutetur: quia hoc propriè eſt falſare, ſenſum earum quocumque modo immutare, quod fieri poteſt vel ſolius cõmatis adiectione.

Ad alteram quæſtionis partem dicendum, reſeruari ſolùm falſitatem circa literas Prælati inferioris Papâ commiſſam.

Prælatus communiter loquendo dicitur omnis habens curam animarum; propriè verò is ſolùm, qui habet iuriſdictionem in foro exteriori, *ſecundum Innocentium in c. firmiter de ſummâ Trinitate, & in c. quoniam, vt lite non conteſtatâ, relatum à Sylueſtro verb. Prælatus n. 1.* Secundum quos ad Prælatum propriè dictum requiruntur quatuor. Primùm, vt eligatur ab aliquo collegio, vel vniuerſitate, confirmetur per ſuperiorem, per quem accipit iuriſdictionem fori exterioris; vel certè vt præficiatur quocumque modo alicui collegio, ſeu vniuerſitati per ſuperiorem habentem legitimã ad hoc poteſtatem, *per c. nihilo de electione.* Secundùm,

dùm, quod collegium, vel vniuerſitas, quæ ipſum eligit, ſit clericorum, vel religioſorum: quia alioquin non poſſet dare iuriſdictionem in perſonas eccleſiaſticas. Tertiùm, quod electus ſit clericus; quia aliàs iuriſdictio ſpiritualis in eum non caderet, *per c. cauſſam, de reſcriptis*. Quartùm, quod habeat iuriſdictionem ordinariam in foro contentioſo excõmunicandi, & alias per cenſuras Eccleſiaſticas ſubditos coërcendi.

Summus Pontifex eſt omnium Prælatorum ſummus, in quo tamquam in fonte omnis iuriſdictio Eccleſiaſtica reſidet. Prælati inferiores ſunt Patriarchæ, ſiue Primates, Archiepiſcopi, qui & Metropolitani nominantur, Epiſcopi, Magiſtri generales, Priores, Prouinciales, Abbates, & Priores conuentuales

Et hoc quidem de iure communi, & apud omnes. Apud nos verò ſunt etiam Prælati Archidiaconi, cùm habeant iuriſdictionem ordinariam in foro exteriori coërcendi ſubditos per pœnas, & cenſuras Eccleſiaſticas, vt patet ex generali concordiâ inter Reuerendiſſimum Epiſcopum Leodienſem, & ſuos Archidiaconos, quę habetur *in antiquis ſtatutis Synodalibus Eccleſiæ Leodienſis ſub finem*. Quibus, vt apparet, annumerandi ſunt & Decani primarij, & ſecundarij cleri Leodienſis propter eandem rationem.

Ex quibus omnibus patet falſare litteras maximè Prælatorum peccatum eſſe mortale ſuo genere. Quod patet; Primò, quia eſt actus naturâ ſuâ pernicioſus; Dico *naturâ ſuâ*; quia propter imperfectionem actus, ſicut & in alijs generibus

peccatorum, poſſet eſſe tantùm veniale. Patet hoc ipſum ex pœnis, quæ tum canonico, tum ciuili iure falſarijs litterarum infliguntur. Iure canonico falſarij litterarum apoſtolicarum, qui per ſe, vel per alios vitium falſitatis exercent, cum fautoribus, & defenſoribus ſuis ſunt excõmunicati: & ſi Clerici ſunt, & de hoc crimine conuicti, inſuper officijs, & beneficijs omnibus priuantur: &, ſi per ſe hoc crimẽ patrârint, brachio ſæculari traduntur, *Per Bullam Cœnæ Domini*, quam habes apud *Nauarrum c. 27. nu. 62.* Iure ciuili, ſi laïci hoc crimen commiſerint, deportantur, hoc eſt, in exilium perpetuum mittuntur, & bona eorum publicantur, *per textum l. 1. §. finali ad l. Corneliam de falſis*. Et in regnis Hiſpaniarum extremo ſupplicio afficiuntur, vt teſtatur *Ignatius Lopes in ſuâ Practicâ criminali c. 117.* Clerici falſarij litterarum Epiſcopi, ſi criminaliter accuſantur, deponuntur ab ordine, & beneficio, & perpetuò in monaſteriũ detruduntur, *per c. Epiſcopus, diſt. 50.* Si verò per modum inquiſitionis conuincantur, ab officio, & beneficio ſunt ſuſpẽſi, *ſecundũ Hoſtienſem in ſummâ de crimine falſi §. finali*, donec indulgentiam Apoſtolicæ Sedis mereantur obtinere.

QVAESTIO SECVNDA.

Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum.

EX præmiſſis ſequitur primò non incurrere hunc caſum illum, qui quocunque modo prædictorum falſificat litteras Papæ, ſed incurrit quid grauius, cenſuram excommunicationis Summo Pontifici reſeruatam per Bullam Cœnæ Domini, vt patet.

Secundò, neque illum, qui ſubreptitiè, vel obreptitiè impetrat litteras à ſuo Archidiacono, Epiſcopo, Archiepiſcopo; quia non falſificat litteras.

Litteræ ſubreptitiæ vocantur, quando pro illarum impetratione exprimitur falſitas, vel tacetur veritas.

Obreptitiæ, quando ſub inuolucro verborum ſic recte ſupplicatur, vt Archidiaconus, Epiſcopus, Archiepiſcopus, non percipiant veritatem. Sic explicat, & diſtinguit, *Iaſon in l. 2. n. 1. C. ſi contra ius, vel vtilitatem publicam.* Verùm hi duo termini aliquando confunduntur. Peccat tamen mortaliter ſic impetrans, *per ea, quæ ſuperiore quæſtione diximus,* & debet carere impetratis, *per c. ſuper litteris, de reſcriptis.*

Tertiò, neque illum, qui habet apud ſe litteras falſas, aut vtitur illis: quia propriè non falſat litteras, vt antè diximus. Imò non peccat ſi habeat, aut vtatur illis ignoranter, niſi fortè ignorantia eſſet culpabilis, quod regulariter non eſt, quando ſi ſciuiſſet, non tenuiſſet, aut vſus illis non fuiſſet; Secùs ſi vtatur illis ſcienter, aut doloſè apud ſe habeat: Quia, quamuis non incurrat hunc caſum, peccat tamen mortaliter cum obligatione reſtitutionis damnorũ inde ſequentium.

Quartò, neque illum, qui mutat in litteris ea, quæ priùs erant in ſuâ ſupplicatione expreſſa, ſi per errorẽ Notarij, vel ſcriptoris fuerint variata. v. G. Porrexit aliquis ſupplicationem Epiſcopo, qua petebat ſibi dari licentiam excipiendi con-

 feſſio-

feſſiones, & ſimul abſoluendi à reſeruatis in foro conſcientiæ: vtrumque concedit Epiſcopus: non exprimitur autem in litteris eius, niſi facultas excipiendi confeſſiones, non incurrit hunc caſum, ſi aſcribat, & abſoluendi à reſeruatis, prout continebat in ſuâ ſupplicatione ſignatâ. Quod proculdubio verum eſt in foro conſcientiæ, *per ea, quæ diximus in primâ quæſtione*: ſed hoc leuiter faciendum non eſt propter ſcandalum, & præſumptiones fori exterioris.

Quintò, neque illum, qui ex litteris Epiſcopi, aut Archidiaconi raſit aliquam dictionem, aut ſententiam animo apponendi diuerſam, ſed pœnitentiâ ductus eãdem reſtituit, quamuis peccet *iuxta ea, quæ in 1. quæſt. diximus*; Imò non incurrit, ſi non reſtituit, ſed cauet, ne cuiquam damnum, aut intereſſe per illas inferatur, quia non cenſetur committi falſitas, niſi cum immutatione veritatis, & dolo concurrat etiam præiudicium tertij, quod hîc non fit.

Sextò, neque illum, qui falſificat litteras Epiſcopi, quæ iam euanuerunt, hoc eſt, quarum vſus iam expirauit, *per illa, quæ habet Nauarrus c.17. nu.169.* Quod verum eſt, ſi per talem falſificationem relinquat litteras inutiles; Verùm ſi ex inutilibus faciat ſibi, aut alteri vtiles, incurrit, cùm hîc reperiantur omnia, quæ ad falſitatem requiri diximus, mutatio veritatis, dolus, & iactura tertij, Epiſcopi videlicet, vel alicuius alterius.

Septimò, è contrario ſequitur incurrere hunc caſum illum omnem, qui litteras Epiſcopi, aut Archidiaconi commendatitias, aut dimiſſoriales,

les, aut prouiſionales beneficij, aut ſimiles quocumque modorum in primâ quæſtione deſcriptorum vitiat, ſi cum dolo, & iactura tertij hoc faciat.

Litteræ dimiſſoriales vocantur, quæ dantur ab Epiſcopis, vt ſubditi promoueri poſſint ab alio Epiſcopo ad ordines ſacros.

Commendatitiæ, quæ conceduntur clericis peregrinis, aut diœceſim mutantibus.

Quâ pœnâ ſit puniendus litteras dimiſſoriales falſificans, docet Abbas *in c. cùm olim de reſcriptis.* Et ſi per illas ſit promotus ad ordinem aliquẽ, & functus fuerit eo, quid fieri debeat vide *extrauagantem* Pij *2. cùm ex ſociorum.*

Octauò, & illos, qui vitiant ſigillum Epiſcopi, aut ſimilis Prælati, ſi quis illo vtatur cum obligatione reſtituendi damna inde ſequentia. Secùs ſi nemo illo vtatur: Similiter & qui litterarum datas mutant, ſi cum dolo, & iniuriâ faciant, *vt patet.*

Poſtremò, & omnes couſulentes, mandãtes, auxilium ferentes, vt litteræ tales quocumque modorum prædictorum falſificentur, quia ſtatutum, quô maleficium punitur, hos omnes inuoluit; *per illa, quæ c. 3 & alibi aliquoties diximus.*

QVAESTIO TERTIA.

Quæ obſeruanda circa confeſſionem, & abſolutionem falſificantis litteras Prælati.

CIrca confeſſionem aduertendum non ſufficienter confiteri, qui dicit ſe vitiâſſe litteras Prælati, ſed debet addere Papæ, vel Prælati illo inferioris, quia primo caſui eſt an-

nexa excõmunicatio Papæ reſeruata, alteri non.

Circa abſolutionem videndum, vtrum res ſit integra, hoc eſt, vtrum litteris falſificatis quis vſus fuerit, & alteri iniuriam intulerit, an verò necdum illis vſus fuerit; Quia in primo caſu impoſitâ pœnitentiâ, & debitâ reſtitutione damnorum factâ, abſolui poteſt, & debet: In ſecundo, nec poteſt, nec debet, niſi dolo depoſito, & litteris laceratis, aut reſtitutis in integrũ, aut nouis, & veris procuratis, ſtudeat impedire, ne cuiquã iniuria inferatur.

Quod falſarij litterarum teneantur reſtituere damna, & intereſſe ex falſitate conſecuta docet Syluester *verb. falſarius q. 3.* Et Bartholus *in l. Paulus ff. de falſarijs, & in l. quæ tabulas ff. de furtis.*

CAPVT XVIII.
De ſolenni periurio decimo-octauo caſu reſeruato.

QVAESTIO PRIMA.
Quid, & quotuplex periurium, & quale hoc loco reſeruatur?

VT intelligas quid, & quotuplex periuriũ, oportet intelligere quid, & quotuplex iuramentum. Iuramentum, eſt inuocatio diuini nominis in teſtimonium; Et actus eſt religionis, quô honor, cultuſque Deo defertur, ipſum teſtem infallibilem veritatis proteſtando; Eſtque licitus ſi tres conditiones, ſiue circunſtantiæ ſeruentur, quæ habentur apud Hieremiam 4. c. *Iurabis* (inquit Dominus) *in veritate*, *iuſti-*

iuſtitiâ, & iudicio: Quæ explicantur à doctoribus ſcholaſticis *ſuper 3. ſent. diſt. 39.* Et Canoniſtis *in cap. animaduertere 22. q. 2.* & vtiliter, & fusè à Couar. *de pactis p. 1. §. 8.* Prima eſt veritas, vt iuretur, quod verũ eſt. Secunda, iuſtitia, vt non iuretur niſi quod bonum, & licitum eſt. Tertia, iudicium, vt nemo iuret ſine neceſſitate, & reuerentiâ.

A quibuſdam recenſentur ſex caſus, quibus neceſſitas facit eſſe licitum iuramentum; Primus, cùm alicui ſuadetur, quod ad ſalutem neceſſariũ eſt, vel vtile, & non vult credere. Habetur hic caſus *22. q. 1. c. non eſt contra.* Secundus, quãdo quis iniuſtè, & mẽdaciter eſt diffamatus, poteſt famã ſuam purgare iuramento, & debet ſibi credi, niſi contrarium per teſtes probetur. *2. q. 4. c. Presbiter.* Tertius, pro fidelitate à creditoribus promerẽdâ. v. g. eſt pauper, qui nullos habet fideiuſſores, & nemo vult ei quicquam credere, poteſt iurare ſe velle certo termino ſoluere, & ita intendit, & quod in ſe eſt facit non peccat, Quartus, ad finem controuerſiæ accelerandum, putà ſi duo litigarent ſuper re aliquâ, & vni certò de rei veritate conſtaret, poſſet talis iurare ad litem citiùs terminandam. Quintus, promittendo ſuperioribus obedientiam, vel Prælatis fidelitatem, vel etiam alicui communitati ratione publici officij, vel alijs certis de cauſis. Sextus, pro tuitione corporis, & bonorum fortunæ; vt ſi quis te vellet capere, ſpoliare, occidere, tamquam inimicum, vel regium, & tu non eſſes inimicus, vel regius, poteſt aſſerere iuramẽto te talem

talem non eſſe abſque peccato;

Iuramentum multipliciter diuiditur; vt videre potes apud *Syluestrum verbo iuramentum 1. q. 2.*

Duæ ſunt diuiſiones ſolenniores, & propoſito noſtro magis accommodatæ.

Prima, Iuramentorum aliud eſt aſſertorium, quô confirmamus dicta noſtra; & præcipuè reſpicit præteritum, & præſens tempus: Aliud promiſſorium, quô promiſſiones ſtabilimus: Aliud comminatorium, quô mala ſpōdemus, quæ duo reſpiciunt tempus futurum. Aliud execratoriũ, quô inſuper inuocatur Deus in iudicem, & vindicem, quod reſpicit ſubinde futurum tempus. Tria priora iuramenta non differũt ſpecie, quia inuocatio diuini teſtimonij non variatur ſpecie per præteritum, præſens, futurum; Imò nec quartum ſic differt à reliquis, ſi intentio iurantis ſit, ſolum Deum in teſtem inuocare; Sed ſi intentio feratur formaliter in ipſum malum, quod ſibi quis, vel alijs imprecatur, erit peccatum ſpecie diſtinctum.

Secunda; Iuramentorum aliud eſt ſolenne, quod fit ſuper re ſacrâ, vt tactis ſacroſanctis Euangelijs, cruce ſanctâ, aut tangendo proprium pectus. ſi Epiſcopus, aut Sacerdos eſt, qui iurat. *Vide Couar. de pactis p. 1. §. 1. nu. 2.* Aliud non ſolenne, quô hæc non ſeruantur. Obſeruantur quoque in ſolemni iuramento de iure quædam aliæ cæremoniæ; Prima, vt illud fiat à ieiuno *c. honeſtum 2 q 5.* & hoc partim propter maiorem reuerentiam, partim vt ſciatur hominem ſciuiſſe, quid faceret iurando, quia ſobrius fuit: Quę tamen

men cæremonia ſolùm requiritur vt decens, non vt neceſſaria. Secunda, vt non iuretur diebus feſtis *c. decreuit 22. q. 5. & c. omnes de feriis.* Limita, niſi ſit negotium pacis, vel multùm vrgens neceſſitas, *ſecundum Sylueſtrum verb. iuramentum 2. q. 4.* Tertia. vt non admittantur pueri ante 14. annum *c. paruuli 22. q. 5.* Quia propter immaturitatem iudicij non ſatis magnâ cum reuerentia iurarent, & facilè induci poſſent ad peierandum; Si tamē pueri habentes ſufficientem vſum rationis iurauerint ſiue in iudicio, ſiue extra iudicium, eodem modo peccant, quô alij in foro conſcientiæ, licet in foro exteriori non puniantur. *c. 1. de delictis puerorum.* Quarta, vt excludantur periuri. *l. qui ſemel peierârunt c. paruuli, citato.* Quod verum eſt, ſi per ſententiam declarati ſunt tales, vel ſi aliàs ſint notorij etiam extra iudicium. *Sylueſter verb. iuramentum 2. q. 3.* Ratio, quia tales indigni ſunt, quibus credatur.

His præcognitis facilè reſpondere eſt ad quæſtionem propoſitam, cuius tres ſunt partes: Prima quid periurium, ſecunda quotuplex, tertia quale hîc reſeruatur.

Ad primam igitur dicendum eſt, Periurium eſſe iuramentum carens veritate, quando Deus inuocatur vt teſtis falſitatis.

Ad ſecundam dicendum, Periurium eſſe quadruplex: Aſſertorium, Promiſſorium, Comminatorium & Execratorium, ſi nimirum in aliquo ex quatuor iuramentis ſupra deſcriptis deſit veritas.

Periurium aſſertorium quatuor modis com-

mittitur.

Primò, cùm is, qui iurat credit eſſe falsũ, quod iurat, & reuera falſum eſt; vt ſi Catholicus iuret oretenus Chriſtum non eſſe realiter, & ſubſtantialiter in Euchariſtiâ, ipſe credit ſe iurare falſum, & reuera falſum eſt, & hæreticum; Tale periurium manifeſtè peccatum mortale eſt, & formale periurium, quia ex intentione peierat.

Secundò, cùm is, qui iurat putat eſſe verum, quod iurat, ſed nõ eſt verum, vt ſi hæreticus iuret Chriſtum non eſſe realiter, & ſubſtantialiter in Euchariſtiâ, putat ſe verum iurare, ſed reuera falſum eſt; Tale periurium ſi proueniat ex ignorantiâ craſsâ, ſupinâ, vel affectatâ, vt in hæreticis, peccatum eſt mortale, & cenſeri debet formale periurium; quia licet talis non intẽdat falſum iurare, propter ignorantiam tamẽ affectatam actus redit in naturam ſuæ formæ, & cenſetur voluntarius: Si fuit adhibita aliqua diligẽtia ad ignorãtiam vincendam, ſed non ſufficiẽs, peccatum eſt veniale; Si ſufficiens, nullum. *Vide Syluestrum verb. periurium nu. 1.*

Tertiò, cùm is, qui iurat putat eſſe falſum, quod iurat, & verum eſt, vt ſi hæreticus exiſtimans Regem Nauarreum ad fidem Catholicam conuerſum, iuret illum eſſe Caluiniſtam. putat ſuum iuramentum falſum eſſe, cùm tamen verum ſit; Tale periurium peccatum eſt mortale, quia formaliter, & ex intẽtione periurium eſt, quamuis materialiter, & præter intentionem iuramentum verum ſit.

Quartò, cùm is, qui iurat, dubitat, an id, quod iurat,

iurat, verum ſit, & tamen tanquam verum iureiurando affirmat; vt ſi Catholicus dubitans vtrũ Rex Nauarreus ſit verè conuerſus, iuret ſimpliciter illum vel eſſe Catholicum, vel hæreticum eſſe; Quale periurium eſt etiam peccatum mortale, *ſecundum omnes*, quia talis exponit ſe voluntariè periculo peccandi mortaliter.

Periurium promiſſorium ſimiliter committi poteſt quatuor modis.

Primò, cùm is, qui iurat, ſcit quod, id, quod promittit, non poſſit, aut non velit, aut non liceat illi præſtare, & verum eſt.

Secundò, quãdo qui iurat putat quod, id, quod promittit, poſſit, velit, aut liceat illi præſtare, & verum non eſt.

Tertiò cùm is, qui iurat, putat quod nõ poſſit, aut non velit præſtare, & tamen verum non eſt.

Quartò, cùm is, qui iurat dubitat vtrum id, quod promittit, poſſit, velit, aut liceat, & nihilominus iureiurando illud præſtare ſimpliciter promittit: Quando hi modi peierandi ſint mortales, vel veniales, poteſt iudicari ex illis, quæ iã diximus de quatuor modis periurij aſſertorij.

De periurio comminatorio, & execratorio eodem modo dicendum, quô de duobus alijs ſupradictis; quia comminatorium eſt veluti promiſſorium de futuro: execratorium eſt veluti aſſertorium, quando eſt de præſenti, & promiſſorium quando eſt de futuro.

Ad tertiam quæſtionis partem dicendum reſeruari hoc loco periurium ſolenne, ſiue illud ſit aſſertorium, ſiue promiſſoriũ, ſiue comminatorium,

rium, aut execratorium.

Quid ſit ſolẽne periurium facilè colligere eſt ex prędictis, nimirum, Iuramentum falſum factũ ſuper re ſacra, aut ad pectus ſacerdotale, &c.

Ex quibus omnibus ſequitur; Primò periurium peccatũ eſſe mortale ex grauiſſimis. Quod patet; Primò, quia maximam Deo irrogat iniuriam reputando illum veluti mendacem, & teſtẽ falſitatis. Patet hoc ipſum ex pœnis; Nam vtroque iure grauiſſimę pœnę periuris infliguntur; Canonico, Clericus periurus deponitur ab ordine *c. cùm non ab homine, de iudicijs, & ibi doctores:* Inſuper priuari debet beneficio Eccleſiaſtico, ſi quod habet, *c. querela de iureiurando.* Collatio beneficij illi facta eſt ipſo iure nulla. *Panor. & alij Doctores in c. querelam, eodem titulo.* Ratio eorum eſt, quia periurus eſt infamis, & collatio infami facta eſt nulla: quod intellige verum eſſe, ſi notoriè fuerit infamis. Vtroque iure periurus cenſetur infamis. *c. infames 6. q. & l. ſi quis c. de tranſactoribus:* Quod tamen intelligendum eſt de periurio promiſſorio, non aſſertorio, *vt annotauit D. Thomas 2. 2. q. 98. art. 3.* Iure ciuili, periurus aſſertorio mulctatur exilio ad tempus. *l. vltimâ ff. de crimine ſtellionatus* Crimen ſtellionatus dicitur quando quis veritatis, mendacijque reus eſt; Sic dictum à ſtellione reptili animãte in modum ſtellæ varijs maculis aſperſo, quô nullum animal fraudulentius inuidere homini tradunt, ait Plinius *lib. 36. cap. 10.* Periurus promiſſorio periurio iure ciuili propter infamiam meretur hanc pœnam, vt ſoluat pœnam contractus, & amittat omne

omne commodum conuentionis. *L. ſi quib. c. de tranſactoribus.* Periurus in iudicio incurrit crimen falſi. *L. 1. ff. de falſis.* Eandem notam incurrit & ille, qui interrogatus tacet veritatem, dicitque ſe nihil ſcire. *c. quiſquis cum Gloſſa nu. q. 3. Et D. Thom. 2. 2. q. 73. art. 7.* Si tamen teſtis tacuerit veritatem abſque dolo, excuſatur ob præſumptam ſimplicitatem. *Vide Syluestrum verb. periurium 5. Et latiùs Couar. de pactis p. 1. toto §. 7.*

Sequitur ſecundò, periurium ſuo genere grauius eſſe homicidio; quia homicidio proximus læditur, periurio Deus, quod latè oſtēdit D. Thomas *quodl. 1. art. 8. Et Sotus lib. 8. de iuſt. & iure q. 2. art. 3. concluſione 4.* Non obſtat, quod homicidium grauiùs puniatur; Quia non ſemper grauiùs puniuntur illa peccata, quæ in ſe grauiora ſunt, ſed illa ſolùm in foro exteriori grauiùs puniri ſolent, quæ magis Reipublicæ nocent, etiam ſi aliàs ſuo genere ſint alijs leuiora.

Sequitur tertiò, quod quamuis periurium ſolenne, & non ſolenne eiuſdem ſint ſpeciei etiã ſpecialiſſimæ, grauius tamen ſit ſolenne, quàm non ſolenne: Primò, propter maiorem deliberationem, ex quâ illud perpetratur; Secundò, propter maius ſcandalum. *D. Thom. 2. 2. q. 98. art. 3. ad ſecundum.*

Difficultas prima: An periurium aſſertorium poſſit excuſari à mortali propter ignorantiam, iocum, metum, inanimaduertentiam?

Quod ad ignorantiam attinet, Nota tripliciter poſſe contingere vt quis falſum iuret ignoranter, *ſicut antè inſinuauimus.* Primò, quia putat

eſſe verum, quod iurat: hoc caſu, ſi adhibuit diligentiam debitam in inueſtigendâ veritate, nō peccat, quia eſt ignorantia inuincibilis; Si adhibuit aliquam, ſed non ſufficientem, culpa venialis eſt; Si nullam, eſt mortalis, quia eſt craſſa ignorantia, quæ non excuſat. Secundò, quia putat eſſe falſum, quod iurat, cùm tamen ſit verum, hoc caſu manifeſtè peccatum mortale eſt, quia eſt formale periurium, cùm intentio eius feratur ad falſitatem, licet materialiter ſit verū iuramentum, quia iurat verum præter intentionem. Tertiò, quia id, quod certum non eſt, pro certo iureiurando affirmat, quod etiam eſt mortale ſecundum communem, quia exponit ſe periculo peierandi.

Quod ad inanimaduertentiam attinet, dicendum illam à mortali excuſare, quando homo vel non aduertit ſe iurare, vel non videt ſe iurare falſum; quia imperfectio actus, hoc eſt, quādo homo non ſatis deliberatè agit, ſemper excuſat à mortali. v. g. Si quis ſubitò, lingua mentem præueniente, iuret falſum. *D. Thom. 2. 2. q. 98. art. 3. ad 2.*

Quod ad metum attinet, dicendum non excuſare, quia non facit inuoluntarium ſimpliciter, ſed ſecundum quid: Non ergo impedit, quin peccatum ſit mortale. *D. Thom. 2. 2. q. 98. art. 3. ad 1.* Non obſtat, quod in *c. verum de iureiurando* dicitur, quod, qui coactè ſiue pro vitâ, & rebus ſeruandis peierauit, nō puniatur pro mortali crimine; quia c. illud, non dicit non peccâſſe mortaliter, ſed ſolùm aſſerit non puniri tam grauiter, ac ſi

abſque

abſque incuſſo metu peieràſſet.

Poſtremò quod ad iocum attinet, dicendum, quod, qui ioco peierat, non euitat diuinam irreuerentiam, quæ in periurio reperitur, ſed potiùs quoad aliquid magis auget, non ergo excuſatur à mortali. *D. Thom. 2. 2. q. 96. art. 3. ad 2.*

Difficultas ſecunda: An cenſendus ſit periurus, qui iurat verum ſecundum ſuam intentionem, falſum autem ſecundum intentionem deferentis iuramentum?

Dicendum; Primò, quando aliquis iurat non rogatus, debet in illo ſenſu iurare, quem concipit ille, qui iuramentum excipit; ad hoc enim inſtitutum eſt iuramentum, vt quiſque ſincere aperiat, quod in mente habet; Vnde peccant mortaliter mercatores, cùm ſpōtè iurant ſe tanti mercem emiſſe æquiuocando, intelligendo ſcilicet non illam ſolùm, ſed cum alijs mercibus miſtam, vt ementes decipiantur. *c. quacunque art. 22. q. 5.*

Secundò, quādo quis à Superiore examinatur, & iuridicè petitur iuramentū, nō licet inferiori vti æquiuocatione, ſed debet reſpondere ſecundum mētem Iudicis ſub pœnâ peccati mortalis.

Dixi, *cùm iuridicè interrogatur*, nam ſi petat aliquid contra formam iuris, poteſt vti æquiuocatione, & decipere Iudicem, putà ſi petat aliquid, de quo non præceſſerit infamia, nec habet aliquod indicium, Iudex petendo peccat mortaliter; Ille verò non peccat æquiuocè reſpondendo: Peccaret tamen etiam mortaliter, *ſecundum Nauarrum c. 12. n. 17.* ſi diceret mendacium.

Tertiò, quando quis à perſonâ particulari

interrogatur ſub iuramento, ſi non iuret ſecundum intentionem eius, ſubinde peccabit, ſubinde non peccabit; Peccabit, ſi illa particularis perſona rem vtilem petat, & nemini nociuam, & maximè ſi non importunè petat; Non peccabit, ſi rem non vtilem, imò nociuam importunis precibus, minis, verberibus petat. v. g. Si quis verberibus datis peteret à me 100. aureos ſibi dari, poſſum iurare me ſibi daturum æquiuocando, ſubintelligendo nimirum, ſi illos debeam; Similiter, ſi vir petat ab vxore ſub iuramento, vtrum commiſerit adulterium, ſi eſt occultum, ſic vt nullum ſubſit indicium, poteſt iurare dicendo ſe in veritate, & in conſcientiâ ſuâ non feciſſe, æquiuocando, vt, ſcilicet, illi dicat; Nec illa peccat: vir verò peccat exigendo illo caſu iuramentum.

Ex his patet reſolutio multorum quotidianorum caſuum, qui à Doctoribus, & præſertim Nauarro c. 12. nu. 8. & 9. proponuntur.

Difficultas tertia: An ſemper cenſendus ſit periurus, qui non præſtat, quod iureiurando promiſit?

Ex multis cauſis quis excuſari poteſt à periurio, ſi non præſtet, quod iureiurando promiſit;

Primò ex parte materiæ; vt qui iurauit facere aliquid, quod eſt peccatum mortale, aut veniale, non tenetur ſeruare iuramentum; Imò ſi ſeruaret, peccaret, ſicut peccauit iurando: Similiter qui iurat res indifferentes nec bonas, nec malas, putà non ambulare poſt cœnam; peccat ad minus venialiter iurando, nec tenetur ſeruare.

Secūdò, ratione euentus, vt ſi quis iurauit aliquid

quid facere, & poſtea euenit caſus, in quo non eſt bonum illud facere, quod contingere poteſt quinque modis; Primò, cùm euentus facit rem quam iurauit impoſſibilem: vt ſi quis iurauit die dominico inuitaturum ſe amicum ad prandium, & ille receſſit à ciuitate, ille excuſatur ab inuitando; Vel ſi quis iurauit ſe ad certum tempus perſoluturum aliquod debitum, & interea à latronibus ſpoliatus eſt omnibus rebus ſuis. Secundò, quando euentus facit rem, quam quis iurauit, eſſe peccatum, cuius generis fuit Herodis iuramentum.

Tertiò, quando euentus inducit graue malum temporale in impletione rei iuratæ, Putà ſi quis hoc menſe iurauit ſe peregrinaturum ad noſtrã Dominam in Hallis, & poſtea audit latrones eſſe in viâ; Vel ſi iurauit ſe ieiunaturum ſingulis ferijs ſextis, & accidit illum laborare dolore capitis illo die, vel febri, excuſatur.

Quartò, quando euentus impedit bonum maius, vt ſi quis iurauit die Dominico proximo ſe iturum ad certas Eccleſias, & accidit vt illo die pater ægrotet, qui deſereretur, ſi vellet ſatisfacere iuramento, excuſatur ab impletione, quia adeſſe patri ægotanti melius eſt, quàm ire ad illas Eccleſias.

Quintò, quando ceſſat res iuramenti; vt ſi quis iurauit ſe obediturum Domino ſuo temporali, vel Epiſcopo, ſi Dominium ab illo, vel Epiſcopatus ab hoc auferatur, non tenetur ad impletionem ſui iuramenti.

☞ Excuſatur quis tertiò ex parte modi iurandi:

Nota aliquando ex communi modo loquendi iuramentum non obligare, putà quando verba iuramenti ſonant vnum, & ex modo loquendi ſonant aliud. v. g. Duo nobiles volunt ſibi inuicem cedere ingreſſum domus, vel menſæ, iurat alter ſe primo loco non ingreſſurum, & nihilominus nimiâ ciuilitate alterius victus prior ingreditur, non eſt periurus, quia, quantum in ſe fuit, ita fecit, vt iurauit. Nam non eſt ingreſſus ſponte, ſed precibus alterius victus.

Quartò, ex parte relaxationis, primò excuſatur quis, quando is, cui factum eſt iuramentum, relaxat promiſſionem, vt ſi iurâſti te daturum centum aureos Petro, ſi nolit illos accipere, excuſaris: Secundò, ſi poteſtatem habens iuramentum irritet, aut illud commutet, aut in illo diſpenſet, quod poteſt facere Papa, vel Epiſcopus, *docent D. Thomas 2. 2. q. art. 9. ad 3. Et Syluester verb. iuramentum 5. q. 7.*

Quod quidem verum eſt, niſi iuramentum factum eſſet in fauorem tertij, quia tunc neque Papa, neque tota Eccleſia poſſet iuramentum illud relaxare ſine cõſenſu illius, in cuius fauorẽ præſtitum eſt; Imò neque in melius cõmutare, Ratio eſt, quia nemo poteſt ius alterius auferre.

Excipiuntur duo caſus; Primus, quando relaxãtur ab Eccleſiâ iuramẽnta præſtita excommunicatis, & hæreticis. Secundus, quando iuramentum fuit vi extortum, vel fraude. *c. verum de iureiurando.* Inferiores Papâ, vel Epiſcopo non poſſunt iuramenta relaxare ſine illorum facultate, ſicut nec vota, quamuis poſſint à transgreſſione

voti,

voti, & iuramenti abſoluere.

Difficultas quarta, & poſtrema: An ſemper cenſendus ſit periurus, qui non implet malum, quod iureiurando comminatus eſt?

Multis ſimiliter de cauſis excuſatur quis à periurio, ſi à malo inferendo, quod comminatus eſt, abſtineat.

Primò, quando quis iurauit inferre pœnam, quam inferre peccatum eſt, non tenetur implere iuramentum; Imò implendo peccat mortaliter, vel venialiter, prout eſt pœna, quam iurat.

Secundò, quando pœnam etiam licitè comminatam melius eſt non implere. v. g. Iurauit Dauid ſe occiſurum Nabal, tamẽ ad preces Abigail condonauit pœnam, non ſeruando iuramentum quia melius fuit acquieſcere precibus illius ſanctæ mulieris, quàm illam inferre.

Tertiò, ratione mutationis ſtatus. v. g. Iurauit pater ſe caſtigaturum filium, & ipſe emendatus à patre non caſtigatur.

Quartò, quando pœna eſt inutilis, ſi prçceptor iurauit ſe caſtigaturum diſcipulum, ſed videt poſtea ſe parum proficere caſtigando, quia non timet flagella, poteſt licitè non implere iuramentum, & aliâ viâ diſcipulum corripere.

Quintò, quando ex pœnâ, quam quis intendit infligere, videt plus mali, quàm boni ſequi: vt ſi iurauit pater ſe caſtigaturum filium, & pacem domus videt inde turbandam, quia vxor, & alij ægrè ferẽt, poteſt relinquere abſque periurio; Nam pax eſt maius bonum; peccauit tamen pater iurando, ſi probabiliter præuidit

talia impedimenta euentura.

QVAESTIO SECVNDA.

Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum.

EX præmiſſis ſequitur; Primò non incurrere hunc caſum illum, qui citatus ad deponendum cum iuramento in causâ criminali, aut aliâ quâpiam magni momenti, metuens furorem illorum, contra quos deponere debet, fugit, aut ſeſe abdit, ne teſtetur. Ratio clara eſt, quia non peierat: Imò non peccat, ſi ſit iuſtus timor, putà ſi probabiliter timet ſibi ex ſuo teſtimonio aliquod magnũ damnum ſpirituale, aut temporarium perſonæ, honoris, aut bonorum fortunæ euenturum, *per illa, quæ habet Nauarrus c. 25. nu. 40.*

Secundò, neque illum, qui interrogatus in iudicio ſub iuramento etiam ſolenni, ſciátne, quis fuerit, qui talem hominem occiderit, aut quis talem rem ſurripuerit, cuius hominis occiſio, aut rei ſurreptio ſoli ſibi, & homicidæ, vel ſoli ſibi, & furi nota eſt. Reſpondet ſe nõ ſcire, ſubintelligendo ſcilicet, vt Iudici manifeſtet, *per illa, quæ in præcedente quæſtione diff. 2. diximus*; Quia cùm Iudex præter ordinem iuris interrogat, poteſt teſtis vti æquiuocatione, non tamen mendacio, *ſecundum Nauarrum loco ſuperiùs allegato, & D. Thomam 2. 2. q. 69. art. 2. & Sotum de iuſt. & iure lib. 5. q. 7. art. 1.* Imò nec ipſe reus criminis incurrit, ſi à Magiſtratu comprehenſus præter iuris ordinem per iudicem interrogatus neget ſe crimen commiſiſſe, intelligendo ſcilicet ad reuelandum in tali caſu. Dicitur Iudex non interrogare ſecundum ordi-

ordinem iuris, ſi aliquid trium horum deſit; Primum, ſi non eſt iudex competens, neque ordinarius, neque delegatus. Secundum, ſi delictum non ſit plenè probatum, vel ſaltem ſemiplenè, hoc eſt, ſaltem per vnum teſtem omni exceptione maiorem, vel per indicia illi æquipollentia, vel per infamiam plenè probatam. Tertiũ, quod non ſit notificata reo huiuſmodi probatio, quamuis, ſi omittatur tertium, vbi conſuetudo non eſt, vt reo hoc ſignificetur, teneatur reus reſpondere ſecundum mentem iudicis, & contra faciens iuratus incurrit hunc caſum.

Tertiò, neque illum, qui carcere liberatus, in quo ſub ſolenni iuramento promiſerat prædonibus numerare centum aureos, illos non numerat, neque numerare vult, ſi, cùm iurabat, non iurauit ſecundum mentem illorum, ſed ſuam, quæ erat, vt illos numeraret, ſi illos deberet; Imò neque peccauit ſic iurando, *per prædicta*; Peccâſſet tamen, ſi nullo ſenſu putâſſet eſſe verum, quod iurabat, *vt patet*.

Quartò, neque illum, qui ſtatâ die non ſoluit creditori ſummam cẽtum florenorum, cui medio iuramento coram iudice promiſerat illam ad eam diem ſoluere, quia videlicet interea tẽporis per prædones rebus ſuis ſpoliatus fuit; vel quia alius creditor, qui ſub ſimili iureiurando in eandem ſummam illi obligatus erat, fidem fefellit; Euentus enim excuſat à periurio, vtpote qui faciat illi ſolutionem impoſſibilem.

Quintò, è contrario ſequitur incurrere hunc caſum illum, qui in teſtem vocatus, tactis ſa-

croſanctis Euangelijs, aut cruce ſanctâ ſub iuramento affirmat eſſe verũ, quod ſcit eſſe falſum, aut dubitat eſſe verum, aut tacet verum, cùm ſine periculo poſſit, & debeat illud dicere. Ratio eſt clara, quia ſolenne periurium committit: Quod verum eſt etiamſi timore probabili damni magni ſpiritualis, vel temporalis, bonorum temporalium, honoris, imò & vitæ id fecerit; Quia licet timor iuſtus à non teſtificando excuſare poſſit, vt ſtatim ex Nauarro diximus, non tamen à teſtificando falſo.

Sextò, & illum, qui à ſuo iudice, ſeruato ordine iuris, medio iuramento interrogatus non fatetur verum, etiamſi crimen patrârit morte plectendum, *ſecundum Nauarrum c. 25. nu. 35. poſt D. Thomam 2. 2. q. 69. art. 1.* Quod vſque adeò verum eſt, vt nec Confeſſarius in foro conſcientiæ illũ abſoluere poſſit, niſi id præſtare velit; quamuis magnâ prudentiâ cauere debeat, ne aliqua ſigna exteriora det, ex quibus illud Iudex ſuſpicari poſſit, vt bene monet Sotus, *lib. 5. de iuſt. & iure q. 6. art. 2. concluſione 5, & Nauarrũ loco ſuperiùs allegato.* Quid verò facere debeat, qui ritè per ſuum Iudicem interrogatus negauit crimen, quod confiteri tenebatur, & nihilominus ducitur ad ſuppliciũ. An ſcilicet illud confiteri teneatur etiã in foro exteriori, maximè ſi nullum notabile damnum ex huiuſmodi reticentiâ ſequatur; Putat Nauarrus non teneri, quia contrarium (inquit) nullo iure conuinci poteſt, & ad animæ ſalutem ſufficit iuſta confeſſio ſacramentalis cum abſolutione ſacramentali. *Vide illum c. 25. nu. 38.*

Po-

Poſtremò, & illum, qui, cùm contra ſe crimen in iudicio confeſſus fuerit, interrogatus de socijs ſub ſolenni iuramento illos accuſare non vult, maximè ſi tales ſint, vt probabiliter credere debeat illos præteritorum peccatorum non pœnitere, nec per Euangelicam correctionem poſſe corrigi, quin potiùs paratos eſſe ad noua crimina cum magno damno publico, aut priuato committenda, quales ſunt regulariter latrones, monetarum falſarij, hæretici, venefici, malefici, & alij ſimiles, *per illa, quæ docet Nauarrus c. 17. nu. 58.*

QVAESTIO TERTIA.

Quæ obſeruanda circa Confeſſionem, & Abſolutionem ſolenniter peierantiũ?

CIrca confeſſionem obſeruandum, quod quamuis periurium ſimplex, & ſolenne nõ differant ſpecie, non ſufficere tamen in confeſſione dixiſſe, Peieraui, ſed Confeſſario inquirendum erit, An ſolenniter; Tum quia ſolenne longè grauius eſt, & circunſtantia notabiliter aggrauans peccatum, ſaltem de congruo, confitenda eſt, *ſecundum communem*, tum maximè vt intelligat Confeſſarius reſeruationem, hoc enim Epiſcopo reſeruatum eſt, illud non, *vt patet.*

Circa abſolutionem ſingulariter videndum, num reſtitutio facta ſit, tenetur enim periurus ad reſtitutionem omnis illius damni, quod ob ſuum iuramentum falſum quis ſuſtinere debet, *ſecundum communem, & ſpecialiter Nauarrum c. 18. nu. 2. & c. 25. nu. 41. & 45.*

Diffi-

Difficultas prima. An teſtatus aliquid eſſe verum neſciens illud eſſe tale, ſed credens cuipiam illud affirmanti teneatur reſtituere illud, quod ob id condemnatus ſoluit, ſi ſit falſum?

Mouet hanc difficultatem Nauarrus *c. 18. nu 2.* Cui reſpondet non teneri, ſi affirmans ſit tantæ probitatis, vt ei frequentiùs confitenti, communicanti, & Chriſtianè viuenti meritò credi poſſit, quia iuſtè credere poteſt ſe nemini iniuriam feciſſe, *argumento Gloſſa, ſingularis l. Titio fundus ornata à felino in c. cùm contingat. de reſcriptis.*

Difficultas altera. An teſtis, qui in iudicio legitimo interrogatus ſuper crimine, ob quod bona publicari debent, negat veritatem, teneatur reſtituere fiſco id, quod ad eum perueniret, ſi reus damnaretur?

Mouet quoque Nauarrus hanc difficultatem c. 25. nu. 51. Cui ſimiliter reſpondet non teneri. Ratio potiſſima illius eſt, quia lex pœnalis in foro conſcientiæ non ligat, niſi quatenus eſt recepta, vt ipſe fusè probat *c. 23. nu. 49. Et ſequentibus.* Lex autem damnari iubens aliquem publicatione bonorum nuſquam ita recepta eſt, vt ante dãnationem, & ſententiam iudicis bona ad fiſcum deferantur, Ergo, &c. Confirmatur, quia aliàs ſequeretur, quòd omnes cuſtodes confinium regnorum, & prouinciarum, deputati ad cuſtodiendum, ne quis aliqua exportet ex illis, vel importet in illa, vel ſaltem niſi ſoluto vectigali, vel portorio, ſiue gabellâ ſub pœnâ priuationis bonorum, tenerentur reſtituere non ſolùm iura, ſiue vectigalia debita, ſed etiam bona, quæ ob id debent fiſco applicari, quod nemo huc-

hucuſque aſſeruit.

CAPVT XIX.
De Blaſphemia publica, & enormi in Deum, aut Sanctos decimo-nono caſu reſeruato.

QVAESTIO PRIMA.
Quid Blaſphemia, & an omnis hoc loco reſeruetur.

AD primam quæſtionis partem dicendum, blaſphemiam, ſecundum D. Thomã, 2. 2. q. 13. art. 1. importare derogationem excellentis bonitatis; quia autem bonitas eſt in ipſo Deo tanquam in ſuo fonte, imò Deus eſt ipſa bonitas; In ſanctis verò, aut alijs creaturis non eſt niſi in quibuſdam riuulis ab ipſo Deo: Primò, & principaliter blaſphemia dicitur committi contra Deum; Secundariò contra Sanctos, & alias creaturas, in quibus aliquid diuinæ bonitatis relucet, quatenus nimirum iniuria, quæ fit Sanctis, & creaturis alijs, redundat in ipſum Deum tanquam omnis bonitatis fontem. Colliguntur hæc ex *D. Thoma ſup.*

Blaſphemamus multis modis; Primò quando affirmamus aliquid de Deo, quod illi non conuenit, vt ſi dicas, Deus eſt iniuſtus: vel negamus de Deo, quod illi conuenit, vt ſi dicas Deum non habere curam mundi: vel quando tribuimus creaturæ, quod ſoli Deo conuenit: vt ſi dicas dæmones creâſſe mulieres. Vide *D. Th. ſup. art. 1. ad 3.*

Rurſus blaſphemamus vel opere interno, id-

idque vel ſolo intellectu, vt ſi quis erga Deum benè affectus cogitet deliberatè aliquid bonitati illius contrarium. v. g. Quod non ſit ſatis miſericors erga peccatores: vel affectu ſolo, vt ſi quis de Deo bene ſentiat quoad intellectũ, ſed quoad voluntatem ſit illi malè affectus: vt ſi quis credit Deum iuſtum eſſe, iuſtitiam tamen eius odio habeat; quô modo malè afficiuntur Deo dæmones, & damnati perpetuò eius iuſtitiam blaſphemantes: Vel intellectu, & affectu ſimul, vt cùm hæreticus blaſphemat Chriſtum, Beatam Mariã virginem, Sanctos, &c. Vel opere externo, vt ſigno quocunque exteriori, ſed præcipuè verbo, vt cùm quis conuicijs proſcindit Deum, vel Sãctos, vel ſtatuas eorum, & imagines deridet, deturpat, diſrumpit.

Præterea blaſphemamus vel explicitè, vel implicitè. Explicitè, vt cùm quis dicit, Deus non eſt omnipotens. Implicitè, vt cùm quis dicit, Inuito Deo, hoc faciam, hic enim tacitè negat Dei omnipotẽtiam, innuens eſſe aliquid, quod Deus illi inhibere non poſſit.

Poſtremò blaſphemamus vel per modum enunciationis, vt fecit Cain cùm dixit, *maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear*: Vel per modũ deteſtationis, vt Iudæi, cùm dixerunt Chriſto, *dæmonium habes*: Vel per modũ irriſionis, vt cùm ijdem alibi dixerunt, *Vah! qui deſtruis templum Dei!* Vel per modum admirationis, vt cùm mirantur impij, vel ſimulant ſe mirari Deum non habere maiorem mundi curam.

Ex his omnibus non obſcurè colligitur blaſ-

phemiam in Deum, vel Sanctos eſſe peccatum mortale ſuo genere; Nam derogat diuinæ bonitati eſſentiali in Deo, vel accidentali in Sanctis, & alijs creaturis, quod manifeſte eſt contra charitatem Dei, vel proximi: Deinde eſt contra confeſſionem fidei.

Præterea patet hoc ipſum, quia blaſphemi omni iure puniuntur grauiſſimis pœnis;

Iure diuino, pœna mortis. *Leuitici 4. c.*

Iure canonico, *c. ſtatuimus, de maledicis*, blaſphemus ſeptem diebus dominicis ſtare iubetur pro foribus Eccleſiæ, dum aguntur miſſarum ſolennia, vltimo die ſine pallio, & calceamentis, ligatus corrigiâ in collo, & in ſeptem ſextis ferijs præfatarum dominicarum ieiunare in pane, & aquâ, neque intrare Eccleſiam, & in quâlibet præfatarum dierum tres, ſi poſſit, vel ſaltem vnum pauperem reficere; quod ſi nec vnum poſſit, in aliquid aliud iubetur commutare: quam pœnitentiam ſi nolit facere, interdicitur ei ingreſſus Eccleſiæ, & in morte Eccleſiaſticâ priuatur ſepultura. Hæc pœna non habet locum in Clerico, quia Clericus non agit publicam pœnitentiam de iure *c. ex pœnitentibus diſt. 60.* Clericus blaſphemus iure antiquo punitur varijs pœnis, quæ habentur *c. ſi quis per capillum 22. q. 1.* Nouiſſimè in Concilio Lateranenſi ſub Leone decimo clerico blaſphemanti pœna decreta eſt in hac verba. *Quicunque Deo palam ſeu publicè maledixerit, contumelioſis, atque obſcœnis verbis Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & glorioſam virginem Mariam eius genitricem expreſſè blaſphemauerit, ſi cleri-*

cus, vel Sacerdos fuerit, eo ipſo quod de delicto huiuſmodi conuictus fuerit, primâ vice beneficiorum quacumque habuerit fructibus vnius anni mulctetur. Si ſecundo ita deliquerit, & conuictus, vt præfertur, fuerit, ſi vnicum habuerit beneficium eo priuetur, ſi autem plura, quod Ordinarius maluerit, dimittere cogatur; Quod ſi tertio eius ſceleris arguatur, & conuincatur, dignitatibus, & beneficijs omnibus quacumque habuerit eo ipſo priuatus exiſtat, atque ad ea vlterius retinenda ſit inhabilis.

Iure ciuili blaſphemus olim pœnam mortis incurrebat, *Autent. vt non luxurientur contra naturam §. præterea.* Intelligit id Couar. *In rubri de pactis p. 1. §. 7. nu. 10.* Et alij Doctores per eum ibi citati, de blaſphemo qui non poteſt corrigi, vel qui blaſphemandi conſuetudinem ſibi comparauit.

Iure regio, prouinciali, vel municipali, in varijs regnis, ac prouincijs variæ ſunt contra blaſphemantes pœnæ conſtitutæ, verberationes, inuſtiones, membrorum abſciſſiones, vt linguæ, labij ſuperioris, ac inferioris. De quibus ſingulis vide *Couar. loco iam allegato.*

Inſuper blaſphemus poſt condemnationem Iudicis non poteſt eſſe teſtis idoneus in cauſis, quæ requirunt teſtes omni exceptione maiores, quia eſt infamis, ſaltem infamiâ facti, ſi non infamiâ iuris, *ſecundum Couar. ſup.*

Poſtremò, quando ſuſpicio eſt ne blaſphemus ex errore intellectus dicat blaſphemiam, contra illum tanquam contra hæreticum proceditur. *ſecundũ Alphonsũ à Caſtro l. 1. de punitione hæreticorũ c. 12.*

Quæ pœna debeat iniungi blaſphemis in Sacramento pœnitẽtiæ dicemus infrà quæſtione 3.

Ad

Ad alteram quæſtionis partem dicendum non omnem blaſphemiam reſeruari, ſed illam ſolùm, quæ eſt publica, & enormis, *vt patet ex verbis ipſius reſeruationis.*

Vt intelligas, quæ blaſphemia ſit publica, Nota pro diuerſitate notitiæ, quæ de aliquo habetur, ſolere illud appellari modò occultum, modò publicum apud Iuriſperitos.

Occultum ergo apud illos dicitur aliquid tripliciter; Primò, illud, quod non eſt probabile ſuâ naturâ, quia vt tale non cadit ſub cognitionem hominis, vt ſunt cogitationes hominum. Secundò, id, quod naturâ ſuâ probabile eſt, ſed probari non poteſt, quia nemo illius notitiam habet, quia coram nemine factum eſt. Tertiò, id quod probari quidem poteſt, quia quidam habent illius notitiam, ſed adeò pauci, quod nulla fama orta eſt, neque eſt in iudicium deductum, quod Doctores etiam pœnè occultum vocant.

Publicum definitur illud eſſe, quod patet omnibus, *ſecundum Bartholum in lib. 1. §. penultimo, de ſuſpectis tutoribus.* Dicitur quid patere omnibus, quando notum eſt toti, vel ſaltem maiori parti, non quidem prouinciæ, ciuitatis, vel parochiæ, ſed viciniæ, collegij, monaſterij, modò ſaltem in eis reperiantur decem, *per illa, quæ habet Panor. in c. veſtra, de cohabitatione clericorum, & mulierum.* Itaque notitia pauciorum, quàm ſex non facit aliquid publicum, neque ſex, quando illi non ſunt maior pars illius congregationis, cuius reſpectu illud dicitur eſſe publicum.

Publicum eſt triplex ſecundum eoſdem, Notorium.

torium, manifeſtum, famoſum.

Notorium, quod ſcitur à maiori parte alicuius prædictarum congregationum, vel ſimilis.

Manifeſtum, quod nititur famâ maioris partis alicuius prædictarum congregationum ortâ à ſcientibus.

Famoſum, quod ſimiliter nititur famâ maioris partis ortâ ab vno ſciēte, vel ex indicijs quibuſdam, vel præſumptionibus illis æquipollentibus.

His præſuppoſitis, blaſphemia publica cēſenda videtur illa, quæ quomodolibet innotuit maiori parti alicuius congregationis, in quâ ad minus ſunt decem perſonæ.

Dixi, *quomodolibet innotuit*, quia ex quacunque notitiâ poteſt oriri ſcādalum, quod videtur eſſe principalis cauſa reſeruationis.

Quæ blaſphemia cenſenda ſit enormis pendet ab arbitrio boni viri.

Hoc verò arbitrium tria aduertere debet; Primum, obiectum blaſphemiæ: quod videtur cōſiderâſſe Caietanus *in ſummulâ verb. blaſphemia circa medium*, vbi docet inter modos blaſphemandi, de quibus ſuprà diximus, eſſe aliquos gradus; Grauior enim eſt (inquit) blaſphemia, quæ eſt contra Deum, & Chriſtum, quàm contra B. Virginem: Et quæ contra B. Mariam, quàm quæ cōtra Sanctos: Et quæ contra Sanctos, quàm quæ contra alias creaturas; quamuis omnes ad vnā ſpeciem blaſphemiæ pertineant, cùm omnes in vnâ formali ratione obiecti conueniant. derogant enim omnes bonitati diuinæ, ſiue eſſentiali, quæ eſt in Deo, ſiue accidentali, quæ eſt in crea-

creaturis.

Secundùm, modum blaſphemandi: nam grauior eſt illa blaſphemia, quæ fit cum affectu deteſtandi, vel irridendi Deum, vel Sanctos, quàm quæ fit ex paſſione, vel quadam conſuetudine: Inſuper grauior illa, quæ fit expreſsè, quàm quæ fit implicitè: Et quæ fit malo affectu cum errore intellectus, quàm quæ fit ex ſolo prauo affectu, vel ſolo errore intellectus.

Tertium, & poſtremum, qualitatem perſonarum, locorum, temporum, occaſionis, & reliquarum circumſtantiarum.

Difficultas vnica: An ſit aliqua blaſphemia venialis?

Vnico caſu blaſphemia eſt peccatum veniale, *ſecundum omnes, & ſpecialiter D. Thomam 2.2.q.13. art. 2.* Nimirum propter imperfectionem actus, cùm non eſt ſatis deliberatus; putà cùm quis ſic prorumpit in blaſphemiam, vt non aduertat, quid dicat, vel quid verba blaſphemiæ ſignificent;

Quod verum eſt, etiamſi quis ex conſuetudine blaſphemet, modò inanimaduertẽtia prolationi blaſphemiæ cauſam dederit, ita quod, ſi aduertiſſet, illam non protuliſſet; quia hoc caſu blaſphemia eſt tantùm materialis, non formalis, *quicquid contradicat Syluester verb: blaſphemia nu. 4.*

Imò nullum erit peccatum, ſi quis blaſphemiam ita proferat, vt nihil omninò aduertat, ne ad verba quidem, quæ profert, vt contingit illis, qui vehementi motu iracundiæ, quæ vſum rationis aufert, blaſphemias proferunt.

Ex quibus ſequitur, non excuſari à mortali

illos, qui ludo, ebrietate, & ſimilibus de cauſis blaſphemias proferunt, quas aduertunt eſſe blaſphemias;

Quod etiam verum eſt, ſiue illi iuſtè commoti fuerint, ſiue iniuſtè, ſiue ſtatim pœnituerint, ſiue non; ſaltem quoad forum conſcientiæ, quicquid dicant quidam Canoniſtæ, & inter illos Panor. in c. ſtatuimus, de maledicis; quorum ſententia poteſt videri vera in foro exteriori.

Qvaestio secvnda.

Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum.

EX præmiſſis ſequitur; Primò, non incurrere hunc caſum illos, qui iurant per inhoneſta membra Chriſti, B. Mariæ virginis, & aliorum Sanctorum; vt faciunt meretrices, impij, & impudici homines, vel per honeſta membra, vt corpus, ſanguinem, caput Dei; Quia quicquid ſit de opinione vulgi, tales propriè loquendo non blaſphemant, nam poſtquam verbum caro factum eſt, Deus habet corpus, & ſanguinem, & alias humani corporis partes. Quod annotauit Nauarrus *c. 11. n. 35.* poſt Caietanum *in Summulâ verb. blaſphemia*, quamuis propter inſignem irreuerentiam tales, vt ferè ſemper, peccent mortaliter.

Secundò, neque illos, qui volentes iureiurãdo aliquid aſſirmare dicunt tam verum eſſe, quàm Deus eſt, vel quàm verum eſt Chriſti Euangelium, vel quàm Chriſtus eſt in Euchariſtia; Quia licet tales propriè loquendo blaſphement, *ſecundum Sotum lib. 8. de iuſt. & iure q. 2. art. 3.* tribuendo creaturæ, quod ſoli Deo conuenit;

diuina

diuina enim, & infallibilis veritas non conuenit creaturæ; tamen non videtur eſſe enormis blaſphemia, qualis hîc reſeruatur, *per illa, quæ præcedente quæſtione diximus definiendo, quid ſit enormis blaſphemia.*

Tertiò, neque Gallos, qui vulgato blaſphemãdi more ſuo idiomate dicunt, *Au deſpit de Dieu* hoc vel illud faciemus, ſiue illud ſit licitum, ſiue illicitum; quia quamuis blaſphement tacitè omnipotentiæ Dei detrahendo, quaſi illi aliquid facere poſſint, quod Deus non poſſit impedire, (*Quicquid contra dicat Baldus lib. 5. conciliorum conſ. q. 76.* Non videtur tamen enormis blaſphemia *per illa eadem, quæ superiore quæſtione diximus de enormi blaſphemiâ.*

Quartò, neque illum, qui coram duobus, vel tribus ſocijs ore impio B. Mariam virginem meretricem. Apoſtolos magos vocat, vel ſimilibus conuicijs nefariè proſcindit, ſi blaſphemiæ apud eos ſilentio ſepultæ fuerint, neque in plurium notitiam venerint; quia quamuis ſint enormes blaſphemiæ, quia tamen non ſunt publicæ per illa, quæ ſuperiore quæſtione diximus, non ſubiacent reſeruationi, quæ ſolùm comprehendit blaſphemias publicas, & enormes. Confirmatur, quia cùm plura neceſſariò requiruntur ad conſtitutionem alicuius, deficiente aliquo illorum, impoſſibile eſt illud eſſe, quia dato oppoſito, quod ſine illo poſſet eſſe, iam non neceſſariò requireretur ad conſtitutionẽ illius; Sicut quia ad conſtitutionem domus requiruntur neceſſariò fundamentum, paries, tectum, aliquo illo-

rum deficiente, non eſt domus; Sic quia vt blaſphemia cenſeatur reſeruata requiruntur duo, quod ſit publica & enormis, altero deficiente, deſinit reſeruatio.

Quintò, è contrario ſequitur incurrere hunc caſum illos, qui Deum, Chriſtum, Euangelium, fidem, ſacramenta, chriſma, (vt loquuntur) negant; Chriſtum, Apoſtolos, Moſen, Prophetas magos, & impoſtores B. Mariam virginem meretricem, ſodomiticam, & alijs impuris nominibus vocant, ſi hæc coram pluribus perſonis, quàm nouem dixerint *per illa, quæ ſuprà diximus, definiendo quid ſit publica, & enormis blaſphemia.*

Imò etiam incurrunt, ſi ſolùm coram duobus, vel tribus hæc protulerint, ſi illi pluribus manifeſtârint, ita vt ſit fama publica: Non eſt tamen neceſſarium, quod fama vſque ad aures Epiſcopi peruenerit, quod aſſerit Syluester *verb. blaſphemia q. 6.* Quia ad hoc vt quid dicatur publicum, iſtud non requiritur, vt ex præcedente quæſtione ſatis manifeſtum eſt.

Qvaestio tertia.

Quæ obſeruanda circa confeſſionem, & abſolutionem publicè, & enormiter blaſphemantis.

Circa confeſſionem obſeruandum non ſufficere dixiſſe pœnitentem, quòd blaſphemauit, ſed Confeſſarium inquirere debere, quam blaſphemiam protulerit, & coram quot perſonis, non quod blaſphemia publica, & enormis ab alijs ſpecie differat, ſunt enim eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ, ſed vt intelligere poſſit Confeſſarius, an ſit caſus reſeruatus,

tis, necne.

Circa abſolutionem aduertendum; Primò, An blaſphemia annexum habeat errorem intellectus, ſiue hæreſim propter excommunicationem Papæ reſeruatam.

Secundò, quod talis blaſphemus abſolui non debet abſque eo, quod arbitrio ſeueri Confeſſarij grauiſſima illa pœnitentia imponatur; Quod ſtatuit Concilium Lateran. vltimum *ſecundum Nauarrum c. 12. nu. 83.*

Quæ doctrina limitari debet, niſi iuſta ſubſit cauſa mitiorem præſcribendi *per illa, quæ habet idē Nauarrus c. 25. nu. 20.* Vbi multas recenſet cauſas, quare Confeſſarius minorem iuſtâ ſubinde imponat pœnitentiam; Cuius ratio eſt, quia omnes pœnitentiæ, ſiue quoad quantitatem, ſiue quoad qualitatem relinquuntur prudentis Confeſſarij arbitrio. *per c. menſuram, & c. Deus, de pœnit. & remiſſ. & c. tempora 26. q. 7.*

Difficultas vnica. Quo ſenſu dicitur Matth 12. blaſphemiā in filium hominis remitti poſſe, blaſphemiam verò in Spiritū ſanctum remitti non poſſe neque in hoc, neque in futuro ſæculo?

Dicendum ſcripturam ſacram docere, quàm plurimis locis, idque expreſſis verbis, omnia peccata remitti poſſe per pœnitentiam; ſubinde tamen ſic loqui, vt quædam dicat eſſe remiſſibilia, quædam irremiſſibilia: Remiſſibilia vocare illa, quæ ex ſe habent circumſtantias alleuiantes, & ad remiſſionem quodāmodo Deum prouocantes, vt ſunt illa, quæ fuerunt ex ignorantiâ, & infirmitate: Irremiſſibilia verò illa,

F 5 quæ

quæ non habent tales circumſtantias, vt ſunt illa, quæ fiunt ex merâ malitiâ; Sic quædam blaſphemia, quæ fit ex ignorantiâ, & inanimaduertentiâ, quæ ideò dicitur fieri in filium hominis, quia illi attribuitur ſapientia, dicitur remiſſibilis propter circunſtantiam alleuiantem peccatum, *de quâ aliquid ſuprà diximus.* Quædam verò blaſphemia, quæ fit ex certâ malitiâ, quæ ideò dicitur fieri in Spiritum ſanctum, quia illi attribuitur bonitas, dicitur irremiſſibilis in hoc, & in futuro ſæculo, quia non habet circumſtantiā excuſantem, ſed potiùs aggrauantem; Talis erat blaſphemia Phariſæorum, de quâ Chriſtus loco ſuperiùs allegato apud Matthæū loquitur, qui contra veritatem agnitam calumniabantur malitiosè doctrinam Chriſti, & eius miracula, illa diabolo aſcribentes, quæ tamen fiebant in digito Dei, hoc eſt, ſolâ virtute Spiritus ſancti.

CAPVT XX.

De inſigni contumeliâ illatâ ſacroſanctæ Euchariſtiæ, aut ſacris Sanctorum reliquijs vigeſimo caſu reſeruato.

Qvaestio prima.

Quid contumelia; & an omnis contumelia illata Sacroſanctæ Euchariſtiæ, aut ſacris Sanctorum reliquijs hoc loco reſeruetur.

DVæ ſunt partes huius quæſtionis.

Ad primam dicendum, quòd contumelia eſt ſpecies iniuriæ verbalis, *apud S. Tho-*

Thomam 2. 2. q. 72. Et propriè fit cùm verbis, aut ſignis æquipollentibus læditur honór, aut reuerentia alteri debita obijciendo illi aliquod vitium. *D. Thomas ſup. art. 1.*

Dixi, *aut ſignis æquipollentibus*, quia non fit tantùm verbis, licet verba in ſignificando principatum obtineant, *ſecundum D. Aug. lib. 2. de doctrinâ Chriſtianâ*, ſed etiam quibuſcunque rebus, quatenus illæ rationem ſigni induunt: contumelioſus enim eſt non ſolùm, qui alterum dicit nebulonē, perduellem, verumetiam, qui virum nobilem fuſte percutit, ſi, vt fieri ſolet, hoc agat, non vt illum lædat, ſed vt ignominiâ afficiat.

Contumelioſus etiam habetur hodie, ſicut & antiquitus apud Romanos, qui alteri naſum, vel pollicem oſtentat. Nam hæc ſigna hodie apud nos, ſicut & tunc apud illos, vilitatem, & abiectionem eius ſignificant, cui oſtentantur, *vt annotat Sotus lib. 5. de iuſt. & iure q. 9. art. 1.*

Contumelia, detractio, conuicium, improperium, etſi magnam inter ſe habeant affinitatem, multum tamen differunt apud Theologos, & ſpecialiter D. Thomam *2. 2. q. 72. art. 1. ad 3.*

Contumelia differt à detractione dupliciter; Primò, ratione obiecti, quia contumelioſus honorem lædere intendit, detractor famam. Secundò, ratione modi, quia contumelia fit in præſentiâ, detractio fit in abſentiâ; detractor enim veretur, & timet illum, cui detrahit, contumelioſus non item. Per accidens tamen fieri poteſt, vt detractio fiat in præſentiâ, & contumelia in abſentiâ. v. G. ſi de abſente quis mala loquatur, eâ

intentione vt ille intelligat de ſe malè dicta eſſe, eſt contumelia: Sed ſi de præſente malè loquatur, non vt eum contemnat, quem ſcit talibus verbis non moueri, ſed vt alij malam de eo opinionem concipiant, eſt detractio.

Differt quoque à conuicio, & improperio obiecto ſaltem materiali, nam qui, vt honorem lædat, obijcit malum culpæ, vt quod ſit concubinarius, hæreticus, latro, dicitur inferre contumeliam: Qui obijcit generaliter vitium ſiue culpæ, ſiue pœnæ, dicitur inferre conuicium, vitium enim non eſt ſolùm animæ, ſed etiam corporis: Qui obijcit alicui defectum indigentiæ, & præſertim beneficij accepti, vt quod hæc, vel illa à ſe acceperit, cùm mendicaret, dicitur proprie improperare. Dixi differre obiecto materiali, quia obiectum formale iſtorum trium idem eſt, nimirum, honore alterum ſpoliare.

Ex quo ſequitur; Primò, hæc tria non differre ſpecie, quia conueniunt in formali ratione obiecti.

Secundò, contumelioſum qualecunque peccatum obijciat, ſiue concubinatum, ſiue hæreſim, ſiue furtum, quæ ſpecie, imò genere inter ſe differunt, contumeliam tamen ſemper eſſe eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimę, cùm per illa peccata, qualiacumque ſint, ſolùm honoris lęſionem intendat, quam pro obiecto habet; Ab vnâ autem formali ratione obiecti certum eſt vnam tantùm ſpeciem conſtitui.

Vnde ſequitur tertiò non eſſe neceſſarium in confeſſione exprimere quam contumeliam

in particulari quis alteri obiecerit, quia, vt aliquoties diximus, in illâ non eſt neceſſarium infra ſpeciem ſpecialiſſimam deſcendere, neque circunſtantias ſpeciem non mutantes confiteri iuxtà communiorem, & probabiliorem ſententiam, quam hactenus ſecuti ſumus, quicquid dicat Sotus *l. 5. de iuſt. & iure q. 9. art. 1. ſub finem*, ſecutus ea, quę docuit in 4. contra communem ſententiam.

Ex ſupradictis non obſcurè colligitur contumeliam genere ſuo peccatum eſſe mortale cum obligatione reſtituendi.

Primum patet, quia lędit charitatem, & iuſtitiam; Imò maius peccatum eſt furto, & rapinâ, quia pluris fit honor, quàm bonum pecuniarium. Quę ſingula fuſiùs explicat *D. Thomas locis ſuprà allegatis.*

Dixi, *ex ſuo genere*, quia aliunde poteſt eſſe peccatum veniale.

Primò propter imperfectionem actus, idque dupliciter, vel quia non eſt plenè deliberatus, vt accidit cholericis, qui ſubito irę impetu prorũpunt in contumelias, quas non aduertunt; Vel quia vitium, quod obijcitur, leue eſt, & ſi cum plena deliberatione obijciatur.

Secundò, veniale eſt ſi ioco fiat, & non ita graue eſt, quod obijcitur; Imo ſubinde nullum erit peccatum, ſed potiùs actus virtutis, quę eutrapelia dicitur, ad quã pertinet bene conuiciari, *ſecundum Philoſophum lib. 4. Ethicorum c. 8.* cùm inter amicos recreationis, & delectationis ergo leuia quędã vitia hinc, inde lepidè obijciũtur, ſeruatis

uatis debitis circumſtantijs, vt nullus in honore lædatur, aut contriſtetur;

Dixi ſuprà, *& non ita graue eſt, quod obijcitur*, quia ſi graue eſt, quod obijcis, etiamſi iocandi gratiâ illud in medium proponas, mortale peccatum erit, ſi honorem alicuius notabiliter lædas, ſicut ſi ioco aliquem percutiens illum grauiter lædas, quia propter graue nocumentum, quod præcauere debuiſti, & non feciſti, actus redit in naturam ſuæ formæ, & cenſetur nocumentum illud voluntariè, & ex intentione procuratum eſſe.

Tertiò, veniale erit ſi graue quidem obijcitur vitium, ſed honor inde non magnum accipit detrimentum, vt accidit mulieribus, pueris, & ſimilibus hominibus infimæ ſortis, dum ſe mutuo conuicijs in rixâ proſcindunt.

Quartò, ſubinde nullum eſt peccatũ, vt dum ſuperior gratiâ correctionis inferiorem contumeliosè compellat, quomodo fecit Chriſtus Lucæ vltimo loquens Apoſtolis, *O ſtulti, & tardi corde ad credendum*: Et Apoſtolus Galatis loquens 3. c. ſuæ Epiſtolæ, *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit, &c.* Sed quia in nobis periculoſum hoc eſt, ideò D. Auguſtinus *lib. 2. de ſermone Domini c. 3.* dicit rariſſimè verba contumelioſa proferenda eſſe, etiam gratiâ diſciplinæ, quia exulcerant animos potiùs, quàm iuuant; eo quòd audientes difficulter ſibi poſſunt perſuadere talia ex charitate dici.

Secundum, annexam eſſe obligationem reſtituendi etiam patet, quia iniuria illata bono pecuniario reſarcienda eſt; quanto magis illata honori

honori, quæ eſt maior.

Quid, & quomodo pro tali iniuriâ reſtitui debeat, inquiritur à Doctoribus; Sylueſter, *verb. contumelia q. 4. poſt Nicolaum de lyrâ, & Abulenſem ſuper 5. cap. Matthæi*, docet contumelioſum teneri conuiciato ſatisfacere petendo veniam, hoc eſt, agnoſcendo per ſe, vel per interpoſitam perſonam apud læſum ſuam culpam, vel ſigna æquipollentia oſtendendo: Caietanus putat non teneri ad petendam veniam, ſed ſolùm ad ſatisfaciẽdum honori. Quomodo verò hæc ſatisfactio fieri poſſit ſine humiliatione ſui per verba, vel alia ſigna petendo veniam, non explicat; Videtur poſſe dici; quod honorem exhibendo illi, quem quis deshoneſtauit per ſigna ſolita honoris; vt caput ei aperiendo, & alia maiora pro ratione honoris ablati. Sic videtur docere *Couar. lib. 1. variarum reſolutionum c. 10. nu. 7.*

Ad alteram quæſtionis partem dicendum, reſeruari ſolùm illam cõtumeliam, quæ fit ſacroſanctæ Euchariſtiæ, & ſacris reliquijs, neque omnem illam, ſed inſignem.

Fit contumelia Euchariſtiæ, & ſacris reliquijs per hæreticos, & Catholicos, ſed differenter; Hæretici expreſſis verbis, cum intentione etiam honorem, & reuerentiam Sacroſanctæ Euchariſtiæ, & ſacris reliquijs debitam è medio tollẽdi; Catholici per accidens, dum Sacroſanctam Euchariſtiam, & ſacras reliquias indignè tractant, quod tamen culpâ mortali, eâque grauiſſimâ non caret, vt ſequenti quæſtione ſubiectis exemplis fiet manifeſtum.

Inſig-

Inſignis contumelia dicitur, quæ ſignis quibuſdam exterioribus, hoc eſt, circunſtantiâ inter alias eminet; Sicut Poëta *lib. 2. Aeneidos* vocat Æneam *inſignem pietate virum*, hoc eſt, pietate inter alios illuſtrem, & eminentem.

Quæ verò contumelia in particulari dicenda ſit talis, pendet ex prudentis viri arbitrio.

Quod arbitrium duo potiſſimum attendere debet; Primum, intentionem proferentis, ſi verbalis eſt contumelia, quia verba non lædunt, niſi quatenus ſignificant, quæ ſignificatio ex interiori proferentis affectu procedit, *vt docet D. Thomas 2. 2. q. 72. art. 2. Et ex Philoſophia notum eſt*; Vnde fit, vt Catholicus bene affectus Sacroſanctæ Euchariſtiæ, & ſacris reliquijs, rarò cenſeri debeat incurrere hunc caſum: frequentiſſimè verò hæreticus illis malè affectus. Secundum, qualitatem perſonarum, locorum, temporum, occaſionis, & reliquarum circumſtantiarum.

Qvaestio secvnda.

Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum.

EX præmiſſis ſequitur; Primò, non incurrere hunc caſum illum, qui ſumit Euchariſtiam in ſtatu peccati mortalis, quamuis Euchariſtiam contumeliâ afficiat, & peccet mortaliter; quia non poteſt, vt apparet, talis contumelia cenſeri inſignis; Nam occultum eſt, quô in ſtatu quis Euchariſtiam ſumat; Et ſi fortè notum ſit peccatum alicuius publicum, tamen ignotum eſt an verè de illo pœniteat, cùm in inſtanti infundi poſſit vera pœnitentia, & confeſſio ſacra-

ſacramentalis iuſtis de cauſis omitti poſſit, *vt alibi diximus.*

Secundò, neque illos, qui ſacramentum Euchariſtiæ laceris & ſordidis pannis inuoluunt, ſine clerico, & lumine ad ęgrotos ſecretò, idque ſine iuſtâ causâ deferunt, quamuis grauiter peccent; Similiter nec illos, qui ſacras reliquias abſque reuerentiâ circumferunt, vt ex illis quæſtũ faciant, licet hoc grauiſſimè prohibitum ſit; Vtriuſque vna eſt ratio, quia tantùm ſunt materiales contumeliæ, & præter intentionem commiſſæ: Et ſi illæ per craſſam negligentiam fortè redeant in naturam ſuæ formæ, tamen non videntur poſſe dici inſignes, cùm illę ſint, proh dolor! quotidianę, & longè maiores frequenter ſatis committi videamus.

Tertiò, è contrario ſequitur incurrere hunc caſum hereticos noſtri temporis, qui Sacroſanctum Euchariſtię Sacramentum Ioannem albũ vocant, canibus, & porcis impiè obijciunt, pedibus conculcant, & longè nefandioribus modis proſcindunt; Similiter & illos, qui ſacras Sanctorum reliquias in ignem, aut mare proijciunt, in pulueres redigunt, & pulueres ventis exponunt, quod impijſſimè, & contumelioſiſſimè frequentiùs factum eſſe ab hęreticis noſtri temporis ſcimus.

Poſtremò, & illos milites etiam Catholicos noſtri temporis, qui nec ſacris templis parcentes, ex eis ſacra vaſa aurea, & argẽtea, quibus ſacroſancta Euchariſtia, & ſacrę reliquię aſſeruari ſolent, aſportant, & contumelioſiſſimè, & impijſſi-

pijſſimè ſacratiſſimum Sacramentum, & venerandas reliquias in terram effundunt, & alijs indigniſſimis modis tractant.

Qvaestio tertia.

Quæ obſeruanda circa confeſſionem, & abſolutionem contumelioſè tractantis ſacram Euchariſtiam, aut ſacras Sanctorum reliquias.

CIrca confeſſionem primò aduertere debet Confeſſarius, non ſufficienter confiteri pœnitentem, ſi dicat contumelioſè tractâſſe ſacram Euchariſtiam, aut ſacras reliquias; Verùm illum debere particulatim explicare qualem contumeliam illis intulerit, non quod circumſtantiæ aggrauantes ſint neceſſariò confitendæ, ſed ad intelligendum reſeruationem.

Secundò obſeruare debet, an contumelia proceſſerit ex errore intellectus, an verò ex paſſione, vt ſpe lucri, aut ſimili: quia in priore eſt annexa excommunicatio Papalis per Bullam cœnæ Domini; in poſteriore non.

Circa abſolutionem primò videat, vt abſoluat ab excommunicatione, ſi fortè eſt incurſa.

Tertiò videat, an reſtitutio honoris facta ſit; qui enim coram pluribus inſignem aliquam cõtumeliam intulit Sacramento Euchariſtiæ, debet coram eiſdem, ſi fieri poteſt, Sacramento honorem ablatum reſtituere aperiendo caput, genu flectendo, & alia honoris, & reuerentiæ ſigna exhibẽdo pro ratione honoris ablati iuxta arbitriũ boni viri, *per illa, quæ in primâ quæſtione diximus.*

CAPVT

CAPVT XXI.

De abuſu Sacroſanctæ Euchariſtiæ, aut ſacrarum reliquiarum, vel etiā ſacræ ſcripturæ ad exercitium artium magicarum vigeſimo primo caſu reſeruato.

QVAESTIO PRIMA.

Quale peccatum adhibere Sacroſanctam Euchariſtiam, vel ſacras reliquias, vel ſacram Scripturam ad artem magicam exercendam.

PRo reſolutione huius quæſtionis nota duo; Primum, nomen magiæ receptum fuiſſe à principio pro arte, & facultate faciendi opera mirabilia, quæ nimirum communem hominum opinionem excedunt; quia verò talia opera fiunt ſubinde ſolâ induſtriâ humanâ per homines ingenioſos, ſubinde ſolis cauſis naturalibus adhibitis per Phyſicos, ſubinde etiā ope dæmonis adhibitâ, bene docet D. Auguſtinus *lib. 1. de ciuitate Dei c. 8.* triplicem eſſe magiam: Artificialem, per quam arte, & induſtriâ humanâ mirabilia fiunt, vt fieri videmus per funambulos, & circulatores: Naturalem, per quam, cauſis naturalibus adhibitis, ſtupenda quædam per Phyſicos excitantur, vt eſt illud, quod Ariſtoteles libro de naturalibus refert de lapide molari, qui in Tigride reperitur, quem ſi quis geſtat, non poteſt lædi à feris. Et illud, herbam chariſiam reperiri in monte Egero, quam ſi

mulier portârit, homines ad ſui amorem pelliciet: Et illud, quod de dictamo herba plures auctores tradunt, capras in Cretâ inſulâ, cùm eam ederint, ſagittas excutere: Et illud, herbam, quæ Pici dicitur, ſeras ferreas aperire: Et illud, quod Plinius refert *lib. 1. naturalis historiæ*, hominis ieiuni ſaliuam necem adferre ſerpentibus: Et illud, quod D. Auguſtinus narrat *lib. 21. de ciuitate Dei c. 4.* ſe vidiſſe annulum ferreum à magnete pendentem, qui ſecundum annulum trahebat, & ſecundus tertium, & conſequenter vſque ad certum numerum, vt veluti catena in aëre texi videretur: Item & illud, quod idem eodem lib. c. 5. refert, eſſe in Epyro fontem, in quo faces extinctæ accenduntur. Superſtitioſam, per quam auxilio dæmonis, adhibitis etiam quibuſdam rebus naturalibus, vel ſine illis, non tamen tanquam cauſis, ſed tanquam ſignis, hæc eadem, vel ſimilia fiunt. *Vide Franciſcum à Victoria relect. 12. de arte magicâ.*

Secundum, ex accommodatione vſus nomen magiæ fere ſemper accipi pro ſuperſtitioſâ, de quâ etiam intelligitur præſens quæſtio, & reſeruatio.

His prænotatis, dicendum eſt adhibere ſacram Euchariſtiam, aut reliquias Sanctorum, aut ſacræ ſcripturæ verba ad exercitium magiæ ſuperſtitioſæ, peccatum eſſe mortale, illudque ex grauiſſimis. Probatur, & explicatur, quia in vnum hunc caſum concurrunt ſacrilegium, & ſuperſtitio, quorum vtrumque mortale eſt, idque ex grauioribus: Nam ſacrilegium maximè illud,

lud, quod verſatur circa ſacramentum Euchariſtiæ inter omnes ſpecies ſacrilegij eſt prima. *Vt docet D. Thomas 2. 2. q. 99. art. 3.* Et magia ſuperſtitioſa prohibetur primo præcepto decalogi: Deinde religioni aduerſatur, quæ eſt inter virtutes morales præcipua, *vt explicat D. Thomas 2. 2. q. 81. art. 6.* nam cultum, & reuerentiam dæmoni exhibet propter pactum expreſſum, vel tacitum, quod cum illo habet. *De quâ quæſtione plura diximus c. 7. huius ſecundæ partis q. 1.*

Patet hoc ipſum ex pœnis, quibus omni iure magi afficiuntur; Iure diuino, extremo ſupplicio plectuntur, *Leuitici 20. Maleficos non patieris viuere*; Iure canonico, Primò ſunt ipſo iure infames. *6. q. 1. ca. infamis.* Secundò, debent excommunicari. *26. q. 5. can. Epiſcopi.* Tertiò, Eccleſiaſticus, ſi hoc crimen commiſerit, debet deponi ab omni beneficio ac officio, & detrudi in monaſterium ad agendam perpetuam pœnitentiam *26. q. 5. can. ſi quis Epiſcopus.* Vbi agitur de ijs, qui conſulunt huiuſmodi magos, *& ibidem can. non oportet*, Vbi agitur de ijs, qui exercent magiam: Intellige, ſi admoniti nolint deſiſtere, vt colligitur ex can. *quicunque ibidem.* Iure ciuili; Primò, omnis magus capitis ſupplicio feriendus eſt. *l. 1. c. de maleficis & mathematicis.* Secundò qui accuſat magum, præmio afficiendus eſt. *l. 3. ibidem.* Tertiò, quiuis poteſt capere magum, & iudici præſentare. *l. vltima.* Poſtremò, qui accuſatur de hoc crimine, etiamſi ſit in dignitate conſtitutus, etiam in aulâ Imperatoris reſidens debet tormentis ſubijci. *l. 7.*

Difficultas prima. An Sacroſancta Euchariſtia, & alia

Eccleſiæ Sacramenta ad exercitium artium magicarum adhibita aliquam vim habeant ad effectus mirabiles, quos magi patrare ſolent, producendos.

Dæmonis perſuaſio eſt maximè erronea, & ſaluti pernicioſiſſima ſacramenta aliquid valere ad effectus magicos producendos.

Probatur, & explicatur; nam omnes magiæ effectus vel ſunt apertè peccata, vt Pellicere pudicam mulierem ad amorem carnalem, Adigere hominem ad inſaniam, & ſimiles; Vel ſunt in ſe vani, ridiculi, curioſi, vt quod canis, vel ſtatua loquatur; Vel tendunt ad aliquem prauum finem, *vt docet D. Auguſtinus l. 10. de Ciuitate Dei c. 16.* Ad hæc nihil valent Sacramenta Eccleſiæ, minùs Sacramentum Euchariſtiæ. Ad nihil enim valent, niſi ad id, ad quod ſunt inſtituta, cùm omnem vim, & energiam habeant ab inſtitutione *ſecundum omnes*: Sunt autem inſtituta ad planè contrarios effectus, nimirum ad remiſſionem peccatorum, ad perficiendum hominem in gratiâ, & per illam hominem Deo in hâc, & in futura vita coniungendum; Ergo &c.

Hinc eſt, quod Canones loquentes de hoc peccato proprie vocant abuſum Sacramentorum. *17. q. 4. c. Si quis contumax. §. 1. & c. ſacrilegium*: Quẽ modum loquẽdi imitatur ipſa reſeruatio, cùm dicit, *Abuſus Sacroſanctæ Euchariſtiæ.*

Vnde conſequitur turpiſſimè deludi à dæmone illos, qui exiſtimant ſacratiſſimam Euchariſtiam in puluerem redactam, & potui mulieris immiſtam valere aliquid ad pelliciendum illam in ſui amorẽ, quod annotauit Grillandus *tractatu*

de

de Sortilegiis q. 3. nu. 16, poſt Gloſſam c. accuſatus §. ſanè de hæreticis in 6. Quia turpiſſimum eſt exiſtimare ſanctiſſimũ illud Euchariſtię Sacramentum immundiſſimis amorum ſpurcitijs præſtare ſuffragium: Deinde, mulier liberi eſt arbitrij, ſicut & vir; nõ poteſt ergo mulier pudica cogi, & vio ẽter trahi ad amandũ, nemo enim amat inuitus: Et ſi quædam mulieres captæ vehementi quodã amore dicant ſe cogi ad amandum, & inuitas amare propter poculum, quod vocant, amatorium, quod dicunt ſe ſumpſiſſe, cuius virtute ſic compelluntur, vt non poſſint non amare; ſunt nugæ, & dæmonis fallaciæ, quibus turpitudinẽ ſuam tales mulieres tegere ſolent. Non eſt tamẽ negandum magnas eſſe dæmonis vires, & fallacias, quibus plurimùm valet ad pudicas alioquin mulieres inflammandas ad turpes amores, remanente tamen ſemper integrâ arbitrij libertate, per quam gratiâ Dei adiutæ facilè reſiſtere poſſent, ſi vellent; quæ tanquam certa & euidentia in ſpeculatiuâ Theologiâ vlteriùs probare omitto.

Difficultas ſecunda. Quare Deus permittit dæmonem tam turpiter res diuinas, & ſacroſanctæ Eccleſiæ Sacramenta per magos deturpari.

Dicendum Deum ſic angelos, & homines ab initio condidiſſe, vt liberi eſſent arbitrij; Deum nolle legem, & ordinem naturæ à ſe conſtitutũ infringere; Verum ſicut dæmon in malo obduratus, Deo permittente, non deſinit turpiſſima quæque operari, & Chriſti gloriam, quantum in ſe eſt deprimere; Ita homo gratiâ Dei adiu-

 tus

rus poteſt eius ſuggeſtionibus quantumuis violentis, & importunis reſiſtere, & Chriſti gloriam viriliter reſiſtendo quotidie magis ac magis promouere. Sed hæc ad Theoriam magis ſpectant.

Qvaestio secvnda.

Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum.

EX præmiſſis ſequitur; Primò, non incurrere hunc caſum illos, qui ſacras reliquias, vel verba ſacræ ſcripturæ in collo appenſa deferunt, quò à malis tum corporis, tum animi præſeruentur, Putà verba Pſalmi 115. *Dirupiſti, Domine, vincula mea.* Quæ Caſſiodorus in illum locũ pſalmi plurimum valere dicit recitantibus illa ter in extremis: Et verba Euangelij ſecundum Ioannem. *In principio erat verbum, &c.* Si modò abſit ſuperſtitio, Quod quomodo deprehendi poſſit diximus *c. 8. huius 2 partis q. 1.*

Secundò, neque illos, qui ſententias, & verba ſacræ ſcripturæ ad fabuloſa, vanaq́, adulationes, detractiones, libellos famoſos abutuntur, quamuis grauiter peccent, & grauibus pœnis per Epiſcopos coërceri debeant, Vt ſtatuit Cõc. Trid. *ſeſſ. 4. de editione, & vſu ſacrorum librorum, ſub finem.*

Tertiò, neque illos, qui magijs ſuis admiſcẽt aquam benedictam, candelas benedictas, agnos Dei conſecratos, ramos oliuarum, aut frondes palmarum; Quia de his reſeruatio mentionem non facit, quamuis peccent mortaliter; Et ſi per illa nocumentum alicui inferant, incurrent alium caſum maleficij, vel veneficij. Magos verò ſo-

rò ſolere prædictis vti ad effectus magicos producendos teſtatur Grillandus tractatu de ſortilegijs *q. 11. nu. 21.* Imò nec illi incurrunt hunc caſum, de quibus ibi Grillandus meminit, qui ad ſuos magicos effectus producendos aſſumunt oleum ſacrum baptiſmatis, Confirmationis, aut extremæ vnctionis per eandem rationem, quià hæc ſacramenta, vel ſacramentalia non ſunt illa, de quibus meminit reſeruatio.

Quartò, è contrario ſequitur incurrere hunc caſum illos, qui hoſtiam conſecratam in pulueres redigunt, aut minutim proſcindunt, & recitatis quibuſdam nefandis verbis, ſumunt, partim illi, à quâ amari volunt, ſumendam in cibo, aut potu porrigunt, vt patet. De quibus impijs hominibus loquitur Grillandus ſup.

Quintò, & poſtremò, & illos Sacerdotes, qui, ſumptâ veſte lugubri, Miſſas mortuorum celebrant pro viuentibus, vt illi, pro quibus ſacrificium offerunt, citiùs moriantur. Quâ verò pœnâ puniendi ſunt tales, habet *c. quicumque Sacerdotum 26. q. 5.* Proprio enim ordinis gradu deponuntur, & exilij perpetui ergaſtulo relegantur.

QVAESTIO TERTIA.

Quæ obſeruanda circa confeſſionem, & abſolutionem abutentis ſacroſanctâ Euchariſtiâ, aut ſacris reliquijs, aut Sacris ſcripturæ verbis ad artes magicas.

CIrca confeſſionem; Primò videat Confeſſarius an Magus his abuſus fuerit ex errore intellectus, an verò ſolâ paſſione ductus, hoc eſt, an vſus fuerit Sacroſanctâ

Euchariſtiâ, vel ſacris reliquijs, aut ſacris verbis veluti cauſis ad effectus magicos producendos, an verò vti ſignis tantùm, quibus ex pacto cum dæmone inito prolatis, ipſe dæmon operatur, quæ aliàs non eſſet operaturus; Quia in priore caſu eſt hæreſis cum excommunicatione Papali: In poſteriore non.

Secundò (quia Magi ferè ſemper abutuntur Sacroſanctâ Euchariſtiâ ad impurum amorem mulierum ſibi conciliandum, vt ex ſuperioribus quæſtionibus manifeſtum eſt, & ipſe Grillandus in ſuo tractatu de ſortilegijs q. 3. nu. 18. ſub finem annotauit:) aduertat Confeſſarius Magum pœnitentem debere confiteri qualium mulierum amorem ſibi conciliare ſtuduerit, an virginum, an coniugatarum, an Deo conſecratarum; Quia illi amores ſpecie diſtinguuntur.

Circa abſolutionem quid obſeruandum ſit, ſatis clarum eſt ex ſuperioribus.

CAPVT XXII.

De caſibus quibuſcumque occultis Sedi Apoſtolicæ reſeruatis; Item excommunicatione, ſuſpenſione, & irregularitate ex his prouenientibus, quorum abſolutio, vel diſpenſatio Epiſcopis, & Vicarijs per eos ad id ſpecialiter deputandis per Conc. Trid. permittitur. 22. *& vltimo caſu reſeruato.*

Qvaes-

QVAESTIO PRIMA.

Quis caſus cenſeri debet occultus, & quid excommunicatio, ſuſpenſio, irregularitas.

VT hanc quæſtionem vtiliſſimam intelligas, duo notare debes;

Primum, habenda ſunt præ oculis verba Concilij Trid. *Seſſ. 24. de reformat. c. 6.* quæ ſic habent: *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus (exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentioſum) diſpenſare, & in quibuſcunque caſibus occultis, etiam Apoſtolicæ Sedi reſeruatis, delinquentes quoſcumque ſubditos in Diœceſi ſuâ per ſeipſos, aut Vicariũ ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ gratis abſoluere. Idem & in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ eis tantùm, & non eorum Vicarijs ſit permiſſum.*

Secundum, reuocandum eſt in memoriam quod *c. 19. q. 2.* diximus, Occultum dici tribus modis: Primò, quod non eſt naturâ ſuâ probabile. Secundò, quod probabile eſt, ſed probari non poteſt, quia nemo notitiam illius habet. Tertiò, quod probari quidem poteſt, ſed difficulter, quia pauci eius notitiam habent, nec in forum contentioſum deductum eſt, aut orta aliqua fama.

His præcognitis, ad priorem quæſtionis partem dicendum; Per caſus occultos Sedi Apoſtolicæ reſeruatos, qui vigore Concilij Trid. loco præfato Epiſcoporum quorumcunque iuriſdictioni permittuntur, non poſſunt intelligi illi, qui primo modo dicuntur occulti, quia illi non ſubſunt iudicio Eccleſiæ: Eccleſia enim de il-

lis, quatenus tales ſunt, cognoſcere non poteſt, ſolus etenim Deus eſt ſcrutator renum, & cordium. Atque ita Eccleſia illos reſeruare, aut alteri permittere non poteſt; Sed videntur intelligi debere illi, qui ſunt occulti ſecundo, & tertio modo, quod etiam videtur velle Nauarrus *c. 27. nu. 255.*

Occulti ergo caſus hoc loco ſunt illi, qui nō ſunt publici, ſed à paucis ſciuntur, & poſſunt aliquâ tergiuerſatione celari.

Huic interpretationi conformis eſt ratio, quia quod occulti caſus Sedi Apoſtolicæ reſeruati permittantur Epiſcopis non publici, hoc ideò videtur eſſe, vt obuietur ſcandalo publico, cui ſatis obuiatur reſeruando Summo Pontifici ſolùm caſus quoſdam grauiores, notorios, manifeſtos, famoſos, & permittendo Epiſcopis illos, qui licet cognoſcantur, & probari poſſint, non tamen per multos, ſic vt magnum inde ſcandalum naſci poſſit.

Caſus Sedi Apoſtolicæ reſeruati, qui hodie Epiſcopis, & eorum deputatis permittuntur, ſi modò occulti fuerint, habētur priore parte huius tractatus c. 5. q. 1.

Hoc ſolum addendum hîc eſt, quod hæreſis occulta ſic permittatur Epiſcopis, vt non eorum Vicarijs, ſic enim habet Conc. Trid. ſup. *Idem & in hæreſis crimine eis tantùm, & non eorum Vicarijs ſit permiſſum.*

Ad alteram quæſtionis partem breuiter dicēdum, quod Excommunicatio eſt cenſura Eccleſiaſtica, quæ priuat communione Sacramētorum

rum tantùm, aut ſacramentorum, & hominum.

Explicationem maiorem omitto, quia non fuit intentionis noſtræ agere de cenſuris, id ſolum de caſibus.

Hoc ſolum dico, quod Cenſura in præſenti materiâ nihil eſt aliud, quàm correctio Eccleſiaſtica, per quam Eccleſia punit quædam crimina grauiora.

Ex qua definitione, & verbis Conc. Trid. ſuperiùs allegatis facilè cuilibet colligere eſt excõmunicationem non eſſe caſum, ſiue peccatũ, ſed illud præſupponere, & ex illo prouenire; Peccatũ enim à liberâ hominis voluntate procedit, Excommunicatio propter peccatum ab extrinſeco, Eccleſiâ ſcilicet etiam inuito infligitur.

Suſpenſio eſt cenſura Eccleſiaſtica, quâ perſonæ Eccleſiaſticæ prohibetur exercitiũ ſui ordinis, officij, iuriſdictionis, aut beneficij in totũ, vel in partem, ad certum tempus, vel in perpetuum ob peccatum ſuum, idque vel à iure, vel à iudice.

Irregularitas eſt nota, ſeu impedimentum canonicum ex facto, vel defectu proueniens, qua quis ad Eccleſiaſticum ordinem promoueri, & in eo iam promotus miniſtrare prohibetur.

Solùm hîc obiter notandum eſt Irregularitatem in hoc differre imprimis ab excommunicatione, & ſuſpenſione, quod non ſit cenſura, ſed potiùs inhabilitas quædam ad officia Eccleſiaſtica, quæ ſubinde ex peccato, ſubinde etiam ſine peccato ex vitio aliquo naturali prouenit. *vt alibi latiùs explicabimus.*

QVAES-

Qvaestio secvnda.

Qui incurrunt, vel non incurrunt hunc caſum.

HVic quæſtioni, quæ latiſſima eſt, breuiſſimè reſpondemus non incurrere illos, qui incidunt in peccata Sedi Apoſtolicæ reſeruata publica, notoria, manifeſta, quia illa non permittuntur Epiſcopis, *vt patet.*

Incurrere è contrario illos omnes, qui incidunt in peccata Sedi Apoſtolicæ reſeruata, ſi ſint occulta, vt ferè ſunt Simoniæ, Eccleſiarum effractiones, & earundem ſpoliationes, falſificationes litterarum Apoſtolicarum, & ſimilia, quia talia iuriſdictioni Epiſcoporum, & deputatorũ ad hoc ſpecialiter per ipſos permittuntur per Conc. Trid. ſup.

Qvaestio tertia.

Quæ obſeruanda circa confeſſionem, abſolutionem, & diſpenſationem incurrentium hunc caſum.

CIrca confeſſionem obſeruet Confeſſarius pœnitentem, qui in caſum Sedi Apoſtolicæ reſeruatum incidit, declarare debere, An ſolitarius hoc peccatum commiſerit, an verò in præſentiâ aliquorum hominum, vt intelligere poſſit, an caſus ſit occultus, an publicus, & quis ab illo poſſit, vel non poſſit abſoluere.

Circa abſolutionem aduertat; Primò, quod poteſtas abſoluendi conceſſa hoc loco Epiſcopis, vel eorum deputatis reſtringitur ad ſubditos

Epiſ-

Epiſcoporum, & delegatorum per hæc verba, *delinquentes quoſcunque ſibi ſubditos.*

Secundò, quòd abſolutio valet tantùm in foro conſcientiæ, non in foro exteriori, & contentioſo: hoc enim expreſsè dicit Concilium; Quod quomodo intelligendum ſit, & quomodo pœna in foro conſcientiæ, quantumcũque magna, non impediat, aut minuat pœnam imponendam in alio foro, contentioſo, canonico, aut ciuili, explicauimus *c. 1. huius ſecundæ partis q. 3.*

Tertiò, quòd Epiſcopi, & eorum deputati abſoluere debeant gratis, intellige ſemper in eodem foro conſciẽtiæ; Quia in foro exteriori ſubinde laudabiliter abſoluunt, impoſitâ mulctâ pecuniariâ, quod praxis Eccleſiæ vniuerſalis probat.

Quartò, quod non niſi impoſitâ Pœnitentiâ ſalutari poſſint abſoluere; Excipe articulum mortis, in quo quilibet Sacerdos quoſcumque à quibuſcunque etiam publicis criminibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis abſoluit, nullâ impoſitâ pœnitentiâ; illa enim fruſtra iam iam morituro imponeretur.

Quintò, quod Vicarij Epiſcoporum, inquantum tales, non poſſint abſoluere ab hæreſi, ſiuę illa ſit occulta, ſiue publica, ſiue res agatur in foro interiori, ſiue exteriori; Quia ſoli Epiſcopi abſoluere poſſunt, nec illi quidem in omni foro, ſed ſolùm conſcientiæ per illa verba ſuperiùs allegata, *Idem & in hæreſis crimine.*

Dixi, *inquantum tales*; quia ex alia qualitate, putà ſi ſint inquiſitores, vt aliqui ſunt in hac

Dicœ-

Diœceſi, vel priuilegium ſpeciale ad id habeant à Summo Pontifice; vt etiam plures habent in hâc Diœceſi, poterunt abſoluere ab hæreſi etiã publicâ, idque in vtroque foro.

Sextò, & poſtremò, quòd Epiſcopus concedens facultatem abſoluendi ab omnibus caſibus ſuis, & cenſuris non debet ſtatim cenſeri communicare poteſtatem per Conc. Trid. hoc loco ſibi attributam, ſed debet Epiſcopus eius mentionem ſpecialem facere, ſic enim habet Concilium, *Per ſeipſos, aut Vicarium ſpecialiter ad id deputandum.*

Circa diſpenſationem obſeruet; Primò, quòd poteſtas diſpenſandi in irregularitatibus communicata hoc loco Epiſcopis, & eorum Vicarijs reſtringitur ad irregularitates prouenientes ex delicto, ſunt vero innumeræ aliæ, quæ ex vitio naturæ proueniunt, *vt ſuprà obiter inſinuauimus in definitione irregularitatis*, in quibus non poteſt diſpẽſare Epiſcopus, minùs eius Vicarius; Deinde ad irregularitates prouenientes ex delicto occulto; Quare non poterit diſpenſare, ſi irregularitas oriatur ex crimine publico.

Obſeruet ſecundò, quod ab hac facultate diſpẽſandi excipitur primò irregularitas, quæ prouenit ex homicidio voluntario etiam occulto. Secundò, excipiuntur omnes excommunicationes, ſuſpenſiones, & irregularitates deductæ ad forum contentioſum.

Non debet quemquam mouere, quod verba reſeruationis faciant mentionem excommunicationis, & nos ſimiliter in quæſtione prima huius

huius capitis, cùm tamen Concilium Trid. nullam illius mentionem faciat; Quia Concilium dans facultatem Epiſcopis abſoluendi à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ſatis cenſeri debet dediſſe poteſtatem abſoluendi ab excommunicatione Sedi Apoſtolicæ reſeruata; nam, *ſicuti priore parte cap. 5. q. 1. diximus*, nullus caſus cenſetur Summo Pontifici, vel ſanctæ Sedi reſeruatus, niſi propter excommunicationem annexam illi reſeruatam.

Difficultas prima: Si occultus Symoniacus in beneficio obtineat abſolutionem ab Epiſcopo, vel eius Vicario, aut Pœnitentiario ab excommunicatione, & Symoniâ vigore facultatis per Conc. Trid. illis conceſſa, poteritne deinceps tutâ conſcientiâ beneficium ſic acquiſitum retinere?

Non poterit, quia abſolutio ab excommunicatione, & peccato Symoniæ, quam accipit, nō dat illi titulum iuſtum ad bĕneficium poſſidendum; Cùm igitur tale beneficium vacet, neceſſum eſt inſuper illi per ſe, vel per alium iuſtum titulum impetrare, aut beneficium dimittere.

Difficultas ſecunda: Si occultè ſuſpenſus ab exercitio ordinis, quia ſacros ordines ſuſcepit ante iuſtam ætatem, abſoluatur vigore eiuſdem facultatis à ſuſpenſione, & peccato, poteritne deinceps vigore illius abſolutionis miniſtrare in ordine ſuſcepto?

Non poterit, quia illa abſolutio non eſt diſpenſatio in irregularitate, quam incurreret, ſi ante iuſtam ætatem in ordine miniſtraret;

Neque talem iuuabit, ſi dicas Epiſcopum diſpenſare poſſe eadem facultate in irregularitate

occul-

occulta; quia verum eſt ſolùm de irregularitate, quæ oritur ex delicto, qualis non eſt iſta, quæ oritur ex defectu ætatis, cuius diſpenſatio pertinet ad Summum Pontificem, *iuxta gloſſ. c. final. de temp. ord. lib. 6.* Conſilium ergo tali dandum eſt, vt expectet iuſtam ætatem antequam miniſtret, aut à Summo Pontifice obtineat diſpenſationem, aut ab alio Pontificia facultate munitò.

Finis poſterioris Partis.

AD MAIOREM DEI GLORIAM, ET PECCATORVM NOSTRORVM INDVLGENTIAM.

VENE-

VENERABILIBVS IN CHRISTO DOMINIS DIOECESIS Leodienſis Paſtoribus.

Raros in oppidis, & pagis teutonicis reperiri Sacerdotes, qui ſacris confeſſionibus excipiendis vacare velint, non ſemel queſti eſtis, non aliâ ratione, quàm quod plerique eorum, examen à Sacro Concilio Tridentino Confeſſariis probandis præſcriptum refugiant; aſſerentes vnicum huic malo remedium eſſe, ſi aliqua Examinis illius forma facilis, & ad captum rudium, & ſimplicium Sacerdotum, (quales plerique ijs in locis reperiuntur) conſcriberetur, illuq́ ante examen ipſum prælegenda, & addiſcenda traderetur. En ſatisfacimus pijs veſtris deſiderijs formamq́, & rationem huiuſmodi examinis per DD. Examinatores in hâc Diœceſi iuxta Concilij Tridẽtini decreta deputatos ſeruari ſolitam penè totidem verbis, quibus illi in examine vtĩ ſolent, expreſſam vobis tradimus. Si, vt confiditis, plures huius examinis facilitate allecti, ſe huic ſacro oneri ferendo, vobisq́ deinceps in ſacris confeſſionibus excipiendis, pœnitentibusq́ iuuandis ſint adiumento, non mihi, ſed vobis poſt Deum gratiæ agendæ erunt, qui huius qualiſcunque ſcripti auctores, & promotores fuiſtis.

Amicus, & in Christo
ſeruus veſter,

IOANNES CHAPEAVILLE.

EXAMEN CONFESSARIORVM.

Quô ſummatim proponuntur ea omnia, quæ ſcire conuenit eos, qui ſacris confeſsionibus excipiendis præficiuntur.

Quot ſunt qualitates requiſitæ in Confeſſario?

QVINQVE; ſcientia, poteſtas, bonitas, ſecretum, & prudentia.

Quæ ſcientia requiritur in Confeſſario?

Ea, quâ poſſit diſcernere inter peccata, & nõ peccata, inter mortalia, & venialia: Deinde inter caſus reſeruatos, vel non reſeruatos: Inſuper inter peccata, quæ habent annexam excommunicationem, vel non habent: Præterea inter excommunicationes, quæ ſit maior, vel minor, reſeruata, vel non reſeruata: Item, quibus peccatis annexa ſit obligatio reſtitutionis, vel non: demùm quæ circumſtantiæ peccatorum ſint cõfitendæ, vel non: Tandem qui contractus ſint vſurarij, vel non, legitimi, vel illegitimi: Poſtremò quibus ex cauſis iteranda ſit confeſſio, & neganda abſolutio.

Quid ſi quis necdum aſſecutus eſt omnimodam horum ſcientiam, non poterit præfici audiendis ſacris confeſſionibus?

Pote-

Poterit, ſi tantam ſaltem habeat, vt nôrit diſcernere in communi inter peccata mortalia, & venialia, & ſciat in quibus caſibus poſſit abſoluere, vel non poſſit abſoluere, & de cæteris ſupradictis ad minus ſciat dubitare, ad libros caſuum conſcientiæ recurrere, vel doctores prudenter ſine pœnitentis reuelatione conſulere: Alioquin ſi hæc omnia ita ignorat, vt ne quidem dubitare, & ſuper illis conſulere ſciat, putà quia credit omnem ſuperbiam, auaritiam, gulam, iram, inuidiam eſſe peccatum mortale, peccat, & qui præficit, & qui præficitur, & confeſſiones huiuſmodi Confeſſario factæ nullæ ſunt, & iterandæ..

Quibus modis diſcerni poteſt peccatum mortale à veniali?

Traduntur à Doctoribus tres Regulæ. Prima, peccata, quæ in ſacris ſcripturis, vel canonibus dicuntur abominabilia, execranda, Deo exoſa, digna morte, excludere à regno cælorum, cenſeri debent mortalia. Secunda, quæ doctores communi conſenſu docent eſſe mortalia, vel à pijs, & doctis Chriſtianis vt talia vitantur, vel certè talia exiſtimantur, habenda ſunt talia, nõ venialia. Tertia, peccata, quæ grauiter repugnant charitati Dei, aut proximi, ea cenſeri quoque debent talia; quæ verò rationi quidem diſſonant, & à lege nobis traditâ exorbitant, non autem tantoperè lædunt charitatem, quam Deo, proximis, & nobis ipſis debemus, ea exiſtimanda ſunt venialia,

Poteſtne peccatum mortale fieri veniale?

Poteſt, idque generatim duobus modis; Primò ex leuitate materiæ: vt furari ex genere mortale eſt, tamen furari aliquid parui valoris, vnde parùm, vel nihil læditur proximus, non eſt mortale. Secundò, ex imperfectione actus, quia non eſt perfectè deliberatus, & voluntarius, vt cùm quis ſubito motu vult vindictam; Nam paruitas materiæ, & imperfecta deliberatio in omni materiâ de mortali faciunt veniale.

Poteſtne contrà id, quod eſt veniale, fieri mortale?

Poteſt; primò, ſi finis vltimus in veniali conſtituitur; vt ſi quis faciat peccatũ veniale, quod paratus eſt, etiamſi mortale eſſet, exequi.

Secundò, ſi veniale peccatum ordinatur in peccatum mortale; vt ſi quis dicit mendacium iocoſum propter adulterium.

Tertiò, quando conſtat ſecuturum aliquod peccatum mortale, vt ſi quis proferat leue mẽdacium ſciens quod ſequetur graue ſcandalum.

Poſtremò, ſi conſciẽtia eſt erronea, vt ſi quis proferendo iocoſum mendacium putet ſe peccare mortaliter, & tamen illud proferat, peccat mortaliter; talis enim habet animum peccandi mortaliter, licet ille actus verè non ſit peccatum mortale.

Quæ poteſtas requiritur in Confeſſario?

Poteſtas ordinis ſacerdotalis; Nemo enim poteſt à peccatis abſoluere præter Sacerdotes, quibus dictum eſt à Chriſto Ioannis 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

Eſtne opus aliâ poteſtate ad remittendum peccata?

Eſt

Eſt opus, videlicet poteſtate iuriſdictionis.

Quare?

Quia, cùm Sacerdos ſit iudex in foro pœnitentiæ, non poteſt abſoluere niſi illum, in quem habet iuriſdictionem ſiue ordinariam, ſiue delegatam.

Quis dat huiuſmodi iuriſdictionem Sacerdotibus?

Summus Pontifex, qui in omnes fideles iuriſdictionem habet, poteſt illam communicare omnibus Sacerdotibus: Epiſcopus verò Sacerdotibus ſuæ Diœceſis.

Qui cenſentur habere ordinariam iuriſdictionem?

Qui ex officio illam habent: Sic ſummus Pōtifex ratione officij paſtoralis, quod habet in omnes fideles, & Epiſcopi, Decani, Paſtores ratione officiorum, quæ in ſibi ſubditos exercent, ordinariam habent iuriſdictionem.

Qui cenſentur habere delegatam?

Ij, quibus à ſuprà nominatis committitur, vt Religioſi, quibus à ſummo Pontifice, & alij ſimplices Sacerdotes, quibus committitur ab Epiſcopis, Decanis, Paſtoribus.

Potéſtne ergo ſimplex Sacerdos à Decano aliquo, vel Paſtore rogatus vt confeſſiones ſacras excipiat, ſine alio examine præuio illas excipere?

Non poteſt, ſic enim grauiſſimè Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 15.* ſanciuit.

Nullum presbyterum etiam regularem poſſe confeſſiones ſæcularium etiam ſacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficiũ, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus

iudicetur, & approbationem obtineat.

Quid ſi de facto ſine præuiâ approbatione cõfeſſiones audiat, erunt validæ abſolutiones per eum impenſæ?

Non erunt. ſic Illuſtriſſimi Cardinales ad interpretationem Conc. Tridentini deputati reſoluerunt, & verba Concilij ſuperiùs allegata interpretati ſunt.

Quid ſi fuerit approbatus in aliquo loco, vt ſit adiutorio alicui Paſtori, poterítne, ſi mutet locum, ſeruire alteri Paſtori, nullâ aliâ præuiâ approbatione?

Non poterit; quia non fuit probatus ſimpliciter, ſed ſolùm pro tali loco; clarum eſt autem requiri maiorem ſcientiam in eo, qui auditurus eſt confeſſiones in ciuitate, quàm qui auditurus eſt in pago ruſticorum, & ſimplicium hominũ; Maiorem etiam in eo, qui auditurus eſt in vno pago, quàm in alio, pro diuerſitate artium, & negotiationum, quæ ſolent exerceri in vno vico, & non in alio.

Quid ſi quis probatus fuit, vt confeſſiones excipiat in Ciuitate, vel alio celebri loco, poterítne audire confeſſiones in pago, vel alio minùs celebri, nullâ aliâ præuiâ approbatione?

Non poterit; quia etſi ſit eadem, eáque ſufficiens doctrina, non erit forſan eadem vitæ probitas, de quâ non minùs, quàm de doctrinâ examen fieri debet.

Eſtne vitæ probitas requiſita Confeſſario?

Eſt, ſi inculpatè velit ſuo officio fungi; nam qui in peccato mortali audit confeſſiones, peccat mortaliter, propter irreuerentiam, & ſacrilegium, quod in ſacramentum committit.

Potéſtne

Potéſtne ergo malitia Confeſſarij obeſſe pœnitentibus?

Non poteſt, quamdiu talis toleratur ab Eccleſiâ: Secùs ſi ab officio ſuſpendatur, tum enim, deficiente iuriſdictione, confitentes ſibi quamuis pœnitentes abſoluere nequit.

Quarum rerum ſecretum requiritur in Confeſſario?

Primò omnium, & ſingulorum peccatorum mortalium. Secundò omnium, & ſingulorum peccatorum venialium quãtumuis leuium. Tertiò quorumcumque aliorum, quæ licet peccata non ſint, ſunt tamen talia: quæ ſi detegantur poſſent in cognitionem alicuius peccati mortalis, vel circunſtantiæ, vel venialis particularis confeſſi deueniri. Poſtremò & omnium aliorum, quæ directè, vel indirectè verecundiam, vel ruborem, vel ſiniſtrã ſuſpicionẽ, vel quodcunque aliud nocumentum generare poſſent pœnitenti.

Potéſtne aliquâ de causâ ſecretum hoc propalari?

Nullâ prorſus de causâ; Eſt enim, vt benè Doctores dicunt, ſecretum ſecretorum, fundatum in iure naturali, diuino, & humano. Quare nullius præcepto, nullius etiam mortis timore, nullius commodi, vel lucri amore, debet quis audita in confeſſione propalare.

Potéſtne ſaltem de conſenſu confitentis Confeſſarius illa reuelare?

Poteſt; ſed non expedit; Meliùs enim multò eſt, vt confitens ipſemet reuelet factum ſuum, ne Confeſſario putetur licere aliquando reuelare confeſſionem.

Quæ prudentia requiritur in Confeſſario?

Primò, vt videat, ac iudicet, an confitens ſit

verè pœnitens, hoc eſt, an habeat veram contritionem, confeſſionem & ſatisfaciendi propoſitum, vel non. Secundò, vt ſi verè pœnitens videatur, à peccatis abſoluat: ſi non, retineat, vel ad veram confeſſionem, contritionem, & ſatiſfactionem bonis rationibus inducat.

Quid eſt contritio?

Eſt voluntaria præteritorum peccatorum, vt Dei offenſiua ſunt, ſuper omnia, deteſtatio, cum propoſito futura ſuper omnia vitandi, & commiſſa confitendi.

Quid eſt peccata deteſtari?

Eſt nolle peccâſſe.

Quare dicis in definitione, voluntaria deteſtatio?

Quia contritio debet eſſe actus ſpontaneus, & liber, qui in noſtrâ ſit poteſtate, præſuppoſito tamen auxilio diuino.

Quare dicis, vt Dei offenſiua?

Quia non ſufficit nolle peccâſſe, ideò quod peccatum malum aliquod adfert, putà quia ebrietas caput offendit, aut crumenam euacuat, ſed quia Deum offendit.

Quare dicis, ſuper omnia?

Quia, vt pœnitens habeat contritionem, debet ſic deteſtari peccatum, vt velit potiùs quodcumque malum ſubijſſe, quàm peccâſſe: nihilque debet magis abhorrere, quàm Deum offendiſſe; Et hoc eſt deteſtari peccatũ ſuper omnia, ſeu, vt alij loquuntur, ſuper omne deteſtabile.

Debétne ergo pœnitens, vt contritus cenſeatur, has collationes in particulari facere, mallem hoc, vel illud ſubijſſe quàm peccâſſe?

Non

–Non debet: ſunt enim periculoſæ huiuſmodi collationes aliquando, & poteſt dæmon homines his illaqueare: Verum, ſi quis eas facit, bonæ ſunt; non tamen debet quis ſe huiuſmodi periculis exponere, ſufficit enim in generali ita peccatum deteſtari, vt nihil magis deteſtetur, quàm Dei offenſam, velitque non offendiſſe potiùs, quàm ſubijſſe quodcumque malum.

Quare dicis cum propoſito vitandi futura ſuper omnia?

Quia niſi quis proponat in poſterum ſe potiùs paſſurum quodcunque malum etiam mortem, quàm offenſurum Deum, non eſt contritus. Quamuis, vt ante diximus, ſufficit hoc in generali proponere, cum diuino auxilio, nec debeat quis cum huiuſmodi collationibus ſe dæmonis tentationibus exponere.

Quare dicis, cum propoſito confitendi?

Quia poſt legem gratiæ confeſſio Sacerdoti facienda eſt in præcepto, cui ſatisfacere, quantum in ſe eſt, debet pœnitens.

Concubinarius deteſtans concubinatum, & proponens abſtinere propter Dei offenſam, debétne cenſeri eſſe contritus?

Nõ debet, niſi inſuper cõcubinam domo eijciat.

Non ſufficit ergo à concubinatu abſtinere?

Non ſufficit, ſed, vt diximus, neceſſum eſt concubinam, quæ eſt propinqua peccati occaſio, domo pellere; ſcriptum eſt enim: *Qui amat periculum, peribit in illo.*

Quid ſi ſenio, vel morbo, vel aliter factus eſt impotens, poteritne ſaltem illo caſu, retentâ domi concubinâ cenſeri contritus?

Non poterit; quia alijs adhuc eſt ſcandalo, à quo abſtinere debet.

Quid ſi occultus ſit concubinarius, & nemini ſit ſcandalo?

Nec tunc quidem cenſeri debebit contritus; nam etſi propter impotentiam ab actu carnali abſtineat, & alteri non ſit ſcandalo, habet tamẽ apud ſe occaſionem mente peccandi, quam à ſe quoque amouere debet.

Qui furta deteſtatur, & ab ijs deinceps abſtinere propter Dei offenſam promittit, cenſeri ne debet contritus?

Non debet, niſi inſuper ſtatim reſtituere proponat.

Quare requiritur hoc propoſitum?

Quia ſine illo perſiſtit in voluntate retinendi alienum, & perſeuerandi in peccato.

Quid ſi proponat reſtituere poſt aliquot annos, vel ſuo teſtamento, poteritne ſaltem cenſeri tunc contritus?

Minimè; Niſi enim habeat propoſitum reſtituendi quamprimùm poterit, permanet ſemper in eâdem voluntate alienum retinendi, & tantiſper in peccato perſeuerandi.

Quæ ſunt ergo obſeruanda Confeſſario circa contritionem pœnitentis?

In primis videre debet, an deteſtetur peccata ſicut, & quantum oportet. Si nullam aduertit peccatorum deteſtationem, vel minùs ſufficientem, curabit inducere ad veram deteſtationem, vel certè ad deſiderium maioris deteſtationis, proponendo illi ob oculos pœnas peccato mortali debitas, putà quô perdit gratiam Dei, efficitur

citur ſeruus dæmonis, & ad nunquam finiendos inferni cruciatus damnatur, ſi in eo, ſine pœnitentiâ decedat.

Quid ſi pœnitens deprehendatur deteſtari peccata ſicut, & quantum oportet, ſed ſæpè in eadem relabitur, quid faciet Confeſſarius?

Hoc caſu Confeſſarius ex zelo gloriæ Dei, & ſalutis animarum adhortabitur eum ad emendationem vitæ, & fugam peccatorum, vt Dei adiutorio fultus concipiat in dies firmius corrigendæ vitæ propoſitum.

Quid ſi pœnitens deprehendatur feciſſe alicui iniuriam, & iam ſæpiùs reparationem promiſiſſe, nec præſtitiſſe, quid faciet Confeſſarius?

Si iam ſæpiùs promiſit, & per eum ſtat quò minùs iniuria reparetur, mandabit Confeſſarius, vt eam reparet, proximo reconcilietur, reſtituat, quod debet, aliàs eius contritionem nullam eſſe declarabit, & proinde, vt ſuperiùs diximus, ad aſſumendam veram peccatorum deteſtationem eum adhortabitur.

Quæ peccata habent annexam obligationem reſtituendi?

Ea omnia, quibus damnum, ſiue iniuria aliqua proximo irrogatur; vt ſunt furtum, rapina, vſura, detractio, contumelia, &c.

Eſtne detractio reuelare verum peccatum proximi?

Eſt; ſi modò fuerit occultum.

Quomodo reſtituet, qui hoc modo detraxit, cùm non poſſit ijs, apud quos detraxit, dicere ſe fuiſſe mentitum?

Dicet ijs ſe fuiſſe malè locutum ex paſſione ſcilicet, aut ex inaduertentiâ, rogabitque ne fides

Non poterit; quia alijs adhuc eſt ſcandalo, à quo abſtinere debet.

Quid ſi occultus ſit concubinarius, & nemini ſit ſcandalo?

Nec tunc quidem cenſeri debebit contritus; nam etſi propter impotentiam ab actu carnali abſtineat, & alteri non ſit ſcandalo, habet tamẽ apud ſe occaſionem mente peccandi, quam à ſe quoque amouere debet.

Qui furta deteſtatur, & ab ijs deinceps abſtinere propter Dei offenſam promittit, cenſerine debet contritus?

Non debet, niſi inſuper ſtatim reſtituere proponat.

Quare requiritur hoc propoſitum?

Quia ſine illo perſiſtit in voluntate retinendi alienum, & perſeuerandi in peccato.

Quid ſi proponat reſtituere poſt aliquot annos, vel ſuo teſtamento, poteritne ſaltem cenſeri tunc contritus?

Minimè; Niſi enim habeat propoſitum reſtituendi quamprimùm poterit, permanet ſemper in eâdem voluntate alienum retinendi, & tantiſper in peccato perſeuerandi.

Quæ ſunt ergo obſeruanda Confeſſario circa contritionem pœnitentis?

In primis videre debet, an deteſtetur peccata ſicut, & quantum oportet. Si nullam aduertit peccatorum deteſtationem, vel minùs ſufficientem, curabit inducere ad veram deteſtationem, vel certè ad deſiderium maioris deteſtationis, proponendo illi ob oculos pœnas peccato mortali debitas, putà quô perdit gratiam Dei, efficitur

citur ſeruus dæmonis, & ad nunquam finiendos inferni cruciatus damnatur, ſi in eo, ſine pœnitentiâ decedat.

Quid ſi pœnitens deprehendatur deteſtari peccata ſicut, & quantum oportet, ſed ſapè in eadem relabitur, quid faciet Confeſſarius?

Hoc caſu Confeſſarius ex zelo gloriæ Dei, & ſalutis animarum adhortabitur eum ad emendationem vitæ, & fugam peccatorum, vt Dei adiutorio fultus concipiat in dies firmius corrigendæ vitæ propoſitum.

Quid ſi pœnitens deprehendatur feciſſe alicui iniuriam, & iam ſæpiùs reparationem promiſiſſe, nec præſtitiſſe, quid faciet Confeſſarius?

Si iam ſæpiùs promiſit, & per eum ſtat quò minùs iniuria reparetur, mandabit Confeſſarius, vt eam reparet, proximo reconcilietur, reſtituat, quod debet, aliàs eius contritionem nullam eſſe declarabit, & proinde, vt ſuperiùs diximus, ad aſſumendam veram peccatorum deteſtationem eum adhortabitur.

Quæ peccata habent annexam obligationem reſtituendi?

Ea omnia, quibus damnum, ſiue iniuria aliqua proximo irrogatur; vt ſunt furtum, rapina, vſura, detractio, contumelia, &c.

Eſtne detractio reuelare verum peccatum proximi?

Eſt; ſi modò fuerit occultum.

Quomodo reſtituet, qui hoc modo detraxit, cùm non poſſit ijs, apud quos detraxit, dicere ſe fuiſſe mentitum?

Dicet ijs ſe fuiſſe malè locutum ex paſſione ſcilicet, aut ex inaduertentiâ, rogabitque ne fides

fides ipſi habeatur, eo quòd ipſe habeat proximum, prout habendus eſt, pro viro bono.

Quid eſt vſura?

Lucrum ex mutuo; vt cùm quis dat alicui mutuò ſex florenos, vt poſt duos menſes recipiat ſeptem.

Quid reſtituere debet, qui vſuram commiſit?

Id quod accepit amplius, quàm dedit mutuò.

Quid reſtituet, qui pauperi mutuauit viginti florenos eâ lege, vt in agro ipſius aliquot diebus gratis operetur, aut ipſius nomine aliquo proficiſcatur?

Reſtituet iuſtum ſtipendium operis illius, aut itineris.

Quid eſt Confeſſio?

Eſt ſacramentalis peccatorum accuſatio ad abſolutionem virtute clauium obtinendam.

Quare dicit accuſatio?

Ad exprimendam ſubſtantiam, & naturam confeſſionis ſacramentalis; quia ſi quis peccata ſua explicet per modum iactationis, vel ſimplicis narrationis, non eſt confeſſio.

Quare dicit ſacramentalis?

Vt excludatur tam contritio interna, quæ eſt mentalis peccatorum accuſatio coram Deo, quàm quæuis alia accuſatio, quæ fit in iudicio, vel extra iudicium.

Quare dicit peccatorum?

Vt ſignificetur materia confeſſionis, quia pœnitens in confeſſione non virtutes ſuas, ſed peccata referre debet.

Súntne omnia peccata in confeſſione referenda?

Omnino. ſi quis enim ſponte peccatum aliquod

quod mortale reticeat præ timore, aut pudore, non eſt ea confeſſio ſufficiens ad accipiendam peccatorum remiſſionem.

Quare?

Quia impium eſt à Deo dimidiatam ſperare veniam.

Non poteſt ergo vnum peccatum mortali remitti ſine alio?

Non poteſt; cùm enim quodque peccatum mortale priuet hominem gratia Dei, & reum mortis æternæ faciat, ſi Deus dimitteret vnum peccatum ſine alio, ſequeretur quòd quis ſimul eſſet in gratiâ Dei, & extra gratiam, quodque eſſet reus æternæ mortis, & non eſſet.

Quid ſi quis igitur peccata ſua omnia à Paſchate ſuperiori admiſſa, & præterea vnum ab annis octo commiſſum confiteatur, quod præ verecundia hactenus reticuerit, tametſi ſingulis annis in Paſchate, & confeſſus fuerit, & communicauerit?

Declarandum eſt illi, quòd illius primæ confeſſionis, & omnium ſequentium non ſit conſecutus fructum, remiſſionem ſcilicet peccatorũ, quia non fuerunt integræ, imò quòd indignè quotannis confeſſus fuerit, & communicauerit, proindeque maxima ſacrilegia commiſerit.

Quid igitur huiuſmodi faciet? tenebitúrne cum illo quod celauerat, iterum confiteri in particulari omnia peccata ab annis octo antea confeſſa?

Si confitetur eidem Sacerdoti, qui meminit horum peccatorum confeſſorum, vel ſaltem pœni-

pœnitentiæ, quam iniunxerat, non tenetur iterum confiteri in particulari peccata iam ſemel confeſſa, ſed ſatis erit illi dicere in genere in hunc modum, De omnibus peccatis quæ tibi Pater, aliàs fui confeſſus dico meam culpam, & tibi, &c. Et deinde declarare peccatum, quod præ verecundiâ reticuerat: Si verò eidem Sacerdoti non confitetur, vel Confeſſarius neque peccatorum, neque pœnitentiæ, quam ratione eorum iniunxerat recordatur, debet tunc pœnitens repetere confeſſionem etiam in particulari, perindè ac ſi antea non fuiſſet confeſſus.

Eſtne etiam numerus peccatorum in confeſsione exprimendus?

Omninò, ſaltem mortalium, ſi pœnitens ſcit certum, ſi autem non ſcit dicere certum, quia præcisè numeri non recordatur, dicet quem putat eſſe veriſimilem; vt commiſi tale, vel tale peccatum decies, plus, minúsve, vel fui in tali peccato per annum ſemel, atque iterum peccans qualibet hebdomadâ, &c.

Súntne etiam peccatorum circumſtantiæ confitendæ?

Aliquando ſunt confitendæ, aliquando nō ſunt.

Quando ſunt exprimendæ?

Laudabiliter exprimuntur, quando augent peccatum: vt, Ego fui ebrius die dominico: Ego detraxi meo proximo in templo. Neceſſariò autem exprimuntur, quando mutant ſpeciem peccati, vt quando ex peccato veniali, aut etiam ex opere bono, vel non malo faciunt peccatum mortale: vt Ego virgo ornaui me plus ſolito, vt pellicerem adoleſcētem quendam in turpem

mei

mei amorem: Ego cõiugatus dedi pauperi puellæ eleëmoſynam, vt eam fallerem. Ego ambulaui eo fine, vt de inimico, ſi occurreret, gladio me vlciſcerer.

Rurſus quando ex mortali vnius ſpeciei faciũt mortale alterius ſpeciei: vt Ego habui rem cum virgine conſanguineâ meâ in tertio gradu.

Poſtremò, quando ex mortali ob vnam cauſam faciunt mortale ob aliam: vt Ego ſum furatus centum aureos, vt haberem, quò poſſem in lupanari luxurioſè viuere; Ego coniugatus carnale commercium habui cũ muliere coniugatâ.

Quomodo confitebitur integrè, qui multis annis permanſit in ſtatu alicuius peccati, putà vſurarius, concubinarius, miles iuramentis, furtis, & ſimilibus criminibus aſſuetus?

Exprimet tempus ſtatus ſui peccati, dicendo: decem annis vſuras cum omnibus aduentantibus exercui. Octo annis ancillâ veluti vxore abuſus fui. Sex annis in lupanari cuiuſcunque qualitatis viris me expoſui. Decem annis iuramentis, blaſphemijs, concuſſionibus, & ſimilibus in militiâ deditus fui.

Neque talibus magis exactam in ſupputando numero peccatorum, aut circumſtantiarum diligentiam anxiè requirere oportet, ne cogantur vel falſum dicere, vel etiam mentiri, licet, ſi ipſi exactiorem numerum peccatorum referre poſſint, audiendi ſint.

Quid ſi ſic confeſſus poſtea alicuius peccati in particulari recordetur, tenebitúrne illud ſpeciatim poſtea confiteri?

Non

Non tenebitur: Quia is prudentum, & piorũ Confeſſariorum iudicio, fecit confeſſionem integram, & Confeſſarius ſtatum ſufficienter intellexit. Et certè maior debet eſſe cura Confeſſarijs de excitando in pœnitente propoſito non peccandi ampliùs, quàm de numero peccatorũ nimis anxiè inquirendo.

Quid ſentiendum de confeſſionibus illorum, qui dicunt; Ego pluries peccaui mortaliter: vel, Ego ſæpiùs peccaui ſuperbiâ, auaritiâ, gulâ, irâ, inuidiâ, acediâ, & ſic de alijs?

Dicendum nullas eſſe.

Quid ergo ab huiuſmodi confitentibus exigendum eſt?

Vt ad ſpecies peccatorum deſcendant, ſicque eas referant, vt Confeſſarius iudicare poſſit, peccatáne ſint mortalia, vel venialia. Neque enim omnis ſuperbia, aut auaritia, aut gula, aut acedia eſt peccatum mortale, vt ex regulis ſuperiùs allegatis colligi poterit.

Quid iudicandum de illorum confeſſionibus, qui peccata indiuidua vnius ſpeciei putà fornicationis, ad longum enumerant dicendo; Fornicatus fui ſemel in tali domo, & adhuc fornicatus fui in tali, & ſic de indiuiduis aliarum ſpecierum?

Dicendum huiuſmodi particularium confeſſiones non eſſe neceſſarias, ſufficere ſi vno verbo numerus peccatorum exprimatur, dicendo bis fornicatus fui; Quod præſertim obſeruandũ eſt in peccatis carnis, quæ ex huiuſmodi particularium narratione pœnitentem, & Confeſſarium ad delectationem aliquam pellicere poſſent.

Quid

Quid ergo ab huiuſmodi exigendum eſt?

Vt contenti ſint numerũ, quanto poſſunt breuiùs, exponere, dicendo, bis fornicatus fui, ter mentitus fui officioſè, ſemel pernicioſè, ter iuraui ſine causâ, & ſic de alijs, niſi vt diximus circunſtantia aliqua mutans ſpeciem interuenerit. In quâ re conſiderandâ aduigilare debet prudentia Confeſſarij.

Quæ ſunt ergo obſeruanda Confeſſario circa confeſſionem pœnitentis?

Primùm videbit, an pœnitens ſic exprimat peccata ſua, vt iudicare poſſit, an ſint mortalia, vel venialia; Si non, ſed nimis generatim exprimat, docendus erit breuiter, qualiter id præſtare poterit: putà, dixit in confeſſione, Ego fui auarus; interrogandus eſt an alicui fecerit iniuriam, An extremè egenti eleëmoſynam, cùm facere poſſet, negârit; An per fas, & nefas bona conquirere voluerit; his enim caſibus auaritia peccatum eſt mortale, aliàs fere eſt veniale.

Quid præterea obſeruare debet?

An pœnitens peccatum aliquod confiteatur, quod annexam habeat excommunicationem Pontifici, vel Epiſcopo reſeruatam, vt tunc ſe gerat, prout docetur in ſuperiore tractatu de caſibus reſeruatis.

Quid inſuper obſeruare debet?

An pœnitens incurrerit aliquem caſum ſuperiori reſeruatum, à quo ipſe non poteſt abſoluere, vt ſe gerat, prout in allegato iam tractatu docetur.

Quid item obſeruare debet?

An pœnitens peccatum aliquod confiteatur, quod annexam habeat obligationem reſtituendi, vt præſtet officium, prout antè diximus.

Quid deinde obſeruabit?

An pœnitens taceat circunſtantias peccatorum, aut numerum neceſſariò confitendum, vt ſuppleat, prout antè breuiter docuimus.

Quid præterea obſeruabit?

An pœnitens aliquid nouiter confiteatur, propter quod neceſſum ſit iterare confeſſiones per eum hactenus factas, vt officium præſtet.

Quid poſtremò obſeruabit?

An aliquis alius defectus ſubſit in confeſſione, qui per eum, vel pœnitentem neceſſariò ſuppleri debeat vt illud quantociùs fiat.

Quid faciet Confeſſarius cum rudioribus, qui nihil confitentur, ſed mox petunt ab eo iuuari, vel examinari?

Remittet eos, vt catechizentur de ſacramento Pœnitentiæ, & Decalogo, & præſertim quomodo contra decem præcepta Dei, & Eccleſiæ peccetur.

Si timeat, ne catechiſmum negligant, faciet officium catechiſtæ, prout ratio temporis permittet, interrogando ante omnia, an ſciant articulos fidei ſcitu neceſſarios ad ſalutem; putà; vnum eſſe Deum in eſſentiâ, & trinum in perſonis, Patrem, Filium, Spiritum ſanctum; & inter hos, Filium hominem ideò factum, vt meritò paſſionis, & mortis nos per peccatum perditos ſaluaret; Noſque aliter non poſſe fieri meriti paſſionis Chriſti participes, quàm per fidem, bona

bona opera, & ſacramenta.

Quid eſt Satisfactio?

Eſt ſolutio pœnæ, quæ ex præcepto Confeſſarij, Deo pro peccatis dependitur cum propoſito in poſterum non peccandi.

Per hoc Sacramentum remittitur peccatum, quid ergo opus eſt Satisfactione?

In peccato duo ſunt conſideranda, culpa ipſa, & pœna peccato debita: Remittitur ſimpliciter culpa, ſed pœna æterna peccato mortali debita non ſimpliciter dimitittur, ſed commutatur in temporalem, pro quâ ex præſcripto Confeſſarij ſatisfacere debemus.

Chriſtus non ſolùm pro culpâ, ſed & pro quacumque pœnâ peccato debitâ pro nobis ſatisfecit; ad quid ergo ſatisfactio exigitur?

Satisfecit quidem Chriſtus per paſſionem ſuam pro peccatis noſtris, idque pleniſſimè; ſed relapſos poſt baptiſmũ in peccata mortalia non facit illius ſatisfactionis participes, niſi & cum illo aliquid patiantur, vt docet ad Romanos 8. Apoſtolus his verbis: *Cohæredes ſumus Chriſti, ſi tamen compatimur.*

Per qua opera ſatisfacimus Deo?

Per orationem, ieiunium, & eleëmoſinam, ad quæ tria reducuntur reliqua omnia opera, per quæ Deo ſatisfacere poſſimus.

Ad orationem reducuntur frequentes confeſſiones, ſacræ communiones, &c.

Ad ieiunium corporales afflictiones, cilicium, diſciplinæ, peregrinationes.

Ad eleëmoſinam opera miſericordiæ tempo-

ralia, viſitare incarceratos, ſepelire mortuos, hoſpitio excipere peregrinos, &c.

Quæ ſunt Confeſſario obſeruanda circa ſatisfactionem pœnitentis?

Primùm, ne ita leuem imponat, vt pro nullâ reputetur, de quo grauiſſimè Conc. Tridentinum Confeſſarios his verbis monet: Debent Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate ſalutares, & conuenientes ſatisfactiones iniungere, ne ſi fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leuiſſima quædam opera pro grauiſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.

Quid inſuper obſeruare debet?

Vt, cùm ſolus Deus nôrit quanta pœna temporalia cuique peccato mortali per ſacramentum remiſſo debeatur, ipſe in indicendâ pœnitentibus ſatisfactione magis in mitiorem partē, quàm in ſeueriorem inclinet: forum enim pœnitentiæ non tam iuſtitiæ eſt, quàm miſericordiæ, & danda opera eſt, vt confeſſio naturâ ſuâ ſatis grauis, quantum ſpiritus, & prudentia patiuntur, facilis, & leuis reddatur.

Quid eſt forma abſolutionis?

MIſereatur tui omnipotens Deus, &, dimiſſis omnibus peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen.

INdulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens Dominus. Amen.

Domi-

DOominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat, & ego auctoritate ipſius abſoluo te in primis a vinculo excommunicationis in quantum poſſum, & indiges; Deinde abſoluo te ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, merita Beatæ Mariæ virginis, & omnium Sanctorum, quicquid boni feceris, vel mali ſuſtinueris, ſint tibi in remiſſionem peccatorum, in augmētum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

In quibus verbis conſiſtit ſubſtantia formæ abſolutionis?

In Iſtis; Abſoluo te.

Quare ergo preces, & reliqua illis adijciuntur?

Tum vt Confeſſarius ſui officij, & reuerentiæ debitæ tanto ſacramento admoneatur, tum vt pœnitens ſacris Eccleſiæ precibus ad effectum huius ſacramenti, qui eſt remiſſio peccatorum, percipiendum magis ac magis diſponatur.

Quare abſolutioni à peccatis præmittitur abſolutio ab excommunicatione his verbis, Abſoluo te in primis à vinculo excommunicationis?

Quia pœnitens non eſt capax abſolutionis à peccatis, niſi priùs abſoluatur ab excommunicatione.

Quæ eſt illius cauſa?

Quia omnis excommunicatio priuat participatione ſacramentorum.

Debétne in formâ dici, à vinculis minoris excommunicationis?

Non debet; ſi enim hoc dicatur, Confeſſarius

poteſtatem ſuam cum damno pœnitentis reſtringit: poteſt enim omnis Confeſſarius etiam à quibuſdam maioribus excommunicationibus abſoluere, illis ſcilicet, quæ ſuperioribus non ſunt reſeruatæ; Quales plures recenſuimus in tractatu de caſibus reſeruatis.

Debétne dici, à vinculo maioris excommunicationis?

Non debet, ſed ſimpliciter à vinculo excommunicationis; nam non minùs neceſſum eſt quempiam abſolui à minori excommunicatione, quàm maiori, cùm vtraque priuet quempiam participatione ſacramentorum, & conſequenter abſolutione à peccatis.

Quare dicis in formâ, in quantum poſſum?

Quia multæ ſunt maiores excommunicationes, quæ ſuperioribus, hoc eſt, Pontifici, vel Epiſcopo reſeruantur, à quibus non poteſt abſoluere inferior Confeſſarius, quales tractatu iam allegato recenſuimus.

Quare dicis, & tu indiges?

Quia non ſemper confitens incurrit excommunicationem; quia tamen hoc incertum eſt, ad cautelam abſoluitur, ne, ſi forſan incurriſſet, effectu ſacramenti, hoc eſt, remiſſione ſacramentali priuaretur.

Quid dicendum de illis, qui adijciunt formæ, has verba, Abſoluo te à peccatis contritis, confeſſis, & oblitis?

Dicendum illos grauiter errare.

Declara?

Nam vocabulum (contritis) cum iniuriâ pœnitentis reſtringit abſolutionem ad caſum, quô con-

confitens ſit contritus, cùm tamen iuxta communem Theologorum ſententiam etiam attritis virtute ſacramenti peccata remittuntur, cùm attriti virtute ſacramentalis abſolutionis fiunt contriti.

Vocabulum verò (confeſſis) reſtringit abſolutionem ad caſum, quô quis peccata confeſſus fuerit, cùm conſtet non tantùm peccata in confeſſione declarata, ſed etiam oblita poſt competens examen per hoc ſacramentum remitti.

Vocabulum, (oblitis) ſuperfluè additur, vt ex dictis ſatis manifeſtum eſt.

Quare hac poſtrema verba forma adijciuntur, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

Vt Confeſſarius ſignificet, quod, etſi ipſe verè abſoluat, & remittat peccata dicendo, Ego te abſoluo, non abſoluat tamen ſuâ virtute, ſed diuinâ, illius ſcilicet, qui dixit Ioannis 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

FINIS.

TRACTATVS BREVIS DE CASIBVS RESERVATIS REGVLARIVM PRÆLATIS.

Auctore F. Petro à Sancto Audomaro, aliàs VValoncappelle inſtituti D. Benedicti in monaſterio montis D. Guinoci Priore.

MAGNOPERE ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere ſanctiſſimis Patribus noſtris (inquit Synodus Tridentina) viſum eſt, vt atrociora quædam, & grauiora crimina non à quibuſuis, ſed à ſummis duntaxat, Sacerdotibus abſoluerentur. Vnde meritò Pontifices maximi pro ſupremâ poteſtate ſibi in Eccleſiâ vniuersâ traditâ cauſas aliquas criminum grauiores ſuo potuerunt peculiari iudicio reſeruare; Neque dubitandum eſt, quando omnia, quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, quin hoc idem Epiſcopis omnibus, cuique in ſuâ Dioceſi, in ædificationem tantùm, non in deſtructionem, liceat pro illis in ſubditos traditâ ſupra reliquos inferiores Sacerdotes authoritate, præſertim quoad illa, quibus excommunicationis cenſura eſt annexa. Hanc autem delictorum reſeruationem conſonum eſt diuinæ authoritati, non tantùm in externâ politiâ, ſed etiam coram Deo vim habere. Agunt proinde non tantùm inſipienter, ſed & impiè, & crudeliter, qui ſuam falcem

cem in alienam meſſem mittunt, abſoluendo abſque ſuperiorum voluntate vinculis indiſſolubilibus ligatos ab eis; Quod ipſis licitum eſſe, imò in caſibus quibuſdã fieri debere ſancta definiuit Synodus. Nos verò non tantùm Põtifici ſummo, ac Epiſcopis id licitum eſſe, ſed & Abbatibus, & Prælatis omnibus, qui præcipuam (vt loquitur Concil.) dignitatem in Monaſterijs, ac Capitulis gerunt. Cuius poteſtatis conſcij Abbates, cæteriq́ue Prælati ſaluti ſuorum ſubditorum, ac publicæ tranquillitati conſulere cupientes, in quibuſdam cauſis grauioribus communium Confeſſorum arctârunt poteſtatem ſuæ abſolutioni eas reſeruantes, quò ab eis perpetrandis magis abhorrerent ſubditi, tum vt eorum animabus prudentiùs (debent namque Præpoſiti cæteros non ſolùm pietate, ſed & doctrinâ anteire) mederentur. De quibus cauſis hîc aliquid dicere operæ pretium fuerit, maximè cùm certum ſit pleroſque Monachorum adeò craſſis obuolui tenebris, vt, quibus laborent morbis, non videant, nihil mirum, ſi non doleant, nec efficacem medicinam quærant. Priùs tamen mihi dicendum video de medicis animarum religioſorum.

Quiſnam ordinarius Monachorum Confeſſor.

PRoprius Monachorum Confeſſor eſt Abbas, ſeu quiuis alius Prælatus, cui cura animarum incumbit, quas curare pro officio ſuo minimè poteſt, niſi ſubditorum confeſſionibus audiendis vacet; ſiquidem vix aliter, vt par eſt cognoſci poſſunt; Præterea generales Prælatorum

exhortationes, ſi quas tamen faciunt, non ſic vniuſcuiuſque conſcientiam pungunt, ſicut particulares in confeſſione pro qualitate morborũ confectæ, atque attemperatæ.

Attamen quia ſoli tantis oneribus non ſufficiunt, alijsque negotijs ſæpiùs deſtinentur ſibi in confeſſionibus excipiendis cooperatores aſſumere poſſunt, quorum tamen poteſtas latiùs ſe extendere non poteſt, quàm ipſi primarij Paſtores permittunt.

Prælatorum verò proprius Cõfeſſor eſt Epiſcopus, ſi tamen ei immediatè ſubſunt; ſi verò ſummo Pontifici, aut Prouinciali alicui, aut Generali, qui immediatè ei præſunt, Confeſſores eorum ritè cẽſentur, vtpote qui eorum ſunt Paſtores. At, quia hos raro habent præſentes, eis permittitur alium eligere, niſi certus aliquis à Superiore fuerit eis præſcriptus, qui excipiat eorum confeſſiones, & abſoluat.

Quâ permiſſione non parum hodie videntur plerique Prælati abuti, dum ſæculares ſibi ſeligunt Confeſſores, vt plurimum ignaros rei monaſticæ, & officiorum Monachis ab eis exhibẽdorum: Vnde fit, vt raro huiuſmodi ex confeſſionibus emendatiores redeant, ſiquidem non monentur; nec docentur de officijs debitis, de conuerſatione regulari, & ſcandalis natis per eos in conuentu fratrum. Quod ſi in definitionibus ſuis, ac præceptis, vel certè in diſpẽſationibus, ac relaxationibus à præceptis regulæ aberrârint, moneri per Confeſſores non valent, maximè cùm pœnitentes frequẽtes nullum cõ-

ſcien-

ſcientiæ ſcrupulum patiantur, arbitrantes ſe rectum, iuſtumque ſecutos, Confeſſarij verò, quæ ab illis geſta ſint, ignorent.

Proinde cùm Confeſſor quærendus ſit, qui nõ tantùm, abſoluere, ſed & qui ſalubriter monere, exhortari, docere, reumque ad pœnitentiam ſinceram ac integrã perducere poſſit, non videntur ſibi bene conſulere Prælati eligendo Sacerdotes ſæculares, nec electi excipiendo eorum confeſſiones; ſiquidem neutri ſæpiùs ſatisfaciunt ſuo muneri, illi non quærendo medicũ, qui exhibeat fomenta virtutum, vnguenta exhortationũ, medicamina diuinarũ ſcripturarum, non qui opportunè ſecare, & vrere valeat: Iſti infirmos ſuſcipiendo curandos, quorũ morbos cognoſcere, ac pro officio ſuo mederi vix valebunt. Vnde, dum ægrotos tanquam ſanos dimittũt, fit vt tabes magis, ac magis ſe ſemper diffundat, donec ſemel totum hominem poſſideat, & incurabilis fiat; Et cuius quæſo culpa, niſi eius, qui morbos incognitos curandos ſuſcepit? Quid dicã? Dum cæcus cæco ducatum præbet, ambo in foueam cadunt. Itaque quemadmodum Pontifices Sũmi, Archiepiſcopi, Epiſcopi eligunt ſibi ex ſuis ſubditis Cõfeſſores, qui eos abſoluant: Sic decet Prẹlatos Religioſorum in pœnitentiali (vt aiunt) foro ſe ſubmittere cuidam è ſuis, præ ceteris cordato, & Deũ timenti, qui prudenter præſciens mala per eos in cõmunitate orta, ſuadere, vel diſſuadere, exhortari, vel dehortari valeat, ratio dictat. An putandum eſt ſanctos Patres D. Auguſtinũ, Benedictum, Gregorium, Bernardum, & ceteros

omnes

omnes dictâ licentiâ ſic vſos fuiſſe, veritoſque alicui ex ſuis conſcientiam aperire? Repulit D. Gregorius à cubiculo ſuo omnes ſæculares, & Monachorum prudentiſſimos ſibi familiares, & conſiliarios ſociauit, indignum eſſe arbitrans, ſi clerici qualiſnam ſit in ſecreto vita Paſtoris neſciant, quam ſęculares ſciunt. Et audent plerique Prælati Monachos, id eſt, proprios filios à ſe depellere, & ſæculares ſibi aſciſcere, maximè in negotio tam ſerio, vbi de animæ ſalute agitur.

Hactenus de Confeſſarijs; Iam de cauſis exceptis, paucis diſſerendum eſt.

Imprimis hîc aduertendum eſt, non vbique eadem, ſed diuerſis locis alia, & alia crimina Prælatorum iudicio reſeruari; ſiquidem pro diuerſitate locorum, & hominum diuerſa præcepta fuêre neceſſaria.

Nos verò primo loco de ijs, quæ arbitramur vbique ferè reſeruari, diſſeremus; Deindę quænam præter illa reſciuimus hîc, ibi, retinere aſcribemus.

Priùs tamen vnumquemque Prælatum monitum velim, ne abſque euidenti, & iuſtâ neceſſitate huiuſmodi reſeruationes multiplicet, néve extra iuſtos limites extendat, ſiquidem id eſſet laqueum infirmis inijcere, & Confeſſoribus difficultates plurimas parere.

Proprietarij.

PRimum locum obtinent proprietatis vitio infecti.

Quos intelligendos puto, non qui voluntate, & deſiderio ſolùm ſunt proprietarij, ſed qui contra

contra paupertatem profeſſam, retinent aliquid notabilis prætij penes ſe, inuitis ſuperioribus, vel inſcijs.

Et qui dant, vel accipiunt, vendunt, vel emũt huiuſmodi ſine eorum expreſſo conſenſu.

Hos ſeruari Abbatum abſolutioni debere mirum non erit, ſi ea, quæ de vitio proprietatis in ſecundo inſtitutionum Monaſticarum libro diximus, memoriâ teneantur; Et iuris Canonici autoritate tales ab altari remouendos eſſe cenſeri; Inſuper monaſticẽ cum proprietate conſiſtere nullam poſſe, vt docet Innocẽtius tertius.

Sacrilegium committentes.

TRiplicem eſſe ſacrilegij ſpeciem nôſſe oportet, priuſquam intelligatur, quinam ſacrilegium committentes ſeruandi ſunt abſolutioni Præpoſitorũ; Prima eſt, quâ perſonæ Deo dicatæ iniuria fit; Altera, quâ locus ſacer violatur; Tertia verò res ſacræ prophanantur.

Itaque ſacrilegos hîc excipi puto, qui contra ſanctitatem ſuæ profeſſionis, vel alterius actu fornicantur, vel adulterantur, quæ cùm à Deo deuotis fiunt, ſacrilegia ſunt, & quidem enormia; Hâc peccati ſpecie peccabant filij Heli cũ mulieribus, quæ obſeruabant ad oſtium tabernaculi dormientes: Alia verò carnis peccata, vt pollutiones nocturnas, impudicos oculos, contactus impuros, fœda verba, &c. haudquaquam arbitror reſeruari.

Deinde in hâc ſpecie ſacrilegi ſunt, qui violentas manus in Clericum inijciunt (per iniectionem autem manuum intelligunt Doctores

non

non ſolùm percuſſionem, ſed & incarcerationem, detentionem, violentam alicuius rei ex manu, vel à perſonâ acceptionem, pulueris, aut alicuius indignam iniectionem, & conſputionem. Et qui huiuſmodi authores ſe conſtituunt auxilio, conſilio, fauore, &c.

Porrò aduertendum eſt non quamlibet iniectionem manuum Prælatos abſoluere poſſe, ſed eam ſolùm, quæ minimè enormis eſt, & exceſſiua, alioquin recurrendum erit ad Pontificem maximum, vt ſi in Prælatum propriũ, vel Epiſcopum violẽta manus miſſa foret, vel in quemuis alium vſque ad occiſionem, vel membri alicuius mutilationem, *vt habetur cap. Cùm illorum, De ſent. excom.*

Qui verò rei ſunt ſacrilegij ſecundæ ſpeciei, id eſt, loci ſacri per commeſſationes contaminatores, retinendi videntur. Quomodo templũ Ieroſolymorum ab Antiocho Rege violatum fuiſſe legimus, peſſima tunc, & vniuerſis grauis erat incurſio malorum, nam templum, & commeſſationibus erat plenum & ſcortantium cum meretricibus, ſacratiſque ædibus mulieres vltro ſe ingerebant, introferentes ea, quæ non licebat, altare etiam erat plenum illicitis, &c.

Huc etiam pertinet ſacrilegium, quum locus per ſanguinis effuſionem polluitur, quod feciſſe legitur Ioas Rex Iuda, cuius voluntate, ac præcepto occiſus eſt pius Zacharias filius Barachiæ.

Denique ſacrilegi ſunt, qui res ſacras furantur, vel indignè prophanant, vt diuiniſſima Sacramenta, Sãctorum reliquias, imagines, veſtes,

vaſa,

vaſa, & alia ſacris myſterijs per cōſecrationem deputata, &c. Imitantes Balthaſar Regem Perſarum, & Heliodorum, quos ſui ſceleris ſtatim digna ſecuta eſt vltio.

Hic locus offert ſeſe dicendi de Symoniacis ſacrilegis, qui res ſpiritales, vel eis annexas expreſsè, vel latenter vendunt, vel emunt, vt ingreſſum religionis donarijs, & veſtimentorum multorum exactione; Verùm horum abſolutionem ſummo Pontifici reſeruat cap. Sanè ne in vineâ Domini, in extrauag.

Rebelles, ac Contumaces.

PEr rebelles intelligimus, qui monitis, aut præceptis Superiorum obedire nolunt, ſed in ſuâ ſententiâ inuitis Superioribus vſque perſeuerant.

Inter quos connumerandi ſunt conſpiratores contra perſonam Prælatorum, qui non ſolùm præcepta, vel præcipientes contemnunt, ſed & inter ſe coniurant in perniciem eorum, id eſt, in mortem, mutilationem, percuſſionem, vel dignitatis priuationem, & alia eiuſmodi.

Quibus annumera conſilium dantes, & auxilium, atque fauentes; digni enim ſunt morte, non ſolùm qui faciunt, ſed & qui conſentiunt facientibus.

Denique qui ex inobedientiâ in damnum, ac perniciem totius communitatis conſpirant, tanto enim hi magis reſeruandi videntur, quanto bonum totius communitatis, præſtat bono ſingularis perſonæ. Coniurationem, ac conſpiratio-

rationem (inquit Leo primus) crimen apud Græcos dicitur Paratheta, publicis etiã legibus certum eſt inhiberi: Hoc multò magis in ſancta Dei Eccleſia ne fiat, conuenit abdicari. Si qui verò Clerici, aut Monachi inuenti fuerint coniuratores, ac conſpiratores, aut factiones componentes aliquas ſuis Epiſcopis, aut alijs, omninò cadant de proprio gradu.

Exeuntes Monaſterium ſine licentiâ, & extra Monaſterium habitum ſuum alternantes.

HOc caſu comprehenduntur Apoſtatæ, & nocturni graſſatores huc illuc ſine licẽtia, voluptatis ergo excurrentes, qui eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrunt, *vt videre eſt lib. 3. Decret. & 9. titul. 24. c. 2.* Cuius cenſuræ abſolutionem, vt & aliarum, quæ nec ſummo Pontifici, nec Epiſcopo ſingulariter reſeruantur, quales plures ſunt in iure Canonico, & Summulis Doctorum dari poſſe, ac debere per ſolos Prælatos ratio ipſa clamat, fruſtra enim tali cenſurâ ferirentur, ſi quilibet Cõfeſſores ſine diſcrimine abſoluere poſſent.

Hanc verò cenſuram reformidare velim omnes, qui imprudentes, ac temerè, nullo imminẽte veriſimili periculo, monaſticum habitum, vel non geſtant, vel occultant contra Decreta Conc. 7. (Non detur, inquit, licentia cuiquam regulari occultè ferẽdi habitum ſuæ religionis) ne laïcis Monachi appareant, de quo gloriari debuerant, erubeſcentes, vel certè, vt liberiùs vaneſcant, ac voluptatibus concupitis fruantur.

Arma

Arma tenentes intra ſepta monaſterij.

ETiam hi Prælatis reſeruantur; quia huiuſmodi à Clemente excommunicatione feriuntur: Cuius abſolutionem, vt diximus, reſeruari debere Prælatis docet cap. Nuper l. 5. de ſententiâ excom. & Summa Syluestrina, Dominici Caietani, & D. Antonini.

Hæc ſunt, quæ ferè in omnibus cænobijs primis Prælatis reſeruari puto; Nunc paucis de ijs, quæ tantùm quibuſdam in locis abſolutioni Prælatorum retineri intelligo.

Furtum committentes.

NOn fuit quibuſdam ſatis excepiſſe proprietarios, ſed & fures nominatim exceperunt, quod non deſint, qui audacter quicquid in rebus Monaſterij arridet ſine conſciētiæ ſcrupulo vſurpant ſe in eo minimè peccare arbitrantes, cùm in eo & proprietatis & furti peccata committant.

Furtum igitur committentes, id eſt, qui libros, & veſtes, & alia alicuius pretij furantur, vt communitatis vtenſilia, vaſa, lintea, &c. vel certè, quæ ad victum pertinent.

Dixi alicuius pretij, nam quæ nullius, aut parui ſunt pretij, vt acus, aciculæ, fructus, aliquid papiri, papiraceæ imagines, & eiuſmodi minuta, talia ſunt, vt per ablationem nemini fiat iniuria; Hæ verò exceptiones fiunt in cauſis, quibus neglectis, magna orirentur mala, vt ſcandala, diſſenſiones, odia, diſciplinæ monaſticæ euerſio, & eiuſmodi alia.

CAuſam exceptionis horum aperit nobis ſapiens, Suſurro, inquit, & bilinguis, maledictus; multos enim turbant pacem habentes: cùm defecerint ligna, extinguetur ignis, & suſurrone ſubſtracto, iurgia conquieſcent; verùm cùm pax, & concordia ſit præcipuum bonum in communitate, conſtat ſuſurratores, ſeu ſeminatores diſcordiarum longè grauiùs peccare contumelioſis, detractoribuſque, vnde Salomō Prouerb. 6. *Inter ſeptem ſceleratos pronunciat peßimum, qui ſeminat inter fratres diſcordias.* Seminat autem, qui dicit, aut facit aliquid, quo inter fratres, vel amicos diſcordiæ oriantur.

Porrò tenentur ſuſurrones, quam diſſoluunt, iterum colligare amicitiam, quemadmodum qui detrahit, famam bonam reparare, non enim dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.

Reuelatores Secretorum capituli.

NOn eſt putandum ſtatim caſum eſſe Prelatis reſeruandum, ſi quis quid alteri referat eorum, quæ dicta, vel facta ſunt in capitulo, etiamſi illa ſecreta eſſe debere credantur; quin frequenter fit, vt nullum ſit peccatum; cum grano ſalis intelligenda hæc exceptio;

Nempe eos tantùm reſeruari, qui ea, quæ ibi tractata ſunt, referūt, vt ſimultates, ac diſcordias excitent, vel infames, ac odioſos reddāt aliquos. Hunc eſſe intellectum aperit canon Concil. Lateranenſis, Statuimus, inquit, ne quis Cardinaliū vota in conſiſtorio data, vel quæcumque ibi geſta, aut dicta ſunt, quæ in odium, aut ſcandalum

alicuius redundare poſſent verbo, vel ſcripto, vel quouis alio modo reuelet ſub pœnâ periurij, & inobedientiæ, Ecce quænam in conſiſtorijs, vel capitulis debeant haberi ſecreta.

Luſores alearum, & taxillorum.

PRohibet Innocentius tertius clericis, ne officia, commercia ſæcularia exerceant, maximè inhoneſta, mimis, ioculatoribus, ac hiſtrionibus non intendant, ad aleas, ac taxillos non ludant, nec huiuſmodi luſibus interſint. Porrò notiſſimum eſt hæc maximè dedecere Monachos, qui ab actibus mundanis tanto remotiores eſſe debent, quanto nomen à mundo ſeparationem expreſſiùs ſignificans pre illis hæreditârunt, tum quod eorum vocationis ſit, ſua, alienaque peccata perpetuò plangere, ſeſe excolendis virtutibus totos dedere, totiſque viribus, ac deſiderijs, contemptis mundi oblectamentis, ad ſupernã illam Ieruſalem; in quâ abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, ſuſpirare, ac contendere; luſus autem alearum, taxillorumque, & huiuſmodi, qui frequenter hominem ſic accipiunt, ac obligant, vt nonnunquam diuina negligantur, ne tempus luſibus non ſufficiat, cum prædictis ex diametro pugnare luce clarius eſt.

Accedit ad hæc, eum, qui luſibus capitur, poſſe videri Deum turpis lucri, ac luſus fautorem facere, alterum eum fateri neceſſe eſt, aut certè à fortunâ, quod deterius eſt.

Non eſt præterea omittendum Monachos, ſeu eorum Prælatos per hos luſus ſæpiſſimè pro-

prietatis peccatum, aut furti, vel ſacrilegij committere. Quid enim? Nunquid peccatum proprietatis, & furtum eſt, ſi quid ex lucris iniuſtis retineant; vel certè alienum pro ſuâ voluptate prædæ, aut rapinæ exponant, qui nullum ius, ac dominium in rem aliquam habent? Accedit ad hæc, quod peccato ſimili obnoxios reddant laïcos colluſores, cùm videlicet quid à Monachis referũt victores; nam iuſtè non poſſidetur, quod malè comparatum eſt, id eſt, ab ijs qui nullum pecuniæ, vel rei luſui exponendæ dominium habeant. Deinde an non ſacrilegium eſt pecuniam dominicam ſic inutiliter, ac impiè exponere contra Domini ſui voluntatem?

Hæc autem paulo fuſiùs, quàm deſtinâram, quod arbitrarer plurimos olim hos luſus frequentâſſe, non ſine multorum ſcandalo, & ſuæ animæ detrimento.

Canonicarum horarum lectionem omittentes.

Maledictus in ſcripturis ſacris pronũciatur, qui facit opus Dei negligenter, quanto magis maledictus eſt, qui id omninò omittit; maximè verò religioſus, qui non tantùm ad perſolutionem horarũ Canonicarũ præcepto Eccleſiæ, ſeu ratione ordinum ſacrorum, quibus inſignitus eſt, ſed & eleëmoſynarũ fideliũ, quibus ſuſtentatur, ac regulæ ſuæ præcepto tenetur; Quare nemini mirum videri debet ſi hic caſus reſeruetur abſolutioni Prælatorũ; maximè cùm nonnulli Doctorum ſcholaſticorum putent vix remitti poſſe à quoquam Confeſſore; Aiunt, ſi quis tenetur die determinato dare alicui communi-

munitati centum aureos, & ſi dare omiſerit illâ die, non eſt liberatus, nec Sacerdos debitum minuere, vel commutare, cùm ſit in præiudicium tertij; Sic cùm officium diuinum ſit cõſtitutum in vtilitatem totius populi videtur eis liberar vix poſſe per abſolutionem ſacerdotalem, qu id perſoluere omiſerit.

Molles.

DE Quibus Apoſtolus 2. ad Corinth. 6. *Molles regnum Dei non poſsidebunt.* Mollicies autem eſt, quando quis ſolus ſine concubitu effuſione ſeminis ſeipſum polluit, exemplo Onæ filij Iudæ congreſſum Thamar refugientis, quem Dominus ſubitâ morte percuſſit, vt nobis horribile eſſet tale peccatum committere: Qui (inquit Apoſtolus 1. Cor. 3.) Templum Dei violauerit, diſperdet eum Dominus, Templum Dei ſanctum eſt quod eſtis vos.

Porrò iuſtiſſimè hoc peccatum reſeruatur, quum annumeretur ijs peccatis, quæ contra naturam dicuntur, & quibus violatur (*vt inquit Aug. lib. 3. confeſſ. cap. 8.*) ſocietas, quæ cum Deo nobis eſſe debet, dum natura, cuius ille eſt author, libidinis peruerſitate polluitur.

Quare quibuſdam non ſatis viſum fuit excepiſſe à communi abſolutione ſacrilegos, niſi & hos quoque ſacrilegos, id eſt, molles expreſsè, atque ſpecialiter exceptos declarent, ne quiſquam ignorantiâ excuſationem prætexerit.

Hæc ſunt, quæ intelligere potui reſeruata eſſe in cænobijs.

TRACTATVS BREVIS DE CASIBVS IN GENERE RESERVATIS,

Auctore R. P. PAVLO LAYMAN *Soc.* IESV *Theologo,*
Ex eius morali Theologiâ depromptus.

Ijs, qui totum hoc volumen legere nequeunt per otium, vtilis, & opportunus.

De Caſuum reſeruatione.

SVMMARIVM.

1. *Caſuum reſeruatio prouenit ex dependentiâ inferiorum animarum Paſtorum à ſuperioribus.*
2. *Papa nullum peccatum reſeruare ſolet, niſi propter annexam cenſuram excommunicationis.*
3. *Sola mortalia, eaque non niſi externa, & opere conſummata peccata reſeruari ſolent.*
   Neque interna mortalia peccata reſeruari ſolent, quamuis abſolutè loquendo reſeruari poſſent.
4. *Homicidium voluntarium, etiam occultum, communi Eccleſiarum conſuetudine Epiſcopis reſeruatur: quæ verò alia peccata in qualibet Diœceſi reſeruata ſint, ex conſuetudine, & Diœceſali conſtitutione petendum eſt.*
5. *Grauis, & inſolita caſuum multorum reſeruatio in Diœceſi, etſi illicita ſit, tamen à Parochis obſeruanda eſt, donec tollatur.*
6. *Regularibus Prælatis certus modus præſcriptus eſt reſeruandi peccata.*
7. *Si Prælatus exiſtimet expedire, vt facultatem abſoluendi à caſu reſeruato alteri Sacerdoti det, in concedendo facilis eſſe debet.*
8. *Si Prælatus expedire iudicet, vt ipſemet caſum reſeruatum cognoſcat, & pœnitens extra ſacram Confeſſionem explicare nolit, ordinariè integra omnium peccatorum Confeſſio ei facienda eſt; interdum tamen, ob moralem impoſſibilitatem, ſufficiet ſolum caſum reſeruatum audire, & ab eo directè abſoluere, cum onere vt reliqua peccata inferiori Sacerdoti explicentur.*

9. Si

9. *Si Confeſſarius peccatum aliquod confitentis intelligat eſſe Superiori reſeruatum, ordinariè non debet eum abſoluere, ſed ad Superiorem mittere, vel abſoluendi poteſtatem ab eodem petere.*

10. *Propter aliquam neceſſitatem licitum eſt inferiori Sacerdoti abſoluere à peccatis, quorum vnum, aut plura reſeruata eſſe ſcit: impoſito onere pœnitenti, vt reſeruata ſola Superiori explicentur, vel abſoluendi poteſtas ab eodem petatur.*

11. *Per ſe loquendo, nemo obligatur idem peccatum bis confiteri.*

12. *Qui in excommunicatione conſtitutus bonâ fidê abſolutionem petit, validè abſoluitur à peccatis, tametſi non abſoluatur ab excommunicatione.*

13. *In mortis articulo, ſeu periculo omnis Sacerdos, etiam excommunicatus, aut hæreticus, ab omnibus peccatis abſoluere poteſt.*

14. *Si Confeſſarius iuriſdictione præditus adſit, vel vocari poſſit, Sacerdos ſimplex, ſeu iuriſdictione carens ius abſoluendi non habet in mortis articulo.*

Similiter Parochus in mortis articulo abſoluere non poteſt à reſeruatis Epiſcopo, ſi adſit, aut faciliè accerſiri poſſit: niſi alia ſit Diœceſis conſuetudo.

15. *Qui propter mortis periculum à peccatis reſeruatis abſolutus eſt, ceſſante periculo, ſuperiori ſe ſiſtere non debet: niſi fuerit annexa cenſura excommunicationis.*

1. QVæſtio Prima. Quo iure, & ratione caſuum, ſiue criminum grauiorum reſeruatio fundata ſit? Reſpõdeo; Inde prouenire, quòd nũc ſolus Papa iuriſdictionem neceſſariam ad peccatorum remiſſionem, abſolutionémve, diuino iure, in ſui electione, & ordinatione, accipiat; reliqui verò Epiſcopi, & Prælati exempti, iure Eccleſiaſtico, à Papa: qui proinde ipſis iuriſdictionem limitatam cõferre poteſt, vel reſpectu perſonarum, quoſdam ab eorũ iuriſdictione eximendo; vel reſpectu peccatorũ, quorumdam abſolutionem ſibi reſeruãdo. Et ſimili ratione, cùm Parochorum iuriſdictio ab Epiſcopis, vel alijs Prælatis quaſi Epiſcopalem iuriſdi-

iuriſdictionem habẽtibus immediatè proueniat, poterunt hi illis poteſtatem in foro pœnitentiæ limitatam dare, quoſdã caſus, ſeu cauſas grauiores, ſuo iudicio reſeruantes. Etenim ſi in foro externo non tantùm Eccleſiaſtico, ſed etiam ciuili & politico vſitatiſſimum eſt, vt cauſæ grauiores ſuperiorum Iudicũ examini reſeruentur. vti notauit Syn. Trid. *ſeſſ.14.c.7.* cur nõ idem fiat in hoc pœnitentiæ foro? vt nimirum crimina grauiora ſecuriùs corrigantur, & ſalubriora ijs remedia adhibeantur: tum verò ob difficultatem veniæ impetrãdæ fideles ab eiuſmodi ſceleribus abſterreantur. Vide Trid. Concil. *l.c. de Concilijs d.18. & Extrau. etſi Dominici I. de pœn. & rem. Sot. in 4. d.18. q. 2. a. 5. ver. ſecundum argumentum, Finell. ca. 4. caſuum reſeruat. Conintk d. 8. du. 11.*

2. Quæſtio ſecũda. Quænam, & qualia peccata ſuperioribus Prælatis reſeruentur? Reſp. & dico I. Summus Pontifex ordinariè nullum peccatum ſuo tribunali reſeruat, niſi propter annexam excõmunicationem ſibi itidem reſeruatã. *Ita Caiet. in ſum. ver. caſus, Nau. c. 27. n. 261. Tol. lib. 3. c. 14. Henriq. lib. 6. c. 14. n. 1.* Ex quo ſequitur primò: ſi Papa, eiúſve Pœnitentiarius aliquem abſoluit à ſolâ cenſurâ Bullæ, vel aliâ Papæ reſeruatâ inferiorem Confeſſarium deinde in conſcientiæ foro abſoluere poſſe à peccato illo, cui talis cenſura coniuncta fuerat, ſicuti notauit *Henriq. loc. cit. Suar. diſ. 29. ſ. 2. n. 7.* Sequitur ſecundò: ſi aliquis commiſit peccatum v.g. in Bullâ Cœnæ contentum: ſed ob ignorãntiam non craſſam à cẽſurâ Papali excuſatus fuit; quia de eâ nihil audiuit:

ab

ab inferiore abſolui poſſe,ſicuti notauit *Henriq.l. c. & Coninck. ci.d.n.82.* Verum ex his non inferas, Peccatum (v.g. hæreſin) cui excōmunicatio Papalis annexa eſt, per ſe, & immediatè Papæ reſeruatum non eſſe. Eſt enimuerò adeò quidē, vt ſi Sacer. inferior tali poteſtate carens, bonâ fide, inuincibili reſeruationis ignorantiâ laborantem directè abſoluere attentet, nihil efficiat, ob iuriſdictionis defectum, ſicuti notauit *Suar. n.8. Sanch. lib. 2. moral. c. 8. n. 5. Coninck n. 83.*

Dico II. Peccatum, quod ab Epiſcopo, alióve Prælato ſimilem in ſuos iuriſdictionem habēte, reſeruatur, oportet eſſe mortale. Venialia enim reſeruari non ſolent: partim quia omnes Sacerdotes vel iure diuino, vel potiùs generalis Eccleſiæ conſuetudine, à venialibus abſoluēdi poteſtatem habent: quam proinde Epiſcopus ipſis auferre non poteſt, niſi per iuſtam ſententiā excommunicationis: partim quia ad venialis peccati cōfeſſionem nemo obligatur: Ergo fruſtra eam ſuperior ſuo iudicio reſeruaret. Quâ de re videri poteſt *Suarez diſp. 29. ſ. 3. Finell. de caſibus reſeruatis, c. 5. n. 6.*

3. Dico III. Etſi peccata merè interna, ſi grauia, ſeu mortalia ſint, reſeruari poſſint: tamē in vſu non eſt, neque expedit, vt reſeruentur. Ita *Finell. & Suar. ll. cc. Maior in 4. d. 17. q. 5. prop. 2. Barthol. Medina. lib. 1. inſtr. ca. 10 princip. Iacob. Graffis p. 1. deciſ. lib. 1. c. 13. n. 71. Liamas p. 1. meth. c. 7. §. 14. Henriq. lib. 6. cap. 14. §. 5. Sanch. lib. 2. moral. c. 8. n. 4. Coninck cit. dub. 11.* Prior pars probatur: Quia iuriſdictio non minùs ad abſoluendum à peccatis internis,

 quàm

quàm ab externis, conueniente ordine, à ſuperioribus ad inferiores Confeſſarios deſcendit: ideoque vtraque poteſtas limitatè, ſeu cum reſtrictione cõferri poteſt. Poſterior verò pars ex eo patet: quòd internorum peccatorum reſeruatio non ita neceſſaria ſit ad Eccleſiæ gubernationem: quippe quæ externa potiſſimùm ſpectare debet.

Dico IV. Peccata mortalia reſeruatione Prælati non cenſentur eſſe comprehẽſa, niſi fuerint opere conſummata. Ita *Syl. ver. caſus, q. 5. Henriq. lib. 6. ca. 14. nu. 5. Graſſis cit. num. 71. Finellius cit. c. 5. nu. 4.* vbi afferunt exemplum de inceſtu impuberum; & eorum, qui extra vas ſemen emiſerunt. Ratio eſt: Quia crimen non intelligitur, niſi ſit cõſummatum *iuxta c. hac autem, iun. Gl. d.* 1. *de pœnit.* Nam attentatio homicidij v. g. non eſt homicidium, neque conatus ad inceſtum committendum, inceſtus eſt. Cæterùm, ſi ipſa quoque criminis atrocis attentatio expreſſis verbis reſeruetur, nemo dubitat, reſeruationem validam eſſe.

4. Dico V. Ex communi Eccleſiarum conſuetudine reſeruatur Epiſcopis homicidium voluntarium, quamuis occultum ſit. Quinam verò præterea caſus ſeu communi iure, ſeu conſuetudine Epiſcopis reſeruati ſint, non conſentiunt DD. vti videre eſt apud Ang. & Syl. *ver. caſus, Barthol. Medinam lib.* 1. *inſtruct. cap.* 10. § 3. *Nau. c.* 27. *n.* 262. *Tol. lib.* 3. *c.* 14. *Suar. diſp.* 29. *ſ.* 3. *Rodriq. t.* 1. *q.* 26. *a.* 2. Quare *niſi priuilegiatus ſit*, ait Caiet. ver. caſuum reſeruatio, *conforma te cuiuſuis Diœceſis ſtatuto, vel conſuetudini.* In pluribus tamen Diœceſibus

ſibus hæc reſeruata eſſe ſolent: Crimen incendiarij, & præſtitum auxilium *arg. c. peſſimam, 23. q. 8.* Sacrilegium: cùm nempe violatur locus ſacer furto, ſanguine, aut ſemine, per fornicationem, aut voluntariam pollutionem: de quo Syl. & Nau. *ll. cc. Sa. ver. caſus, n. 4.* Periurium, quod in iudicio fit: item falſum teſtimonium in iudicio, teſte Nau. & Tolet. *ll. cc.* Falſificatio literarum, ſicut præter citatos, docet Abb. *in cap. 1. de crimine falſi*: Sortilegium, ſiue magiæ exercitium: dummodo crimen graue ſit, ſicuti colligunt DD. ex extrauag. inter cunctas, de priuileg. Peccatum, cui irregularitas annexa eſt, vti teſtatur Henriq. *cit. c. 14. §. 4.* Addunt Gl. in c. ſi Epiſcopus, de pœnit. & remiſſ. Nauar. & Toletus; quodcunque peccatum enorme publicum, & ſcandaloſum, ob quod olim pœnitentia publica imponebatur, Epiſcopo reſeruatum eſſe; videl. adulterium notorium, & omnia eo maiora. Sed in quacunque, vt dixi, Diœceſi ſpectandum eſt, quid lex, & conſuetudo exigat.

Quæſtio tertia. Vtrum nimis grauis, atque inſolita plurium peccatorum in aliqua Diœceſi reſeruatio non tantùm illicita ſit: ſed etiam inualida, vt à Parochis obſeruari non debeat? Ita affirmant Sotus *in 4. d. 18. q. 2. a. 5.* Angelus *ver. caſus*, Finellius *cap. 4. num. 4.* Henriq. *lib. 6. cap. 14. num. 3.* Quæ ſententia haud dubiè vera eſſet, ſi diuino iure competeret, ſicuti arbitratur Sot. *l. c.* & alij apud Henriq. *lib. 6. cap. 5.*

n. 2.

n. 2. in fine. Suarez diſ. 25. ſ. 1. 5. Sed quia contraria ſententia communis, & vera eſt, quam docet Richard. *in 4. d. 18. a. 9. q. 3.* & alij allegati *lib. 1. tr. 4. c. 7. n. 3.* quod omnis iuriſdictio Eccleſiaſtica à Summo in terris Eccleſiæ Paſtore in Epiſcopos, & ab his in reliquos inferiores animarũ Curatores conueniente ordine deſcendat: ideò valde credibile eſt, Summum Põtificem Epiſcopis ita conferre iuriſdictionem, vt eãdem inferioribus communicare poſſint amplam, vel reſtrictam: prout ipſis expedire viſum fuerit: ſicuti ipſemet Papa, tãquam ſupremus iuriſdictionis collator, eandem reſtringendi, quamuis non penitus ab Epiſcopali ordine auferẽdi, ius obtinet. Tametſi verò Epiſcopi moneantur, vt conceſſâ ſibi poteſtate vtantur in ædificationem, non in deſtructionem, ſicuti videre eſt in Trident. *ſeſſ. 14. c. 7.* non tamen inde ſequitur, ſi quid illicitum ab eis fiat, etiam inualidum eſſe, cùm hinc grauior occaſio ſchiſmatis oriri poſſit, facilè opinantibus Parochis, Epiſcopum poteſtatis ſuæ limites exceſſiſſe. Quare illi in tali causâ ſupplicare quidẽ Epiſcopis poterunt: ſed denique tãquam legitimi Superioris ſtii ſententiæ acquieſcere ipſis cõuenit. Quæ eſt ſententia Henrici *quodlib. 1. q. 27. Sylueſt. ver. caſus; qu. 5. Suarez diſp. 29. ſ. 4.*

6. His adde, quamuis Prælati Ordinum maiorẽ etiam poteſtatem habere videantur, Cõfeſſarijs ad regularium ſuorum Confeſſiones deputatis, reſtringendi iuriſdictionem: cùm ea ipſis tantũ delegata ſit: & non ſicuti Parochorum, ordinaria: attamen & illi operam dare debent, vt reſerua-

ſeruatio fiat in ædificationem, nō in deſtructionem, obſeruatâ etiam Conſtit. Clementis VIII. in quâ præcipitur, vt præter caſus ſequentes. qui reſeruari poſſunt (quamuis non debeant) alij nō reſeruētur ſine Generalis Capituli in toto ordine, vel Prouincialis in prouinciâ diſcuſſione: I. *Veneficia, incātationes, ſortilegia. II. Apoſtaſia à Religione, ſiue habitu dimiſſo, ſiue retento: quando eò peruenerit, vt extra ſepta Monaſterij, ſeu Conuentus fiat. III. Nocturna, ac furtiua è Monaſterio, ſeu Conuentu egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta. IV. Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. V. Iuramentum falſum in iudicio regulari, ſeu legitimo. VI. Procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum, poſt animatū fœtum, etiam effectu nō ſubſecuto. VII. Falſificatio manus, ſeu ſigilli Officialium Monaſterij, aut Conuentus. VIII. Furtum de rebus Monaſterij, ſeu Conuentus in eâ quantitate, quæ ſit peccatum mortale. IX. Lapſus carnis voluntarius, opere conſummatus. X. Occiſio, vulneratio, ſeu grauis percuſſio cuiuſque perſonæ. XI. Malitioſum impedimētum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores.* De caſibus autem in Societate Ieſu ſpecialiter reſeruatis, videri poteſt c. 5. ordinat. Præpoſit. Generalium.

7. Quæſtio quarta. Quomodo Prælatus ſe gerere debeat circa abſolutionem à caſibus reſeruatis? Reſpondeo, & dico I. Si Prælatus exiſtimet, expediens fore, vt ſubdito petēti det facultatem confitēdi caſum reſeruatum alteri Sacerdoti, quem vel ipſe pœnitens delegerit, vel ipſemet Prælatus ei deſtinauerit, tum ex charitatis lege talem ei facultatem concedere tenetur. Ita

Sotus

Sotus *cit. a. 5. ver. circa tertium. Henriq. lib. 6. c. 15. n. 6. Suar. diſp. 30. ſ. 4. Coninck diſp. 8. dub. 14.* & alij communiter. Ratiò eſt: Ne ſacramentum Confeſſionis, quod in remedium animarum inſtitutum eſt nimis graue accidat: atque occaſio capiatur reticendi peccatum, cum Sacramenti irreuerentiâ, & propriæ ſalutis iacturâ, ſicuti monet Sanctus Thomas *in 4. dub. 17. quaſt. tertio articulo 3. qua. 4. ad 6.* vbi ait: *Qui ſunt nimis ſoliciti, vt conſcientias ſubditorum per Confeßionem ſciant, multis laqueum damnationis inijciunt, & per conſequens ſibiipſis.* Veruntamen, ſi ſuperior pœnitenti, aut Communitati (cuius in hâc re maior ratio haberi debet) expedire iudicet, vt caſum reſeruatum ipſemet audiat, quòd remedium efficacius adhibiturum ſe prudenter exiſtimet: tunc licentia alteri confitẽdi neganda erit. Notat verò Ægid. Coninck n. 111. Faciliùs licẽtiam dandam eſſe, ſi eam pœnitentis nomine ipſemet Confeſſarius petat: quippe cui ſtatum Rei cognitum habenti ſuperior plerumque credere debet expediens fore, vt concedatur: Niſi graues rationes in cõtrarium adſint: vt ſi (maximè in Religioſorum Ordine) animaduerteret, eiuſmodi licentiam ſæpè à ſe poſtulari, atque interim Religionis diſciplinam laxari.

Quòd verò idem Coninck adiungit: *Quando Confeſſarius hanc veniam petit, ita cautè hoc facere debet, vt Superior nullo modo, aut perſonam, aut caſum, ob quem ea petitur conijcere poßit. Nam aliàs eſſet periculum frangendi ſigilli*; id veriſſimum eſt, quod attinet ad

ad perſonam omnimodè celandam, conſequenter etiam in ſpecie non indicandam, ſi periculum eſſe videatur prodendi perſonam. Sæpè autem nullum tale periculum eſt: tum verò expedit interdum, vt caſum in ſpecie cognoſcat ſuperior: & alio modo licentiam abſoluendi neget, niſi ipſi ita explicetur. Videri poſſunt ordinationes præpoſitorum Generalium Societatis Ieſu *c. 6. §. 3. & 4.* Obligatus eſt autem interdum Confeſſarius, ſaltem ex charitatis lege, vel ipſemet ſuperiorem adeat, ſi poſſit, ad petendam abſoluendi facultatem: ſi putet non expedire, aut pœnitentem adduci non poſſe, vt ſeipſum ſiſtat.

8. Dico III. Si Prælatus caſum reſeruatum à ſeipſo ex peccatore cognoſcendum eſſe arbitretur conuenientiſſimè aget, ſi integram pœnitentis Confeſſionem excipiat: quòd ſi ipſi ob alia grauia negotia tempus non ſuppetat, tunc iubeat ſibi peccatum explicari ſub ſigillo ſecreti; & poſtea peccatorem ſacramentaliter non abſoluat, ſed tantùm reſeruationem, aut cenſuram tollat, ſatisfactionemque iniungat: quô caſu peccatum illud, vnà cum alijs mortalibus inferiori Sacerdoti in proximâ Confeſſione explicandum erit ad ſacramentalem abſolutionem accipiendam: quam conſuetudinem ſolam cenſuram auferendi Pœnitentiariorum Romæ eſſe, teſtatur Canus *relect. de pœnit. p. 6. concluſ. 2. fol. 278. & ſeqq.* & videri poteſt Durand. *in 4. d. 17. q. 15.* Adrianus *in 4. vbi de Confeſſ. q. 4. §.* ſed dubium videtur.

Cæte-

Cæterùm ſi pœnitenti graue accidat peccatũ reſeruatum extra ſacramentũ Confeſſionis Prælato manifeſtare; ipſe verò, ob iuſtum impedimentum, integram eius Cõfeſſionem audire nõ poſſit: atque inſuper expedire non iudicet alteri cauſam committere: his omnibus concurrentibus, poterit Prælatus, ſolis auditis reſeruatis, ſacramẽtaliter abſoluere, vt abſolutio directè cadat ſuper audita: indirectè verò ſuper alia, quæ ob moralem impoſſibilitatem audiri non potuerunt. Ita docent *Palud. in 4. d. 17. q. 5. art. 1. & 2. in fine. Syluest. ver. Confeßio, 1. q. 19. Caiet. eod. verbo, conditione decimâ, Maior in 4. d. 17. qua. 5. Medina C. de Confeſſ. q. 12. in fine. Nau. cap. conſideret, §. cautus, n. 18. d. 5. de pœnit. Finellius cap. 10. Suar. diſput. 31. ſection. 1. Coninck diſput. 7. n. 83.*

Id verò inter Doctores controuerſum eſt, vtrum poſtea neceſſe ſit Sacerdoti inferiori iterũ confiteri peccata reſeruata, vnà cum alijs mortalibus, à quibus directa abſolutio accepta non erat. Ita affirmant Caiet. *loc. cit. Henriq. lib. 6. cap. 15. n. 5. Sa. ver. abſolutio, n. 24. Finellius cit. cap. 10.* Quia vni, eidemque Sacerdoti omnia peccata mortalia explicare oportet. Sed cõtraria ſententia placet, quæ eſt *Nau. cap 9. num. 7. Petri Soti lect. 10. de Confeßione, Valentia tom. 4. diſp. 7. q. 11. part. 1. Suarez diſp. 31. ſect. 1. n. 10.* Satis eſſe explicare reliqua: & non opus repetere peccata, à quibus, tanquã ſibi reſeruatis, Epiſcopus hominem abſoluit. Nam id vniuerſim verũ eſt, vt, ſi ob moralem impoſſibilitatem, adeoque per accidens Sacerdoti non omnia, ſed aliqua tantùm peccata explicata fuerint,

rint, & abſolutio legitimè ſecuta: poſtea ea ſolùm peccata explicanda reſtent, à quibus indirecta abſolutio facta eſt: adeóque remanente onere, vt directè clauibus ſubijciantur. Ad fundamentum contrariæ ſentẽtiæ reſp. Omnia peccata vni Sacerdoti explicanda eſſe ordinarie, & per ſe: non item in caſu extraordinario, & accidentali, ſicuti cernere eſt in eo, qui vnum, aut plura peccata confiteri oblitus eſt: vel ob periculum reuelationis explicare non potuit.

Verùm extra caſum dictæ neceſſitatis, qui rariſſimus eſſe ſolet, peccare videtur Prælatus, ſi, auditis tantùm reſeruatis, ſacramẽtaliter abſoluat: quia agit contra proprietatem ſacramenti Pœnitentiæ, ex Chriſti inſtitutione, ac præcepto omnium mortalium peccatorum Cõfeſſionem poſtulantis, quatenus ea moraliter fieri poteſt. Atque ita docent Adrianus *loco citat.* Victoria *n.* 162. Syl. *ver. Confeſſio*, 1.*q.*19. Nau. *c.6. nu.6.* Canus & Suarez *ll. cc.* Llamas *p. 1. meth. c.7.§.11.* Rodriq. *t.1.q.21.a.6. contra Palud. in 4. d. 17.q.5.* S. Anton. *p. 3.t.14.cap.19.§.6.* Caiet. *cit. condit.10.* Henriq. *lib.6. c.15.num.4. Sa.cit nu.24.* qui abſolutè aiunt, Prælatum à ſolis reſeruatis abſoluere poſſe etiam extra neceſſitatis caſum: & hanc eſſe Eccleſiæ cõſuetudinem. Sed Adrianus Syl. ver. Canus, Suarez, Llamas, & alij negant apud bonos, & doctos Prælatos talem conſuetudinem vigere.

9. Quæſtio quinta. Quid agendum ſit Confeſſario, ſi pœnitens inter alia confiteatur peccatũ reſeruatum Superiori? Reſpondeo, & dico I. Ordinariè nõ debet illum abſoluere: ſed ad Superio-

periorem mittere, vel ab eodem facultatem abſoluendi petere. Ita Sotus *cit. art. 5.* Adrianus *quaſt. 4. de Confeſſ.* Canus, Finellius, Llamas *ll. cc.* Suarez *diſp. 37. ſ. 2. num. 3.* Philiarchus *t. 1. p. 2. lib. 2. c. 26.* Coninck *dif. 8. d. 13. concl. 3.* Quod & Tridentinum Concilium ſignificat cit. ſ. 14. cap. 7. *Cùm Sacerdotes nihil poßint in caſibus reſeruatis, id vnum pœnitentibus perſuadere nitantur: vt ad ſuperiores, & legitimos iudices pro beneficio abſolutionis accedant.* Ratio eſt: Quia ad integritatem ſacramentalis Confeſſionis pertinet, vt de omnibus mortalibus peccatis fiat, coram legitimo iudice: qualis ille tantùm eſt, qui poteſtatem habet de integrâ causâ cognoſcendi, vt abſolutio ab eo ritè pronuntietur.

10. Dico II. Si aliqua neceſſitas vrgeat, v. g. ſi pœnitens longè diſtet ab Epiſcopo: tunc Confeſſarius abſoluere poteſt pœnitentem: ita vt abſolutio directè cadat ſuper non reſeruata, tametſi ſolùm venialia ſint: indirectè verò ſuper reſeruata: impoſito tamen onere pœnitenti præſentandi ſe Superiori, vt à reſeruatis quoque directè abſoluatur: niſi malit ipſemet Confeſſarius à ſuperiore impetrare abſoluẽdi licentiam, perſonâ non nominatâ. Quæ eſt ſententia Richard. *in 4. d. 17. a. 2. quaſt. 8. ad 2.* Nauar. *in cit. cap. conſideret, §. cautus, nu. 13.* Soti, Philiarchi, Suarez, Coninck, Llamas *locis ſuprà cit.* Rodri. *cit. q. 21. a. 5.* Ratio patet ex ſuprà dictis. Talis autem neceſſitas eſt, ſi Sacerdos ſacrificare debeat, vel laïcus communicare: & Superiorem diſtantem, aut valde occupatum eo tempore adire non poſſint. Pertinet enim tum ad dignitatem,

ac

ac reuerentiam ſacræ Euchariſtiæ: tum ad ſuſcipientis ſecuritatem; vt ſi conſcius ſit peccati mortalis, ab eo priùs ſacramentalem abſolutionem accipiat. Adde, idem in tali caſu dicendum eſſe, tametſi cenſura excommunicationis, v. g. propter occultam Clerici percuſſionem, reſeruationi annexa ſit, ſicuti docent Henr. *in fine c.* 15. Suar. *ſ. 3. n. 6.* Llamas *l. c.* Coninck *n.* 107. Cùm enim excommunicatio iure tantùm poſitiuo Eccleſiaſtico arceat ab eſu S. Euchariſtiæ, ac Pœnitentiæ: ceſſat eius obligatio in caſu magnæ neceſſitatis: quare ſi excommunicatus ob vitandam infamiam, S. Euchariſtiam ſuſcipere poteſt, multò magis in tali caſu à peccatis abſolui, non obſtante excommunicatione. Verùm extra neceſſitatis caſum, ſacramentalem abſolutionem excommunicato dandam non eſſe conſtat ex ijs, quæ dixi *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *n.* 1. Licet contrarium ſentiat Angelus *ver. confeſſio*, 5. §. 10. quem refutat Nau. *c.* 9. *n.* 4. *& in c. fratres, n.* 40. *d.* 5. *de pœnit.*

11. Id porrò rectè admonet Suarez *diſp.* 30. *ſ.* 5. *n.* 23. *in fine*, eum qui communicandi neceſſitate conſtrictus, Superiorem accedere tunc non poteſt, vt à peccato ipſi reſeruato abſoluatur, non eſſe obligatum, vt inferiori Sacerdoti confiteatur, ſi ſcādalum ceſſet, & communicaturus exiſtimet ſe contritum eſſe. Idque cōfirmari poteſt ex regulâ communiter receptâ apud Nau. *in c. placuit*, *n.* 112. *d.* 6. *de pœnit.* Quòd nemo per ſe loquendo, obligari poſſit, vt idem peccatum bis confiteatur: Talis autem idem peccatum reſer-

uatum bis confiteri deberet, videlicet non tantùm inferiori, ſed etiam poſtea ſuperiori: Ergo talis obligatio imponi non debet. Cur autem dixerim, per ſe loquendo, ratio eſt: quia per accidens, ſi pœnitens alia peccata mortalia reſeruata habeat, vnà cum ijs etiam reſeruata confiteri debet, vt Confeſſarius pœnitentis ſtatum rectè cognoſcat. Quæ eſt communis ſententia S. Th. *in 4. d.17. q. 3. a.2. q. 2. ad 4.* Richard. *ead. d. a. 2. quaſt. 8. ad 2.* Maioris *quaſt.5.* Soti *cit. a.5.* Suarez *diſp. 31. ſect. 3. num. 8.* Henriquez *lib. 6. cit. cap. 15. num. 5. contra Halenſ. p.4. quaſt. 77. memb.5. art. 2. ad vlt.* vbi ait: Confeſſionem ob hanc cauſam diuidi poſſe: quamquam hoc dictũ defendere licet, ſicuti intelligit Petrus Sotus *citat. lect. 10.* diuidi poſſe Confeſſionem, quoad hoc, vt ſuperiori ſola reſeruata explicentur, ſicuti ſuprà dictum.

Dico III. Si pœnitens bonâ fide ad Confeſſionem venerit, vel quia neſciuit tale peccatum ſuperiori reſeruatum eſſe: vel tametſi ſciuerit, exiſtimauit tamen, legitimè ſe ab inferiore Sacerdote abſolui poſſe, cum obligatione poſtea tempore opportuniore ſe præſentandi Prælato; in hoc caſu arbitror, plerumque abſolutionem dari poſſe, modò pœnitens præter reſeruatum, aliud peccatum abſolutioni ſubijciat. Ratio eſt, partim quia aliqualis neceſſitas vrget: ſi quidem pœnitẽs ægro animo diſcedet abſque abſolutione; cùm ex ſuâ parte bene diſpoſitus ſit: partim quia graues Doctores, quos ſuprà citaui, abſolutè docent, quod Sacerdos pœnitẽtem, qui peccata reſeruata habet, abſoluere poſſit cũ onere,

vt eà ſola Superiori poſtea confiteatur, & ab ijs directè abſoluatur. Excipe; Niſi excommunicatio annexa ſit: Nam hæc iure Eccleſiaſtico prohibet hominem à ſuſceptione tum aliorũ ſacramentorum, tum etiam pœnitentiæ: quâ de re Rich. *in 4. diſt. 18. a. 9. q. 4.* Adrian. *in 4. vbi de Cõfeſſ. q. 4. §.* Si petas circa dicta. Nihilominus valida erit abſolutio data excommunicato, excõmunicationem ſuam inculpatè ignorãti, vel ſacramẽtum abſolutionis bonâ fide petenti, ſicuti docet *Naua. c. 9. n. 4. Tolet. lib. 3. c. 10. Coninck diſp. 8. dub. 13. concl. 4. arg. ca. Apoſtolica, de Clerico excommunic. miniſtr.* licet cõtrarium ſenſerit Finellius *c. 10. n. 8.*

Ad extremum hoc moneo; Prælatos, præſertim Ordinum regularium, interdum cõmittere Confeſſarijs poteſtatem directè abſoluẽdi à peccatis grauioribus, tamen cum onere imponendo pœnitenti, vt poſtea ſe ſiſtat ſuperiori, eique peccata illa ſub ſigillo Confeſſionis, vel ſecreti aperiat: ad ſalubriorem animæ eius curationem. De quâ re vide, ſi placet, quæ diſputant Suar. *diſp. 30. ſ. 5.* Coninck *cit. diſp. 8. dub. 15.*

13. Quæſtio ſexta. Quis, & quâ conditione abſoluere poſſit à reſeruatis in mortis periculo? Reſpondeo, & dico I. In mortis articulo quiuis Sacerdos iuriſdictionem habet ad abſoluendum directè à peccatis omnibus, etiam quæ Papæ, vel Epiſcopo alioquin reſeruata ſunt. Eſt cõmunis doctrina, quia, vt Trident. Cõcilium ait ſeſſ. 14. cap. 7. *In Eccleſiâ Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis: atque ita omnes Sacerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſol-*

uere poſſunt. Circa quæ verba notandum eſt primò, ex Zambran. *cap. 4. dub. 4. n. 17.* Sanchez *lib. 2. moral. c. 13. n. 12.* Quòd Conſilium ait quemuis Sacerdotem à cenſuris in mortis articulo abſoluere poſſe, intelligendum eſſe de ijs tantùm cenſuris, quæ ſacramentorum ſuſceptioni, & Eccleſiaſticæ ſepulturæ obſtant, cuiuſmodi ſunt excommunicatio, & perſonale interdictum (à quibus moriturus interdum abſolui poteſt, tàmetſi ſacramentorum abſolutionem non recipiat, quia v. g. amens eſt) non item ſuſpenſio ab ordine, officio, aut beneficio: multò minùs irregularitas.

Notandum ſecundò: Cùm Trident. Concilium verbis vniuerſalibus vtatur, *Omnes Sacerdotes abſoluere poſſe*, comprehenduntur etiam ſacerdotes non approbati, aut non expoſiti: item ſuſpenſi, quin & excommunicati, ac non tolerati, ſicuti docet Gl. *in c. non eſt, ver. Baptiſmum paruulorum, de ſponſalibus*, Palud. *in 4. d. 17. q. 3. a. 3. concl. 7.* Maior. *in 4. d. 19. q. 1.* S. Ant. *p. 3. tit. c. 19. condit. 14.* Syl. *ver. Confeſſor, 1. q. 20.* Tabien. *ver. abſoluti, 1. n. 32.* Armilla *ibid. num. 12.* Henriq. *lib. 6, cap. 11. num. 18.* Suarez *p. 3. tom. 3. diſp. 72. ſect. 4. in fine, & t. 4. d. 26. ſ. 4. n. 5.* Zambran. *cap. 4. dub. 4. n. 20.* Coninck *d. 14. dub. 16. n. 234.* contra Ioan. Medinam *Cod. de Confeſſ. q. 28. §. ad alium*: quem ſequitur Couar. *c. alma, p. 1. §. 6. concluſ. 8.* quamuis dubius, ſicuti & Sotus *in 4. d. 18. quæ. 4. art. 4.* Nauar. *cap. 26. man. num. 26.* qui ſaltem hæreticum denuntiarum omni abſoluendi poteſtate, etiam in extremâ mortis neceſſitate, priuatum eſſe arbi-

arbitratur. Sed non rectè; cùm Concil. Tridentin. apertè dicat, in mortis articulo nullam eſſe peccatorum reſeruationem: ſed eorum abſolutionem omnibus Sacerdotibus perpetuâ Eccleſiæ conſuetudine concedi. Fateor tamen, hominem in mortis articulo conſtitutum nullius culpæ argui poſſe, ſi hæretico Sacerdoti, tametſi ab ipſo nullum peruerſionis periculum timeatur, tamen ob hæreſis deteſtationem ſacramentaliter confiteri recuſet: modò ſperet ſe de peccatis ſuis contritum eſſe. Qua de re Palud. *l.cit.*

Nota autem hôc loco, quod dicitur de abſolutione ſacramentali, eam à Sacerdote non tolerato, etiam hæretico, ſuſcipi poſſe, propter neceſſitatem: idem multò magis ſentiendum de ſuſceptione baptiſmi. De alijs verò ſacramentis alia ratio eſt, cùm tantæ neceſſitatis non ſint, vti videre licet apud Azor *t.* 1. *lib.* 8. *cap.* 11. *quæſt.* 12. Verumtamen ſi in mortis articulo ſacramẽtum Pœnitentiæ ſuſcipi non poſſit, hoc caſu, qui vix vnquam continget, ab hæretico, aut alio excommunicato nõ tolerato ſacrum viaticum accipere non erit illicitum, alius nemo ſi adſit, qui adminiſtrare poſſit: quia lex Eccleſiaſtica in tali neceſſitate non obligat.

His adde, per mortis articulum, quo omnes ſacerdotes, ex Eccleſiæ conceſſione, abſoluere poſſunt, non eſſe duntaxat intelligendum quaſi vltimum vitæ ſpiritum, ſed quoduis etiam probabile mortis periculũ, ſiue ex infirmitate, aut ſuperuẽturâ perpetuâ, vel diuturnâ amẽtiâ: ſiue ex Iudicis decreto: imò & ex alijs cauſis, videlicet

imminente belli conflictu, partu periculoſo: puta ſi primus eſt, vel ſi mulier ante difficiles partus experta erat, iuxta doctrinam Abb. cap. quod in te, *de pœnit. remiſſ. colum. 2.* Item ante nauigationem periculoſam, aut valde longam, in quâ Sacerdotis copia futura non eſt, ſicuti docent Palud. *in 4. d. 20. q. 1. a. 2. concl. 3.* Nauar. *c. 26. man. num. 31.* Syl. *ver. confeſſor, 1. q. 6. d. 7.* Couar. *c. alma, p. 1. §. 11. n. 8.* Sairus *lib. 2. theſauri cap. 20. num. 28.* Finell. *c. 8. n. 8.* Henriq. *lib. 6. c. 9. & 11.* Rodriq. *t. 1. regul. qu. 62. a. 7.* Molina *tr. 3. de iuſt. diſ. 63. num. 5.* Auila *de cenſur. p. 5. diſp. 4. ſ. 1. d. 5.* Suarez *diſp. 26. ſ. 4.* Sanch. *lib. 2. moral. c. 13. n. 7. argum. c. ſi quis ſuadente 17. q. 4.* &c. eos, qui *de ſent. excom. in 6.* Quamuis contrarium ſentiat Sotus *in 4. d. 18. q. 4. a. 4. §. quaeris autem.* Id tamen fateor, cum Couar. *cit. loco,* Sanchez *n. 3.* Neceſſe eſſe, vt periculũ mortis, non futurâ tunc occaſione confitendi Sacerdoti expoſito, propinquum, & non improbabile ſit: quia frequenter hominibus in tali caſu accidere ſolet, cuiuſmodi periculum cenſeri poſſe in omnibus peſte infectis, teſtatur Chapeauille *c. 1. q. 1. §. 8.* cùm ſubitò, & præter opinionem extinguantur. Aliam limitationem ex Cordubâ affert Sanch. *loco cit.* vt aliquis non propriâ ſpõte, ſed ex causâ vrgente, ſeu morali neceſſitate coactus tale periculum adeat. Quod mihi non placet: cùm neque alij meminerint. Nam ratio, cur Eccleſia in mortis periculo omnibus Sacerdotibus abſoluendi poteſtatem tribuat, eſt, quia peccator in tali caſu tum iure diuino poſitiuo, tum etiam naturali charitate erga ſeipſum ad confi-

confitendum obligatur. Quæ ratio obligationis æquè locum habet, etſi aliquis ſine neceſſitate, ac propriâ ſponte periculum mortis adeat, v. g. in iuſto bello, maris nauigatione.

14. Dico II. In articulo, vel periculo mortis Sacerdos ſimplex, ſeu nullâ iuriſdictione præditus, neque licitè, neque validè abſoluit, ſi Confeſſarius ordinariâ, vel delegatâ iuriſdictione præditus, adſit, aut facilè aduocari poſſit. Ita ex communi Syluest. *ver. Confeſſor, 1. q. 6. dicto 7.* Nauar. *cit. n. 26.* Couar. *citat. concl. 8.* Zambr. *cit. cap. 4. dub. 4.* Gutierez *lib. 2. canon. qq. c. 19. n. 5.* Valentia *t. 4. diſp. 7. quaeſt. 10. p. 2.* Molina *cit. diſp. 63.* Suar. *cit. diſp. 26. ſ. 4. num. 4.* Sanch. *c. 13. n. 7.* contra Nau. *lib. 5. conſil. 23. de pœnit. & remiſſ. edit. 2.* vbi priorem ſententiam retractat Sà *ver. abſolutio, n. 3.* Rodriq. *t. 1. ſum. cap. 59. concl. 3.* Probatur aſſertio, tum ex reſponſione Gregor. VIII. apud Molinam loco cit. tum ex c. Presbyter 26. quæſt. 6. ſumpto ex Con. Cart. 3. canon 32. *Presbyter, inconſulto Epiſcopo, non reconciliet pœnitentem, niſi, abſente Epiſcopo, vltima neceßitas cogat.* Vnde etiam ratio ſumitur: Nam Sacerdoti ſimplici poteſtas abſoluendi à quibuſcumque peccatis in mortis articulo conceditur iure extraordinario, ob rationē neceſſitatis; *ne hac occaſione* (ſi abſolutio denegetur) *aliquis pereat*, inquit Trident. ſeſſ. 14. c. 7. Ergo ceſſante neceſſitate, ceſſat hæc extraordinaria poteſtas, per regulam, quam tradit Abb. in c. cùm venerabilis, de conſuet. in fine: *Cùm aliquid conceditur propter neceßitatem, durat conceßio, quatenus vrget neceßitas.* Et cur, obſecro, Eccleſia permittat,

imminente belli conflictu, partu periculoſo: puta ſi primus eſt, vel ſi mulier ante difficiles partus experta erat, iuxta doctrinam Abb. cap. quod in te, *de pœnit. remiſſ. colum. 2.* Item ante nauigationem periculoſam, aut valde longam, in quâ Sacerdotis copia futura non eſt, ſicuti docent Palud. *in 4. d. 20. q. 1. a. 2. concl. 3.* Nauar. *c. 26. man. num. 31.* Syl. *ver. confeſſor, 1. q, 6. d. 7.* Couar. *c. alma, p. 1. §. 11. n. 8.* Sairus *lib. 2. theſauri cap. 20. num. 28.* Finell. *c. 8. n. 8.* Henriq. *lib. 6. c. 9. & 11.* Rodriq. *t. 1. regul. qu. 62. a. 7.* Molina *tr. 3. de iuſt. diſ. 63. num. 5.* Auila *de cenſur. p. 5. diſp. 4. ſ. 1. d. 5.* Suarez *diſp. 26. ſ. 4.* Sanch. *lib. 2. moral. c. 13. n. 7. argum. c. ſi quis ſuadente 17. q. 4.* &c. eos, qui *de ſent. excom. in 6.* Quamuis contrarium ſentiat Sotus *in 4. d. 18. q. 4. a. 4. §. quaris autem.* Id tamen fateor, cum Couar. *cit. loco,* Sanchez *n. 3.* Neceſſe eſſe, vt periculũ mortis, non futurâ tunc occaſione confitendi Sacerdoti expoſito, propinquum, & non improbabile ſit: quia frequenter hominibus in tali caſu accidere ſolet, cuiuſmodi periculum cenſeri poſſe in omnibus peſte infectis, teſtatur Chapeauille *c. 1. q. 1. §. 8.* cùm ſubitò, & præter opinionem extinguantur. Aliam limitationem ex Cordubâ affert Sanch. *loco cit.* vt aliquis non propriâ ſpôte, ſed ex causâ vrgente, ſeu morali neceſſitate coactus tale periculum adeat. Quod mihi non placet: cùm neque alij meminerint. Nam ratio, cur Eccleſia in mortis periculo omnibus Sacerdotibus abſoluendi poteſtatem tribuat, eſt, quia peccator in tali caſu tum iure diuino poſitiuo, tum etiam naturali charitate erga ſeipſum ad confi-

confitendum obligatur. Quæ ratio obligationis æquè locum habet, etſi aliquis ſine neceſſitate, ac propriâ ſponte periculum mortis adeat, v. g. in iuſto bello, maris nauigatione.

14. Dico II. In articulo, vel periculo mortis Sacerdos ſimplex, ſeu nullâ iuriſdictione prædi-tus, neque licitè, neque validè abſoluit, ſi Confeſſarius ordinariâ, vel delegatâ iuriſdictione præditus, adſit, aut facilè aduocari poſſit. Ita ex communi Syluest. *ver. Confeſſor, 1. q. 6. dicto 7.* Nauar. *cit. n. 26.* Couar. *citat. concl. 8.* Zambr. *cit. cap. 4. dub. 4.* Gutierez *lib. 2. canon. qq. c. 19. n. 5.* Valentia *t. 4. diſp. 7. quæſt. 10. p. 2.* Molina *cit. diſp. 63.* Suar. *cit. diſp. 26. ſ. 4. num. 4.* Sanch. *c. 13. n. 7.* contra Nau. *lib. 5. conſil. 23. de pœnit. & remiſſ. edit. 2.* vbi priorem ſententiam retractat Sà *ver. abſolutio, n. 3.* Rodriq. *t. 1. ſum. cap. 59. concl. 3.* Probatur aſſertio, tum ex reſponſione Gregor. VIII. apud Molinam loco cit. tum ex c. Presbyter 26. quæſt. 6. ſumpto ex Con. Cart. 3. canon 32. *Presbyter, inconſulto Epiſcopo, non reconciliet pœnitentem, niſi, abſente Epiſcopo, vltima neceſſitas cogat.* Vnde etiam ratio ſumitur: Nam Sacerdoti ſimplici poteſtas abſoluendi à quibuſcumque peccatis in mortis articulo conceditur iure extraordinario, ob rationẽ neceſſitatis; *ne hac occaſione* (ſi abſolutio denegetur) *aliquis pereat,* inquit Trident. ſeſſ. 14. c. 7. Ergo ceſſante neceſſitate, ceſſat hæc extraordinaria poteſtas, per regulam, quam tradit Abb. in c. cùm venerabilis, de conſuet. in fine: *Cùm aliquid conceditur propter neceſſitatem, durat conceſſio, quatenus vrget neceſſitas.* Et cur, obſecro, Eccleſia permittat,

 vt

vt morituris, qui maximè ſpirituali inſtructione, & auxilio indigent, non proprij Paſtores, aut ab his commiſſionem habentes, ſed quicunque, etiam imperiti, & non approbati Sacerdotes ſacramentum Pœnitentiæ miniſtrent? Confirmatur: Nam Tridentinum Concilium *cit. capite 7.* eodem modo loquitur de abſolutione, *à quibuſuis peccatis, & à cenſuris*: Atqui certum eſt ex *c. eos, qui de ſentent. excom. in 6. & extrauag.* 1. *§. decernimus de excommun.* à cenſurâ excommunicationis reſeruatæ neminem in mortis articulo abſolui poſſe, ſi facilis ſit recurſus ad ſuperiorem, ad quem abſolutio de iure ſpectat. Ergo ſimiliter à peccatis nullus ſacerdos iure extraordinario in mortis articulo abſoluere poteſt, niſi ob defectũ ordinarij, aut legitimi ſacerdotis.

Porrò quod in hâc aſſert. dictum eſt de ſimplici ſacerdote; multò magis dicendum de excommnnicato, & ſuſpenſo poſt denuntiationẽ: quia hi omni omninò iuriſdictione in Pœnitentiæ etiam foro priuati ſunt: excepto caſu extremæ neceſſitatis: quamobrem rectè notârũt Suarez, & Sanchez *cit. locis*, non toleratum ſacerdotem inualidè abſoluere, ſi adſit ſacerdos toleratus, etiam ſimplex, & non expoſitus..

Deinde, quod dixi de ſimplici Sacerdote, illi præferendum ſacerdotem expoſitum, ſeu iuriſdictione præditum, id ſimiliter dicendum de ſacerdote expoſito inferiore, v. g. Parocho; illi etiam in mortis articulo præferendum eſſe ſacerdotem ſuperiorem, ſiue Prælatum, quod attinet ad peccata eidem reſeruata: ita vt, eo præ-

ſente,

ſente, vel, ſi facilè aduocari, aut licentia ab ipſo peti poſſit; inferior abſoluere nequeat, ſicuti docet Zambranus *loco cit.* Henr. *lib. 6. cap.* 11. *nu.* 4. Sanc. *cit. num.* 7. Suar. *diſp.* 30. *ſect.* 3. *nu.* 1. *Quamuis enim Trident. Concilium dixerit*, inquit idem Suar. *in articulo mortis nullam eſſe reſeruationem : id tamen intelligendum eſt in abſentiâ reſeruantis : quia aliàs nulla eſt vera neceſſitas, ob quam alij Sacerdotes cenſeantur iuriſdictionem conſequi, quæ illis, per ſe loquendo, ablata fuerat.* Excipi tamen debet, niſi alia ſit cõſuetudo Diœceſis : vt videlicet omnes expoſiti Sacerdotes ab omnibus caſibus reſeruatis in mortis articulo abſoluant, ſine recurſu ad Epiſcopum : cuiuſmodi cõſuetudo facilè introduci poteſt in Diœceſibus amplis, in quibus plerumque Epiſcopus multùm diſtat. Enimuerò, tametſi hæc fuerit ràtio introducendæ conſuetudinis : poſtea tamen, ſciente, & non contradicente Epiſcopo, extendi ea potuit, vt, etiam ſi Epiſcopus in ciuitate ſit, non requiratur eius licentia ad abſoluẽdos morituros à caſibus ipſi reſeruatis.

15. Dico III. Si Sacerdos quicunque ob neceſſitatem in mortis articulo à peccatis Superiori reſeruatis abſoluit, ceſſante tali periculo, opus non eſt, vt abſolutus coram ſuperiore illo compareat, cui iure ordinario abſolutio à talibus peccatis reſeruata eſt. Ita ex cõmuni docet Palud. *in 4. diſtinct. 20. quæſt. 1. a. 2. concl. 3.* Syl. *ver. Cõfeſſor*, 1. *quæſt.* 20. Nauar. *cap.* 16. *num.* 26. Ratio eſt : Quia in mortis articulo omnes Sacerdotes non indirectè, & per concomitantiam : ſed

per

per ſe, ac directè, ab omnibus omninò peccatis abſoluendi poteſtatem habet. Excipitur tamen: Niſi peccato annexa ſit cenſura excommunicationis Superiori reſeruata: tunc enim abſolutus, ceſſante mortis periculo, ſiſtere ſe debet Superiori, ad quem de iure ordinario pertinet, non vt iterum abſoluatur, ſed vt mãdatum eius accipiat, *iuxta cap. eos, qui de ſent. excom. in 6. & extrauag. inter cunctas, §. incendiarios de priuil.* Quare, vt id obiter moneam, conſultius eſt in mortis articulo confiteri priuilegiato; qui poteſtatem habeat à cenſuris reſeruatis abſoluendi tanquã delegatus Papæ, ſine onere poſtea comparendi.

FINIS.

BINÆ

BINÆ PARTES SYNODALES PRO CASIBVS RESERuatis idiomate gallico. Prior continet caſus ab omni æuo reſeruatos Epiſcopo Lugdunenſi Galliæ Primati; Poſterior eorundem ſeriem Epiſcopo Pariſienſi reſeruatam.

S'*Enſuyuent les cas, & pechez reſeruez à l'Archeueſque de Lyon, & Primat des Gaules*, les homicides ou de ſoy ou par autre: ceux qui oppreſſent les enfans : ceux qui eſtropient, & rendent percluz des membres, ou par eux, ou par autruy : ceux qui ont procuré de faire auorter la femme enceinte, ou qui en ont donné conſeil, & preſté ayde : les clercs qui ont aſsiſté aux ſentences, & iugemens de crime meritant peine de mort, ou effuſion de ſang, les incendiaires, les ſimoniaques, les fauſſaires : ceux qui ſe ſont faits promouuoir és ſaincts ordres, ſans eſtre premierement tonſurez, & ſans continuer l'ordre, à la perception d'iceux, de degré en degre : ceux qui ont attenté & violé la pudicité d'vne vierge, & chaſtete d'vne nonnain, & religieuſe : les Preſtres qui tiennent en public, concubines, ou qui ont cognu charnellement la femme qu'ils ont entendue en confeſſion : les inceſtueux, & qui ſe conioignent charnellement auec Iuif ou Iuifue, & auec les beſtes, comme Sodomites, & autres horribles, & abominables paillards, & impudiques : ceux qui polluent les Egliſes, ou autres lieux ſacrez : les excommuniez de la plus grande excommunication : les Clercs, & Preſtres qui eſtans excommuniez, ou ſuſpenduz ſont promeus aux ordres, ou qui celebrent, ou font autre office en l'Egliſe ſans eſtre abſous, ou bien ceux leſquels eſtans promeus en ſentence d'excommnnication, ou de ſuſpenſion, font, & diſent l'office diuin : ceux qui eſtans excommuniez, ne voulent ſortir hors l'Egliſe : ceux qui enterrent les excommuniez dans le cemetiere : ceux qui enterrent en lieu prohibé & defendu, ceux qui violent les Egliſes, cemetieres, & autres lieux d'immunité, les heretiques, ſchimatiques.

ques, ſorcieres, enchanteurs, qui abuſent en leur art du ſainct huyle, & de l'Euchariſtie : les Preſtres, & miniſtres par la negligence deſquels ſe commet quelque choſe indecente au ſainct Sacrement de l'autel : les vſuriers manifeſtes, ceux qui contractent mariage en meſpris d'vne autre femme, à laquelle ils ont promis, & donné la foy : ceux qui portent clandeſtinement leurs enfans aux hoſpitaux, ou autres lieux publics, & les expoſent : les clercs qui ne ſont promeus és saincts ordres par leur Eueſque diocesain, ny de ſon congé & licence : les clercs qui commettent larrecin, ou preſtent, aide, conſeil, & faueur à vn larron, & ſont irreguliers : celuy qui a eſté ſciemment baptiſé deux fois, & ceux qui ont aſſiſté au bapteſme. Ceux qui ont mis la main violante ſus vn clerc, ou religieux, leſquels autrefois falloit que pour eſtre abſous, ils allaſſent vers noſtre ſainct Pere le Pape : mais maintenant & pour la lõgueur du chemin, & pour le danger de la vie, ils s'addreſſeront à l'Eueſque.

S'*Enſuyuent les cas & pechez reſeruez de toute ancienneté à l'Eueſque de Paris*. Homicide volontaire, ſorcelage & magie, ſacrilege, ſimonie, adultere, defloration de vierges, rauiſſement de femmes honneſtes, & de bonne renommee, fornication auec vne religieuſe, & nonnain, qui eſt le peché de ſacrilege, inceſte qui eſt le peché de luxure auec ſa parente, & alliee deſſous le quatrieme degré, le peché contre nature, fornication commiſe auec ſa fille ſpirituelle, qu'on a nommé au Bapteſme, ou confeſſee, le mariage clandeſtin, ou contracté contre la prohibition de l'Egliſe, breuages, & potions pour empeſcher la generatiõ, & procurer de faire auorter vne femme enceinte, commettre paillardiſe en l'Egliſe, & lieu ſacré, prophanation de l'Egliſe, & du lieu dedié à Dieu, empeſchement de la liberté ou iuriſdiction Eccleſiaſtique, empeſchement du diuin ſeruice, abuſer de la ſaincte Euchariſtie, du Chreſme, & autre choſe ſacree, pour faire ſes charmes, & impietez, chanter Meſſe ſur vn autel prophane, ou en veſtemens prophanes non conſacrez, chanter Meſſe apres auoir deſiuné, enſeuelir vn excommunié, ou heretique en l'Egliſe, ou cemitiere ſacré, l'inobedience des excommuniez qui ne veulent

ſortir

ſortir de l'Egliſe lors qu'on y celebre le ſeruice diuin, prendre les ordres d'vn autre Eueſque ſans le congé, & licence de ſon ordinaire, prendre vn ordre maieur deuant le mineur, celebrer l'office diuin au temps d'interdict, oppreſſion des veſues, orphelins, & autres pauures gens, vſure manifeſte, conſpiration contre ſon propre Prelat Eccleſiaſtique, frapper & battre pere & mere, iniection violente des mains en vn clerc, & l'homme d'Egliſe, incendiaire ou bruſlement de maiſons, auec le conſeil, faueur & ayde, fauſſer ſa foy, & promeſſe ſolennellement promiſe, falſification des contracts, cedules, lettres, & autres eſcritures, pariure, faux ſerment, & menſonge en iugement, tranſgreſſion de ces vœus, blaſpheme publique contre Dieu, & ſes Saincts, machiner la mort à ſa femme, ou à ſon mary, entrer en religion maugré ſa femme, apres auoir conſommé le mariage auec elle, l'excommunie maieure. *Les Eueſques de Paris en ont peut eſtre depuis ce temps-là adiouſté d'autres, combien qu'il me ſemble n'eſtre trop vtile de tant limiter la puiſſance, & lier la main aux Curez & ſimples Cõfeſſeurs, & geyner la conſcience des pauures penitens.*

FIN.

CENSVRA DOCTORVM LOVANIENSIVM.

Tractatum hunc de caſibus reſeruatis, ad Confeſſariorum inſtructionem iudico vtiliter in lucem mitti poſſe. Actum Louanij 26. Iunij, 1595.

Henricus Cuyckius D. Petri Louanij Decanus, & Pontificius, ac Regius librorum cenſor.

Mihi quoque infraſcripto opus hoc de caſibus reſeruatis ex eruditiſſimis quibuſque ſcriptoribus magno labore, ac iudicio collectum vtiliter prælo committi poſſe videtur.

Ioannes Clarius Tungrenſis S. T. in Academiâ Louanienſi profeſſor Regius.

CENSVRA PATRVM SOCIETATIS IESV, COLLEGII LEODIENSIS.

Tractatum hunc de caſibus reſeruatis iudico quoque vtiliter admodum ad Confeſſariorũ, & aliorum inſtructionem in lucem edi poſſe.

Franciſcus Flerontinus Rector Collegij Societatis IESV *Leodij.*

Tractatus hic de caſibus reſeruatis, quia continet doctrinam Parochis, & Confeſſarijs præſertim Leodienſis Diœceſis vtilem, ac neceſſariam, nihilque habet contra fidem orthodoxam, ac bonos mores, admodum vtiliter, meo iudicio, videtur typis committi poſſe.

Philippus Arents Religioſus Societatis IESV *Leodij.*

~~43. B. 3.~~

~~36 A. 32~~

44. B. 1

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google